STEPHANI BALUZII
MISCELLANEORUM
LIBER SEXTUS,

Hoc est,

COLLECTIO VETERUM monumentorum quæ hactenus latuerant in variis codicibus ac bibliothecis.



LUTETIÆ PARISIORUM,
Per BIBLIOPOLARUM Societatem.

M. DCCXIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Apud

LUDOVICUM GUERIN,	viâ Jacobæâ, sub Imagine S. Thomæ Aquinatis.
HENRICUM CHARPENTIER,	in Areâ majore Palatii, sub signo Boni Carpentarii.
MICHAELEM GUIGNARD,	viâ Jacobæâ, sub Imagine S. Joannis.
HILARIUM FOUCAULT,	viâ Jacobeâ.
MICHAELEM DAVID,	ad ripam Augustinianorum, ad insigne Providentiæ.
CAROLUM OSMONT,	viâ Jacobæa, sub Scuto Franciæ.
CAROLUM ROBUSTEL,	viâ Jacobeâ, sub Arbore Palmâ.
MICHAELEM CLOUSIER,	ad ripam vulgò *Malaquais*, sub signo Charitatis.
PETRUM RIBOU,	ad ripam Augustinianorum, sub Imagine S. Ludovici.
GABRIELEM MARTIN,	viâ Jacobæâ, ad insigne Stellæ.
NICOLAUM SIMART,	viâ Jacobæâ, sub signo Delphini.
JOANNEM DESESSARTZ,	viâ Jacobæâ, sub Imagine S. Prosperi, & sub signo trium Virtutum.



PRÆFATIO

AD LECTOREM.



NTERMISSAM diù editionem miſcellaneorum meorum cùm aliqui viri optimi & doctiſſimi meique amantiſſimi à me expeterent ut reſumerem, exiſtimavi non debere me obniti tam honeſtæ eorum petitioni, præſertim cùm intelligerem hinc exornari & amplificari poſſe rem-publicam literariam, cui exornandæ & amplificandæ excumbere pro noſtra virili debemus omnes qui literarum ſtudiis dediti ſumus. Quid enim honeſtius aut utilius quàm eorum hominum excitare memoriam qui virtute & doctrina illuſtres, ſcriptis ſuis inſtruxerunt poſteros, & magiſtri noſtri præceptoreſque fuerunt? Itaque deprecatus primò nimis contumacem deſidiam meam, amicorum meorum obſecundans voluntati, conquiſivi inter libros veteres bibliothecæ meæ & in ſchedis meis veterum ſcriptorum opuſcula nondum edita & monumenta veterum tem-

porum quæ hactenus delituerant in tenebris, eaque in publicum dare decrevi, alia deinceps daturus, si in hac ætate mea multùm provecta satis mihi spatii Deus & otii dederit ut illa emittere possim. Hic interim liber testis erit mei in literatos amoris.

Occurrit in primis istic non contemnenda pars operum sancti Hildefonsi Episcopi Toletani, quam eruditi non sine dolore putabant interiisse, liber nimirum adnotationum de cognitione baptismi, & alius de itinere deserti, quò pergitur post baptismum, sive, uti vocat Julianus Hildefonsi successor in cathedra Toletana, de progessione spiritualis deserti. Puto autem illos placituros hominibus eruditis, in primis verò magistris theologiæ & iis qui in se pro suo in Christi gregem affectu suscipere amant curam & sollicitudinem dirigendi conscientias fidelium ejus in viam salutis.

Sequuntur deinde capitula Rodulfi Archiepiscopi Bituricensis, qui floruit sub imperio Karoli calvi Regis Francorum. Ea habui beneficio illustrissimi viri Nicolai Sevini Episcopi Cadurcensis, qui eorum vetus exemplar in membranis scriptum Lutetiam pro sua humanitate ad me olim detulit ut mecum communicaret. Contuli autem illa cum aliis constitutionibus ecclesiasticis illorum temporum, præcipuè verò cum capitulari Theodulfi Episcopi Aurelianensis, ex quo

multa Rodulfus accepit. Ad Rodulfum porro extat epistola Nicolai Papæ I. ex qua quidam collegerunt Archiepiscopum Narbonensem fuisse jure patriarchico subjectum Bituricensi, quia apud Ivonem Carnotensem & inde apud Gratianum extat additamentum quoddam ad hanc epistolam ex quo ita judicari posse videbatur. Verùm rectè monuit Sirmondus additamentum illud deesse in veteri codice ex quo ille eam epistolam edidit integram, uti dictum à nobis est in libro quarto Marcæ Hispanicæ pag. 360.

Edita est olim à nobis in appendice ejusdem Marcæ Hispanicæ historia rerum Sicularum ab anno MCCLXXXII. usque ad annum MCCCXXXVII. scripta ab auctore coetaneo Nicolao Speciali. Nunc verò damus historiam ejusdem regionis ab anno MCCL. usque ad annum MCCLXXVI. scriptam à Salla Malespina tum vivente. Ita curiosi lectores beneficio nostro habebunt historiam Siculam per centum ferme annos scriptam ab auctoribus qui ea vidérunt vel videre potuerunt quæ ab illis prodita sunt memoriæ literarum. Apparet autem Sallam fuisse civem Romanum. Plurima porro fragmenta ex isto opere, sed absque nomine auctoris, descripsit Odoricus Raynaldus in suis annalibus.

Post ista & alia quædam satis utilia & curiosa sequuntur epistolæ XVI. Urbani II. Papæ nunquam antea editæ; inter quas pri-

mum locum obtinet ea quam ille scripsit de electione sua ad sanctum Hugonem Abbatem Cluniacensem. Insignis est etiam inter eas illa quæ est de monasterio sancti Ægidii in Septimania, quæ relecta & confirmata est in Concilio Placentino & firmata subscriptionibus Cardinalium & Episcoporum qui huic Concilio interfuere. Etiam duæ epistolæ suppositæ Urbano ab Humbaldo Episcopo Lemovicensi habent suam curiositatem. Vide, Lector, pag. 405. & sequentibus.

Damus quoque varia monumenta eorundem temporum quæ spectant ad Hugonem Episcopum Diensem & Archiepiscopum Lugdunensem, qui diù fuit apostolicæ sedis Legatus in Gallia. Literæ ejus pro monasterio Conchensi, quas inter ea damus, editæ jamdiu fuere in loco peregrino, sed tot mendis conspurentes ut mihi non absque ratione visum è re publica literaria sit ut recuderentur. Denique istic edita quoque est epistola Hugonis ad Ivonem Episcopum Carnotensem, qua respondet ei quam Ivo ad eum scripserat.

Edita est in pagina 439. epistola Clementis Papæ IV. ad Raymundum nepotem suum, qui Bononiam, quæ Romæ vicina est, accedere cupiebat ut haud procul à Papa esset, ut inde sibi claritudo & honos adveniret. Epistola illa ita gravis, prudens, &

ſapiens eſt, tantoque digna Pontifice, ut meritò conjungi debeat cum illa quam is in initio ſui pontificatus ſcripſit ad Petrum Groſſum de ſancto Ægidio, quæ ſæpe & multis in locis edita eſt, etiam Gallicè verſa in vita Bartholomæi de Martyribus Archiepiſcopi Bracarenſis.

Addidimus etiam varia Cluniacenſia, id eſt collectionem veterum monumentorum ad res celeberrimi monaſterii Cluniacenſis pertinentium. Inter ea verò habetur narratio de adventu Urbani Papæ II. ad monaſterium illud, tum ſtatuta Pontii Abbatis Cluniacenſis, & ſtatuta Ivonis II. Abbatis item Cluniacenſis.

In pagina 535. edita eſt elegantiſſima epiſtola Mamerti Claudiani ad Sapaudum rhetorem, virum cujus claram ſpectabilemque dictionem ita laudat Sidonius ut illum non vereatur comparare Quintiliano & Palladio ſummis rhetoribus. Porro illum fuiſſe domò Viennenſem docet hæc Claudiani epiſtola.

In fine hujus libri poſui annotationem de Benedicto Epiſcopo Maſſilienſi, quæ multùm utilis erit ad emendanda & illuſtranda ea quæ de illo tradita ſunt ab iis qui tractarunt hiſtoriam Epiſcoporum Maſſilienſium.

Vale, Lector, & ora pro me.

ELENCHUS

EORUM QUÆ IN HOC VOLUMINE continentur.

APPROBATIO.

JUssu Illustrissimi Franciæ Cancellarii, *Stephani Baluzii Miscellaneorum librum sextum* legi, quo Hildefonsi Toletani, & aliorum opera inedita continentur, & non minus quam præcedentes editione dignum judicavi. Lutetiæ Parisiorum 14. Octobris 1713.

E. RENAUDOT.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand Conseil, Baillis, Seneschaux, Prevosts ou leurs Lieutenans, & à tous nos autres Justiciers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nôtre bien amé François Muguet nôtre Imprimeur ordinaire, Nous a fait remontrer qu'il a cy devant imprimé plusieurs bons Livres, qui ont été bien receus du public, & que par l'application qu'il a donnée & qu'il donne aux choses qui sont de sa profession, il s'est acquis de la réputation chez les Etrangers, qui sont curieux d'acheter les Livres qui sont sortis de son Imprimerie, & que même depuis peu il a imprimé en deux beaux volumes les Capitulaires ou Ordonnances des anciens Rois de France, de la premiere & seconde race, nos Predecesseurs de glorieuse memoire, qui est le plus beau monument qui reste aujourd'huy de l'ancien Droit François, & qu'ayant entrepris l'impression de plusieurs Ouvrages considerables, qui sont d'une grande dépense, & même une nouvelle édition des Ouvrages de Saint Augustin, corrigez sur une tres-grande quantité d'anciens manuscrits par les Religieux de la Congregation de Saint Maur, dont la dépense reviendra à plus de cent mille livres, il se trouve obligé de recourir à Nous, & d'implorer nôtre grace pour avoir plus facilement le moyen de continuer ses travaux avec la même application qu'il y a donnée jusques à present. A CES CAUSES désirant favorablement traiter ledit Muguet, & luy donner des marques de la satisfaction que Nous avons des soins qu'il a pris & prend tous les jours de faire de belles impressions, & répandre pour cet effet sur sa personne des bienfaits qui s'étendent aussi sur sa famille, Nous luy avons accordé & accordons par ces Presentes signées de nôtre main, la continuation des Privileges à luy cy devant accordez ou cedez, pour l'impression des *Ouvrages du Sieur Baluze*, qu'il a imprimez en vertu de nos Lettres de Privilege ou sans icelles, pour en jouir par ledit Muguet, ses hoirs & ayans cause pendant le temps & espace de cinquante années, à compter du jour que chacun desdits Privileges qui luy ont été accordez ou cedez seront expirez ; & pour le regard de ceux qu'il a imprimez sans Privilege, à compter du jour que les

premieres impressions qu'il en pourra faire cy-aprés seront achevées ; pendant lequel temps Nous luy avons permis & permettons par cesdites presentes d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter lesdits Livres par tout nôtre Royaume, Pays, Terres & Seigneuries de nôtre obeïssance, tout autant de fois & en telles marges, formes & caractere que bon luy semblera, faisant tres-expresses inhibitions & défenses à tous Libraires & Imprimeurs de nôtre Royaume, Pays, Terres & Seigneuries de nôtre obeïssance, & à toutes autres personnes de quelque qualité & condition qu'elles puissent être, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter lesdits Livres & Ouvrages sans la permission dudit Muguet, ou de celuy ou ceux qui auront droit de luy, sous prétexte d'augmentation, additions marginales, correction, changement de titre, impression étrangere ny autrement, en quelque maniere que ce soit, & même de reimprimer lesdites Oeuvres sur les anciennes copies, nonobstant le Reglement du vingt-septiéme jour du mois de Février mil six cens soixante-cinq à ce contraire, auquel Nous avons dérogé pour ce regard, & ce sur peine de dix mille livres d'amende, applicable un tiers à l'Hôpital General de Paris, un tiers audit Muguet ou à celuy ou ceux qui auront droit de luy, & l'autre tiers au dénonciateur, de confiscation des exemplaires qui se trouveront contrefaits, & de tous dépens, dommages & interests, à la charge neanmoins de mettre deux exemplaires de chacun desdits Livres à mesure qu'ils seront achevez d'imprimer pour la premiere fois dans nôtre Bibliotheque publique, un dans nôtre Cabinet du Château du Louvre, & un autre dans celle de nôtre amé & feal le Sieur d'Aligre, Chevalier, Chancelier de France, avant que de les exposer en vente, à peine de nullité des Presentes, du contenu desquelles Nous vous mandons & enjoignons de faire joüir & user pleinement & paisiblement ledit Muguet, & celuy ou ceux qui auront droit de luy, cessant & faisant cesser tous troubles & empêchemens. Voulons aussi qu'en mettant au commencement, ou à la fin de chacun desdits Livres, copie ou extrait des Presentes, elles soient tenuës pour bien & deuëment signifiées, & que foy soit ajoûtée aux copiés d'icelles collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers Secretaires comme à l'Original. Mandons au premier nôtre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution des Presentes tous exploits, significations, défenses, saisies & autres actes requis & necessaires sans demander autre permission, nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, Edits, Declarations, Arrests, Reglemens, Statuts & confirmations d'iceux, oppositions & appellations quelconques, dont si aucunes interviennent & des contraventions à ces presentes Lettres, Nous reservons la connoissance à Nous & à nôtre Conseil, & l'interdisons à tous autres Juges : CAR tel est nôtre plaisir. DONNE' au Camp devant Cambray, le vingt-deuxiéme jour du mois de Mars, l'an de grace mil six cens soixante dix-sept ; & de nôtre Regne le trente-quatriéme. Signé, LOUIS, *Et plus bas*, Par le Roy, COLBERT. Et scellé du grand Sceau de cire jaune.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le 12. May 1677. suivant l'Arrest du Parlement du 8. Avril 1653. & celuy du Conseil Privé du Roy, du vingt-sept Février 1665.
Signé, THIERRY, Syndic.

Et la Veuve dudit sieur François Muguet a cedé & transporté le present Privilege aux sieurs Anbouyn, Guerin, Charpentier, & Compagnie, pour en joüir en son lieu & place, par Traité du 9. Aoust 1707. & par Cession du 19. Novembre audit an, registrée sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris.



STEPHANI BALUZII
MISCELLANEORUM
LIBER SEXTUS.

Ex appendice Juliani Epiſcopi Toletani ad librum Hildefonſi de ſcriptoribus eccleſiaſticis.



HILDEFONSUS memoria ſui temporis clarus & irriguis eloquentiæ fluminibus exornans Eccleſiam, ætatis noſtræ noviſſimus Toletanæ ſedis adſcitus in cathedram, Præſul poſt ſecundum Eugenium in ſacerdotium conſecratur, vir tanta laude digniſſimus quanta & virtutum gratia numeroſus. Fuit denique timoris Dei inſtantiæ plenus, præditus virtutibus, religione comptus, compunctione profuſus, inceſſu gravis, honeſtate laudabilis, patientia ſingularis, ſecreti tacitus, ſapientia ſummus, differendi ingenio clarus, eloquendi

facultate præcipuus, linguæ flumine copiosus, tantoque eloquentiæ cothurno celebris habitus ut disputationum ejus profusa oratio dum per recta dirigitur, meritò non homo, sed Deus per hominem affatim eloqui crederetur. Hic igitur sub rudimentis adhuc infantiæ degens, divino tactus spiritu, vita delectatus est monachorum; contemptisque parentum rerumque mundanarum affectibus, Agaliense monasterium petiit, * monachumque se in eo multis annis decenter exhibuit. Cœnobium quoque virginum in Abiensi villula construxit ac propriis opibus ditavit. Rector deinde effectus Agaliensis cœnobii, monachorum mores exercuit, rem discrevit, vitamque servavit. Principali post hæc violentia Toletum reducitur, atque inibi post decessoris sui obitum Pontifex subrogatur. Scripsit sanè quamplurimos libros luculentiore sermone potissimos, quos idem in tot partibus censuit dividendos, id est, librum prosopopœiæ imbecillitatis propriæ, libellum de virginitate sanctæ Mariæ contra tres infideles, opusculum de proprietate personarum patris & filii & spiritus sancti, opusculum adnotationum actionis diurnæ, opusculum adnotationum in sacramentis, LIBRUM DE COGNITIONE BAPTISMI UNUM, ET DE PROGRESSIONE SPIRITUALIS DESERTI ALIUM. Quod totum primæ partis voluit volumini

connectendum. Partis quoque secundæ liber epistolarum est; in quo diversis scribens ænigmaticis formulis egit, personasque interdum induxit, in quo etiam à quibusdam luculentiora scriptorum responsa promeruit. Partem sanè tertiam Missarum esse voluit, hymnorum, atque sermonum. Alterius denique partis liber est quartus versibus prosaque concretus, in quo epitaphia & quædam sunt epigrammata adnotata. Scripsit autem & alia multa, quamvis variis rerum ac molestiarum occupationibus impeditus, aliqua cœpta, aliqua semiplena reliquit. Adscitus autem in pontificatum nono gloriosi Recesuinthi Principis anno, novem annis & duobus ferè mensibus clarus habitus fuit vitæ meritis & retentatione regiminis; expletoque octavo decimo prædicti Principis anno, sequenti die X. Kal. Februarii domicilio carnis exuitur, atque in Ecclesia beatæ Leocadiæ tumulatur* ad pedes sui decessoris, cum quo creditur æterno frui receptaculo claritatis.

* Quædam editiones addunt ea quæ sequuntur. At Baronius, qui primus edidit ex codice Vaticano, unus codex regius, duo bibliothecæ Colbertinæ, illa non agnoscunt. Itaque rejicienda esse putavimus extra seriem narrationis tanquam supposititia.

*; cujus fugam rabido furore insequens pater uno tantùm maceriæ impeditus est obice, quo & furentis est delusa quæsitio, & fu-

gientis salvata devotio. Nempe parentis furor, dum percitus interiora prætenderet, & in anterioribus, quæ præterierat, inquisivit. Armata deinde manu Agaliensem cellam impetens gladio, dum quæsitum non invenit, rediens in propria, ut perditum deploravit. Præcognita igitur præfatus absentia parentali, Agaliense illico monasterium adiit, monachumque se &c.

Ex Martyrologio Adonis Archiepiscopi Viennensis.

X. Kal. Februarii. Natale sancti Hildefonsi Episcopi & confessoris fide & doctrina clarissimi.



SANCTI HILDEFONSI EPISCOPI LIBER ADNOTATIONUM DE COGNITIONE BAPTISMI.

INCIPIUNT CAPITULA.

animæ in abditis receptaculis teneantur vel requie vel ærumna.

XCI. *Quomodo defunctorum animabus viventium oblationes & eleemosynæ vel prosint vel minimè prosperentur.*

XCII. *Quòd vita æterna sit gratia Dei, stipendium verò mortis peccatum.*

XCIII. *Quòd in hac vita comparetur quo possit post hanc vitam quisque vel relevari vel aggravari.*

XCIV. *Quid agant sacrificia & eleemosynæ pro baptizatis defunctis oblata.*

XCV. *Quòd post resurrectionem impleto judicio permanebunt singulæ civitates in angelis & hominibus Christi in gloriam æternam, zabuli in damnationem perpetuam.*

XCVI. *De reliquis causis ad regulam veræ fidei pertinentibus.*

XCVII. *Quòd post symbolum veniatur ad fontem.*

XCVIII. *Quòd homo in mundo ita servit principi mundi sicut Israël servivit in Ægypto Pharaoni.*

XCIX. *Quid significent nubes & columna quæ præcesserunt populum salvandum.*

C. *Quomodo per columnam subsequentem & præcedentem liberum arbitrium ostenditur regi per gratiam prævenientem & subsequentem misericordiam Dei.*

CI. *De congressione itineris & ingressu rubri maris, quorum significantia tenetur in aquis fontis.*

CII. *De figura & typo baptismi in nube*

& mari à Paulo Apoſtolo commendatis.

& mari à Paulo Apostolo commendatis.

CIII. *Quòd transitus maris perveniendi ad manna significet post baptismum venire ad Christi corporis sumtum.*

CIV. *Quòd uno tempore sit & generatio rerum & regeneratio hominum.*

CV. *Quòd sustinere dicitur mysteriorum sacramentum donec in superficie miraculum ostendatur aquarum.*

CVI. *De descriptione efficientiarum aquæ fontis. De patentis admiratione miraculi.*

CVII. *Quare & unde fons in quadragesima clauditur & in Pascha reseratur.*

CVIII. *De tempore & loco baptizandi.*

CIX. *De expositione mysteriorum fontis.*

CX. *De gradibus fontis.*

CXI. *De duabus pactionibus abrenuntiationis & credulitatis.*

CXII. *Quòd in nomine trinitatis detur baptismum, & quòd in baptismo quacunque persona trinitatis omissa sit, nihil baptismi celebritas agat, quòdque Christi baptismum in trinitate extiterit actum.*

CXIII. *Quòd baptismum & originale & actuale peccatum tollat, & quòd non nisi renatus habeat vitam æternam, & quare vel abrenuntiationem vel confessionem alii propter alios profitentur.*

CXIV. *De his qui de fonte baptizatos excipiunt, & quid cum eis agere debeant.*

CXV. *Quòd pro spe futuræ beatitudinis re-*

EXPLICIUNT CAPITULA.

PRÆFATIO.

Divinæ institutionis auctoritas & sacræ paternitatis antiqnitas per scripturam, quæ, dicente Apostolo, divinitus inspirata utilis est, Ecclesiam catholicam nasci per fidem, crescere per institutionem, atque in æternitatem per remunerationis gloriam permanere & per redemptionis munus obtinuit & per adoptionis spiritum adfirmavit, quoniam hanc eandem scripturam ipse spiritus ad salutem hominum inspiravit, qui ad beatitudinis prœmia homines provexit. Hujus sanctæ Ecclesiæ origo in hominibus figuraliter inchoavit ex tempore. Perficietur autem ex muneris æternitate. In sanctis verò angelis in veritatis specie temporaliter cœpit, in veritatis specie perenniter manet. Ita namque spiritaliter condita est ut post ruinam prævaricationis

in conditoris amorem sui soliditate percepta, non suæ naturæ augmento concresceret, sed humanæ salvationis inlatione reparata constaret. In angelica verò conditione, quia ex parte aliquod ruit, reliquum gloriæ in perennitate permansit. In humana verò conditione, quia tota per deceptionem hostis natura interit hominis, ex nulla parte reparari poterat, nisi eam ad reparationem sui ex toto redemptoris veritas suscepisset. Hinc adfuit ut inde potens conditor ruinam repararet angelicam unde pius redemptor in se suscipiens reparandam illic naturam induxit humanam. Regnante igitur Deo in cælo & in terra, cujus regnum est totus mundus, qui ex cælo constat & terra, cui servit cælestium, terrestrium, & infernorum omnis rei universa substantia, per quem consistit jam illa sine defectu cælestis patriæ pars beata, ad cujus profectum in electis cotidie natura conscendit humana. Quia enim Dei patris verbum, & hoc ipsum Deus, per quod angeli & omnia facta sunt, caro factum est in hominibus caput Ecclesiæ, qui erat initium angelicæ creaturæ, ac proinde sicut Deus & homo in unitate personæ caput est unus Christus, ita illi esset ex angelis & hominibus Ecclesiæ unum corpus. Unde hujus Ecclesiæ gloriosa pietas & gloriatio pia gaudet in consistentibus angelis, anhelat in hominibus provehendis. In illis laudem celebrat conditoris, in istis adsumit gloriam redemptoris. In illis habet gaudium sine fine, in istis appetit sine fine gaudere. In illis statione, in istis adquisitione lætatur. Illic in civibus solida, hic in advenis læta. Illic de securitate quiescit, hic de sollicitudine prospectatur. Salus illis & æternitas istis reparatio est. Et sicut isti nec volent unquam peccare nec poterunt, ita isti à velle ut posse peccandi salvati adsciscuntur per effectum redemptionis in eorum

plenitudinem claritatis. Jam per ſancti ſpiritus pignus pia futuræ unitatis admixtione concreta, quando ea quæ in hominibus ex adverſitate tolerat, angelicæ conſolationis ſuffragatione firma ſuſtentat, ut in peregrinatione hujus vitæ opitulatio angelica foveat quos glorioſæ ſocietatis ſuæ unitas expectat. Hujus Eccleſiæ pars quæ in hoc tempore advocatur ut fiat quod dicitur, Congrega nos ex gentibus ut confiteamur nomini ſancto tuo & gloriemur in laude tua, quo ordine ſecundùm apoſtolicam ſanctorumque patrum traditionem antiquam, inſtitutionem quoque divina auctoritate prolatam, invitetur ut veniat, veniens ordinabiliter ſuſcipiatur, ſuſcepta ſacris ordinibus provehatur, provecta ſanctificationis gratia impleatur, præſentis libelli ſerie manet congeſtum, diſpoſitum pariter & concretum, non noſtris novitatibus incognita proponentes, ſed antiquorum monita vel intelligentiæ referantes vel memoriæ adnotantes. Ob quam rem titulum operis hujus adnotationum de cognitione baptiſmi decrevimus inſcribendum.

CAPUT PRIMUM. *Exordium orationis.*

Jeſu fili David, miſerere mei, inluminans oculos meos ut videam, quòd ad te perveniam, firmans in te greſſus meos, ne tranſgrediar viam, aperiens os meum, ut poſſim de te loqui. Qui dediſti mihi velle, tua utcunque poterim loqui. Et quia dilectio proximi inhæret dilectioni tuæ, da mihi exercere utilitatem ejus quæ formet ſalutem illi & perveniat in laudem & gloriam nominis tui.

CAP. II. *Quòd inſinuetur nova regenerationis dicere myſterium velle.*

Generationem illam quæ fit proventuræ generationis divinæ, ut nati homines in iram renaſcantur ad gratiam, per quam filii iræ tranſeunt in adoptionem filiorum Dei, qua liberati à regno peccati transferuntur

feruntur in regnum gloriæ Dei, suis ordinibus persequi & explicare contendam, ut omnis sancto lavacro baptizandus videat per quæ mysteriorum signa vocatur, omnis jam baptizatus meminerit quæ sacramentorum præmia & servet & veneretur; quatenus dum figuræ tanti mysterii antea signatæ esse noscuntur, postea ipsarum figurarum sacramenta in æternam gratiam sciantur esse completa.

CAP. III. *Quòd unus sit Deus trinitas tota.*

Deus unus est, invisibilis, incomprehensibilis, inæstimabilis, immortalis, omnipotens, perfectus, & sempiternus. In hac re nihil adventitium, nihil postremum, nihil recedens. Hic est ante omnia, super omnia, intra omnia, extra omnia. Hic Deus est pater & filius & spiritus sanctus. Sed pater à nullo sed ex se est, & est tantùm pater. Filius ex patre est natus, ex eo coæternus patri, & est tantùm filius. Spiritus sanctus ex patre & filio inseparabiliter procedit, & est tantùm spiritus sanctus. Hæc tota trinitas unus est Deus, non aliud habens, & aliud subsistens. Sed ideo simplex est, quia quod in se habet hoc est. Non enim in illo accidit quodcunque bonum cujus sit participatione compositus; sed quia ex illo est omne bonum, ideo quod in se est, hoc verè omnimodo est.

CAP. IV. *Quòd tota trinitas unus Deus omnia fecit.*

Hæc tota trinitas unus Deus fecit omnia visibilia & invisibilia, sive cælum & cælestem angelicam creaturam cum omnibus quæ continentur in cælo, sive terram & mare cum omnibus quæ continentur in eis. Hic Deus omnia creavit, omnia continet, omnia gubernat, omnia providentiæ suæ administratione disponit, omnia regit. Omnia ipsi serviunt. Omnia ipse judicat. Absque illo nihil bonum. Ex illo nihil malum. Ipse potens & de malo facere bonum. Ipse disperdens

omne malum. Ipſe donator omnis boni. Ipſe conſervans perenniter omne bonum.

CAP. V. *Quòd homo à Deo bene ſit conditus, à zabulo malè deceptus.*

Poſt conditionem cæterarum rerum beata conditione beatus eſt à Deo conditus homo, & certè ita beatus ut ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, cunctis terrenis rebus exiſteret beatitudinis auctoritate prælatus. Cui invidens ſuper iis angelus ob ſuperbiam de cæleſtis gloriæ claritate dejectus, dum conditori Domino ſuperbivit, hunc conditum hominem perſuaſionis fraude decepit. Qui deceptus homo & propter tranſgreſſionis admiſſum beatitudinis loco exul eſt factus & cum omni poſteritate generis ſui mortis eſt ſententia condemnatus.

CAP. VI. *Quòd pietas conditoris præceſſerit culpam hominis.*

Hunc pietas conditoris æterna ſtatuens miſeratione ſalvandum in ipſis primordiis conditionis ejus, velut pietatis fundamenta componens, ſalutis myſteria fixit, per quorum myſteriorum ſacramenta quandoque ſalvandus invenire ſignatæ ſalutis remedium poſſet, ſicque præiret pietas factoris culpam hominis; ut cùm plenitudo veniſſet temporis, antiquitas pietatis repararet lapſum humanæ conditionis, & ex hoc ſubveheret illam gloriæ futuræ æternitatem, ex quo in conditionis primordiis ſignaverat ſacramenta ſuæ redemptionis.

CAP. VII. *Formatio Eccleſiæ de latere Chriſti ad ſimilitudinem formationis Evæ de latere Adæ.*

Adam ergo Chriſti, Eva Eccleſiæ figura fuere. Aſſumptus eſt limus, & factus eſt primus homo Adam in animam viventem. Incarnatus eſt Chriſtus, & factus eſt ſecundus homo Adam in ſpiritu

vivificante. Somno Adam obdormivit. Christus morte quievit. Adæ costa subtrahitur, & mulier fingitur. De Christi latere sanguis & aqua producitur, & his sacramentis Ecclesia sancta formatur. Non tollitur caro de carne viri, cùm permanente virtute ossuum viri deberet mollior mulier carnis mollitie potiùs fingi; sed quòd de viro ossis fortitudo subtrahitur infirmitas est divinitatis, de qua dicitur, *Verbum caro factum est*: quòd de fortitudine ossis viri mulier fingitur, hoc est quod sequitur, *& habitavit in nobis.* Nam de viro aliquid virtutis auferre hoc est, *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Mulierem de fortitudine viri compingi, hoc est, *Cùm esset dives, propter nos pauper factus est ut nos ejus inopia ditaremur.* Quod ergo ille infirmatus in humilitate deitatis suæ, hoc Ecclesia roborata est per adsumptionem humanitatis in illo. Bene ergo infirma mulier de virtute viri formatur, quia post lapsum culpæ deformis humana conditio factoris sui imaginem non reciperet, nisi hanc redemptor pius moriens innovasset; nec debilis & abjecta ad virtutem spiritus consurgeret, nisi eam infirmata divinitas humilis erexisset.

CAP. VIII. *Quòd in exordio primorum hominum & incarnatio & mors præfigurata est Christi.*

Hanc figuræ salvationis summam per gloriam virginis signavit species mulieris, quando dictum est ad serpentem, *Inimicitias ponam inter te & inter semen ejus*, significans malitiam diabolicæ partis non posse inhærere sacramento redemptionis, quod factum est per adsumptum hominem ex utero virginis. Unde adhuc subditur: *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Hoc de Christo, qui est fructus virginalis ventris Mariæ, intelligitur. Id est. Tu per malitiam persequentium,

qui sunt semen tuum, quorum corda inhabitas, eum supplantabis ut moriatur; & ille resurgens conteret caput tuum, quod est mors, & te ipsum, qui habes mortis imperium. Hanc humilitatem redemptoris usque ad susceptionem mortis mox subsequens fratricidium figuravit, quando Cain frater major terrenis operibus incubans adsurgens innocentem socium propter simplicem hostiam extra domum rudi crudelitate homicida novus occidit, significans Judæorum populum primum in lege natum Christum agnum Dei & tollentem peccata mundi extra Hierusalem crucis patibulo occisurum.

CAP. IX. *Quòd incarnationem Christi tota trinitas operata fuerit, sola tamen persona filii hanc suscepit.*

Hujus sanctæ redemptionis opulentum miseratione copiosa mysterium præsignatum in conditione primorum hominum implevit filius Dei veniens in plenitudine temporum, cujus adventus operatio incarnationis ejus veritas fuit. Quam incarnationis veritatem tota trinitas operata est, quia inseparabilia sunt opera trinitatis, sola tamen persona filii hanc suscepit; quoniam quæcunque per hanc dispensationem pertinent ad personam Christi neque ad patris neque ad spiritus sancti personas poterunt ullatenus pertinere. Non enim fas est dicere patrem & spiritum de virgine genitos vel cruci suspensos vel sepultura conclusos. quæ in sola persona Christi omnia congruenti & evidenti sunt dispensatione completa. Hoc mysterium redemptionis humanæ dispositum æternitate deitatis suæ completurum præsentia humanitatis adsumptæ Christus, sicut ante sæcula ordinavit, ita in sæculorum fine perfecit. Nihil novitate consilii inventum, nihil accessu novæ cogitationis adsumptum, sed æter-

na diſpoſitione præfixum, temporali diſpenſatione perfectum.

CAP. X. *Quòd ideo data lex eſt ut rediret in cognitionem homini Deus.*

Humano itaque generi, quia oblivioni dederat creatorem, data eſt lex, per quam creaturæ amittenti Deum reduceretur in cogitationem creator omnium rerum; dictumque eſt per eandem legem: *Audi Iſraël. Dominus Deus tuus Deus unus &c.* Quo dicto & ſuperſtitiones, quibus pro creatore creatura colebatur, amotæ ſunt, & unus qui verè coleretur Deus patenter eſt demonſtratus.

CAP. XI. *De temporibus ſub quorum diſtinctione ſeculum ſtetit.*

Stetit ergo ſæculum in hominibus ſub trimoda diſtinctione temporum. Stabit homo ordine quarto in beatitudine ſæculorum. Primò ſummè infeliciter, ſecundò non plenè feliciter, tertiò abundè feliciter, quartò ſumma æternaque felicitate feliciter. Primò ſummè infeliciter, quia homo conditus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ſuo deceptore zabulo ſibimet principante, ſerviens regno peccati, idolorum cultor, ſoli creatori piè debitum impiè creaturis impendit honorem. Secundò non plenè feliciter, quia data quidem lex eſt ad cognitionem Dei, ſed perducere non potuit ad juſtitiam Dei. Nam ſi ex lege juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Data eſt ad intelligentiam, non ad veniam peccati. Per illam enim agnitum peccatum punitum eſt, non ſanatum. Data quidem eſt in ſanctione hoſtiarum & cerimoniarum, ut offerrentur Deo ſicut Deus ſanxerat, & non ſicut gentiles ſacrificantes dæmoniis immolabant. Quæ tamen obſervantia legis propter cognitionem Dei multum profuit hominibus in tempore ſuo. Sed ideo plenam felicitatem non intulit, quia ad perfectum

nihil adduxit. Sequens ergo erat tempus in quo felicitas per litteram cœpta posset per intelligentiam spiritus esse perfecta. In hoc tempore gratiæ, quod tertium est, fuit abundè feliciter, quando cunctis illis sacris hostiis figuratus Christus est incunctanter ostensus, quando umbræ successit lux, incertis veritas, figuris ostensio, occultis revelatio, legi evangelium, timori servorum gratia filiorum, & cunctis quæ adumbraverat littera manifestatio spiritalis gratissima & aperta. Quartum est illud beatæ æternitatis insigne, in quo, devictis cunctis adversantibus, laudabit homo Deum in incorruptionis tranquillitate securus. Ergo in statu mundi * * *. adductum est. Non plenè feliciter fuit tertium sub gratia, in quo nos Christus à delictis nostris in suo sanguine lavit; & abundè feliciter manet extremum illud, quod & æternum, in quo laudabimus Deum in sæcula sæculorum.

Desunt hic duæ lineæ in vet. codice.

CAP. XII. *De conatu exsequendorum ordinum.*

Jam nunc favente Deo, cujus misericordiæ opus in humana salvatione nosse desideramus ipsius effectum salvationis, quæ per regenerationem gratiæ cum sacramento redemptionis efficitur; sicut & divina auctoritas & paterna sanxit antiquitas, opportunè suis ordinibus exsequamur.

CAP. XIII. *Quòd ipsis exordiis causarum instauratio humana inchoata cognoscitur in quibus ejus restauratio continetur.*

Exordium regenerationis, cujus species peracta est in plenitudine temporis, ab initio temporum cœpit. Etenim æterna sapientia ita in exordiis rerum figuram statuit sacramentorum ut ex antiquitate ordinata significatio perveniret ad finem temporum in efficientiis actionum. Unde quia regenerationis hujus sacramentum in aqua & spiritu consistebat, causarum institutio perfecit illius opera-

tionis species æmulabatur cùm dicitur, *& spiritus Dei ferebatur super aquas*, ut in earundem causarum exordiis instauratio his rebus figurata esse monstratur.

CAP. XIV. *De Johanne & baptismo pœnitentiæ, cujus signum sunt stramenta ciliciorum, per quæ ad oleandum parvuli deducuntur.*

Veniens itaque Dominus impleturus summam nostræ salutis non sibi sed nobis profuturam, in se suscepit & à se sanctificavit baptismatis sacramentum, præmittens Johannem, cujus baptismus veritatis figura, non veritas, esset, qui peccatores ad pœnitentiam commoneret, non qui remissionem peccatis inferret, ipso Johanne dicente: *Ego baptizo in aqua in pœnitentia.* Hinc itaque est quòd per stramenta ciliciorum ad oleandum sacerdotibus parvuli deducuntur, ut pœnitentiæ signum habeant propter opus qui pœnitentiæ opera demonstrare non possunt propter ætatis tempus. Majores autem ætate cùm advocari ad fidem cœperint, per se pœnitentiam exhibent de erroribus pristinis in quibus aut generaliter vixerunt aut idolis servierunt. Hanc efficaciam pœnitentiæ commendabat Johannes cùm de eo dicitur: *Venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissione peccatorum.* Unde apertè patet quia Johannes baptismum pœnitentiæ non solùm prædicavit, verùm etiam dedit, sed in remissione peccatorum dare non potuit. Ac proinde quoniam baptismum qui peccata solveret dare non poterat, prædicabat; ut sicut incarnatum verbum patris præcurrebat prædicationis verbo, ita baptismum pœnitentiæ, quo peccata solvuntur, præcurreret suo baptismo, quo peccata solvi non possunt.

CAP. XV. *Quod incipiente baptismo Christi cessavit baptismus Johannis. Et quomodo Christus baptizat & non baptizat.*

Venit Dominus ut baptizaretur à servo. Propter humilitatem prohibet servus dicens : *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me.* Propter justitiam imperavit Dominus dicens : *Sine modò. Sic enim oportet nos implere omnem justitiam.* Deinde quiescit baptismus Johannis, qui erat in pœnitentia & in veritatis umbra, & inchoavit baptismus Christi, qui est veritas, in quo fit remissio peccatorum. Quamquam non baptizaret Christus, sed discipuli ejus. Baptizat autem Christus & non baptizat. Sed utrumque verum est. Baptizat, quia mundat. Non baptizat, quia non ipse tinguit. Præbebant tunc discipuli sicut nunc ministri præbent ministerium corporis. Præbebat ille adjutorium majestatis.

CAP. XVI. *Quòd solus Christus baptizat, qui soli sibi baptizandi retinuit potestatem, quamvis sive bonus sive malus minister baptizet.*

Nunquam ergo cessat baptizare qui nunquam cessat mundare. Usque in finem sæculi Jesus baptizat, quia ipse mundat. Securus proinde accedat homo ad inferiorem ministrum. Habet enim superiorem magistrum. Ipse magister Christus & extrinsecus baptizat, dicente Paulo, *Sicut Christus dilexit Ecclesiam & se ipsum tradidit pro ea mundans eam lavacro aquæ,* & intrinsecus baptizat per infusionem spiritus, quo docetur interior homo & habere fidem & servare operis dignitatem. Ad hæc certè pertinet quod dicitur, *& testimonium perhibuit Johannes dicens quia vidi spiritum descendentem sicut columbam, & mansit super eum, & ego nesciebam eum.* Ex multis cognitionibus Christum scie-

bat Johannes. Nam cùm vidisset Maria mater Christi Elisabeth, exultavit infans iste Johannes in utero ejus. Hic erat vox clamantis, *Parate viam Domini.* Hic eum qui ad se baptizari venerat prohibet cùm dicit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me.* Hic eum agnum Dei & tollentem mundi peccata ostendit. Sed hoc solum in eo nescivit quia sibi retenturus erat baptismi potestatem & non eam translaturus vel transmissurus in aliquem servum, sed sive baptizaret in ministerio servus bonus, sive baptizaret in ministerio servus malus, non sciret se ille qui baptizaretur baptizari nisi ab illo qui baptizandi tenuit potestatem, & esset hujus sacramenti virtus, non in officio ministrantis, sed in potestate magistri.

CAP. XVII. *Quòd doctor studiis orationum munire debet prædicationem verborum, ut quod loquuturus est Dei virtute meliùs quàm ejus actione formetur.*

Cùm ex conversatione gentili quisque nolens ad cognitionem & fidem Dei hortatur ut veniat, primùm doctor adtendat multam bonitatem miserantis Dei, de quo dicitur, *Qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*, ac deinceps agat quantum potest ut intelligentes ut libenter & obedienter audiant. Et hæc se posse si potuerit & in quantum potuerit pietate mágis orationum quàm oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se ac pro illis quos est adlocuturus sit orator antè quàm doctor, atque sive in peculiare colloquio, sive in Ecclesiæ conventu, ipsa hora jam ut dicat accedens, priùs quàm exerat proferentem linguam, ad Dominum levet animam sitientem, ut ructet quod biberit, vel quod impleverit fundat, atque ad horam ipsius dictionis illud potiùs bonæ menti cogitet convenire quod Dominus ait: *Quum autem tradent vos*,

nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Si ergo loquitur in eis spiritus sanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo, quas non & in eis qui tradunt discentibus Christum. Hoc sanè studium docendi & in suadenda fide ethnicis & in suadendis operibus bonis fidelibus cunctis doctorem convenit exercere.

CAP. XVIII. *Qualiter aggrediendus est qui nolens invitatur ad fidem.*

Cùm itaque credere nolentibus unius Dei cognitio & fides offertur, proponendum est ut per intelligentiam pergant videre quòd Deus est, omnibusque eum naturis visibilibus & corporalibus, intelligibilibus verò & spiritalibus omnibusque mutabilibus præferant. Omnes enim certatim pro excellentia Dei dimicant, nec quisquam inveniri potest qui hoc Deum credat esse quo est aliquid melius. Itaque omnes hoc Deum esse consentiunt quod cæteris rebus omnibus anteponunt. Et quoniam omnes qui de Deo aliquid cogitant vivum aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda & indigna existimare de Deo qui vitam ipsam cogitant. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere. Et si eam sine sensu vegetanti invenerint, qualis est arborum, præponunt ei sentientem, qualis est pecorum, & ubi rursus intelligentem, qualis est hominum: quam quum adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur præponere, illam scilicet vitam quæ non aliquando desipit, aliquando sapit, sed est potiùs ipsa sapientia. Sapiens enim mens adepta sapientia, antequam adipisceretur non erat sapiens. At verò ipsa sapientia nec fuit unquam insipiens nec esse unquam potest: quam si non viderint, nullo modo plena fiducia vitam incom-

mutabiliter ſapientem commutabili vitæ antepo-nerent. Ipſam quoque regulam veritatis, quia illum clamant eſſe meliorem, incommutabilem vi-dent, nec uſpiam niſi ſupra ſuam naturam vident, quandoquidem ſe mutabiles vident. At quum vera-citer ſuadente doctore ſeclusa fuerit omnis mutabi-lis res à deitatis honore, accipiendum eſt ne ſit ſum-mè Deus quod paſſioni id eſt mutabilitati poterit ſubjacere. Quumque fuerit tentum id quod com-mutabile eſt eſſe non poſſe Deum, reſtat ut perve-niatur ad rem illam quæ cunctis rebus præminet & incommutabilis eſt. Conjecto illo quòd res illa quæ unus eſt Deus cunctis præminens & incommutabilis manens omnia fecit, omnia diſponit, omnia judi-cat, curam de omnibus habet, nihilque eſt ex om-nibus viſibilibus & inviſibilibus quod non ex illo initium habeat, non in ſervitute ejus domina-tioni ſubjaceat. Qui ſubjectarum rerum famu-latus ſub nulla ulla mutabili creatura poteſt ul-latenus inveniri niſi tantùm ſub iſto uno dominan-te Deo, cujus æterna ſubſtantia eſt, cujus in-commutabilis veritas, cujus omnipotens perma-net poteſtas.

CAP. XIX. *De adapertione januæ fidei.*

Jam cùm reſeraverit ille januam fidei de quo di-citur, *Qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit*, id eſt, ex ſemine David adſumptus homo per poteſtatem unitæ divi-nitatis, aperit cordibus credentium myſteria ſuæ incarnationis, quæ in prædeſtinatis claudere non poterit auſteritas infidelitatis, & claudit vaſa iræ præſpicientia judicii, ne reprobi veniant, ad quam ſibi meritò clauſerunt remunerationem beatitudi-nis. Tunc fit quod ſcriptum eſt: *Ego ſum oſtium. Si quis per me introierit, ſalvabitur.* Incipiunt enim aperiri initia fidei ei cui per lavacrum regenerato

post acceptionem spiritus sancti in participio corporis Christi se crediderit Christus. Et videbit librum illum sanctæ auctoritatis apertum, quem clausum in mysterio sigillis septem aperuit idem victor leo de tribu Juda. Qui liber totius sanctæ scripturæ apertus est, quia intelligentia ejus hominibus revelatur à Christo, qui solus in se suscepit atque compleri voluit quæ ad salutem humani generis complenda ordinavit atque præscivit. Signa autem ejus septem hæc sunt, primum incorporatio, secundum nativitas, tertium passio, quartum mors, quintum resurrectio, sextum gloria, septimum regnum. Quæ signorum adapertio hæc est generis humani plena redemptio; ad quam qui venit, hoc ordine venit.

CAP. XX. *De his qui volentes primùm ad fidem convertuntur catecumini id est audientes dicantur.*

Quicunque de gentili conversatione & de superstitionibus quibus impiè pro creatore colitur creatura majuscula ætate venientes volunt credere in Deum, vel sive recens nati, sive parvuli sint, catecumini id est audientes dicuntur pro eo quòd primum præceptum exhortationis in lege sibi audiunt dictum, *Audi Israël. Dominus Deus tuus Deus unus est*, & illud, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Audiunt ergo verbum vitæ, per quod perveniant ad munus gratiæ qui erant filii iræ. Nam quia omnis qui verè agnoscit veraciter dicit, *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea*, in eo quòd originaliter tenetur ad noxam mortis donec per redemptionem efficiatur filius Dei, erit filius illius antiquæ iræ quam meruit primus homo in præcepti transgressione, dicente Domino: *Qui credit in filium habet vitam æternam. Qui autem incredulus est filio non vide-*

bit vitam, sed irâ Dei manet super eum. Quam iram non venire sed manere dixit, quia non ex novitate infidelitatis venit, sed ex antiquitate prævaricationis manet. De qua ira nemo salvari potest nisi per misericordiam salvatoris, dicente eodem Domino: *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Qui catecumini propter cognitionem Dei quam illis per sacerdotem quasi per Moysem loquitur Deus audientes dicuntur, ut relicta vetustate vitæ carnalis veniant ad vitæ novitatem per unius Dei cognitionem.

CAP. XXI. *Quòd catecumini per pœnitentiam sint ad lavacrum adducendi. Quòdque ii quos Johannes baptizavit catecuminorum habuere figuram.*

Hi, si majores ætate sunt, cum actione pœnitendi veniunt. Si minores sunt, in signo pœnitentiæ per stramenta ciliciorum à ministris deducuntur ad sacerdotem; ut qui per se non possunt agere pœnitentiæ opus, in se habeant pœnitentiæ signum propter ætatis minimæ tempus, & hoc teneatur in pœnitendi effectu quod notatur in pœnitentiæ signo, qui post exorcismorum increpationem opportunè veniunt ad olei unctionem. Hic omnibus à Johanne in pœnitentia baptizatis catecuminorum figura extitit, ut quod illis baptismus in pœnitentia fuit, hoc istis per pœnitentiam ad Deum conversio sit.

CAP. XXII. *Qui sunt exorcistæ, à quibus exorcizantur catecumini & inergumini.*

Exorcidiantur ii exorcismis ab his qui ex eo nomine exorcistæ dicuntur. Qui tali officio deputati, quum ordinantur, sicut canones jubent, accipiunt de manu Episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, data sibi potestate imponendi manus super inerguminos, sive baptizatum, sive catecuminum.

CAP. XXIII. *Quid sit exorcismus.*

Exorcismus est sermo increpationis qui fit contra immundum spiritum in ergumenis sive catecuminis, ut per eum diaboli nequissima virtus & inveterata malitia atque incursio violenta fugetur expulsa.

CAP. XXIV. *Qualis erit exorcismus.*

Erit exorcismi sermo nocturno verborum, non difficultate intelligentiæ, non inusitato contextus eloquio, sed simplex compositus ardens, ita virtutis intentione coruscans ut verè principem mundi increpationis suæ valore demonstret expellere, atque sic in spiritali certamine, quo contra aërias agitur potestates, fulgura terroris immittere, ut ipsa expulsio invisibilis hostis quadam fieri expugnatione visibili contempletur, ita ut & catecuminus terreatur consideratione auditus, & fidelis incitetur adgressione conflictus. Sic dum sacerdotum officia pro castris Dei dimicant & fideles devotam intentionem velut arma ministrant, & qui creaturam Dei possidebat victus abscedat, & Christus quos condidit victor obtineat.

CAP. XXV. *Unde habuit exorcizandi virtus initium, vel in quo mysterio divinis verbis hoc Episcopus agat.*

Exorcizandi virtus illius rei significatio fuit quòd lunaticum increpavit Jesus. Exiit ab illo dæmonium. Ad instar hujus increpationis dominicæ increpat ètiam Episcopus voce propria, sicut increpavit Dominus voce sua. Et hanc ipsam increpationem quam dicit Episcopus non ex humana conjectura sed ex proprietate auctoritatis divinæ propheticis verbis adgredietur dicens : Increpet Dominus in te Satan, & increpet in te qui elegit Hierusalem. Dehinc secundò imperans dicit : Tibi dicitur, Satanas, vade retro. Ac deinde in tuba victoriæ tertiò proclamat : Vicit leo ex tribu Juda, radix David. Ita deinde

hic exorcismus à ministris inchoatur: Deprehensæ sunt insidiæ tuæ. Sicquè eadem increpatio exorcistarum pronuntiatione completur donec omnes catecumini sub exorcismis agantur. Est itaque ordinabiliter ordinatus ordo, ut primùm increpationis sermo ex illa causa qua oritur ex illis & verbis adgrediatur. Nam quia exorcismus increpationis est sermo, bene invehendo exoritur dum sic inchoatur: Increpet Dominus in te Satan, & increpet in te qui elegit Hierusalem. Secundò divina potestas infertur dum divinorum verborum imperium promulgatur dicendo: *Vade retro Satanas.* Tertiò potentia victoriæ demonstratur, quia Christus & dudum moriendo zabulum vicit, & in his qui credunt ac sequuntur eum cotidie vincit. Atque ideo vox in victoriam elevatur dum dicitur: *Vicit leo ex tribu Juda, radix David.* Propter quod scriptum est: *Nunc princeps mundi ejicietur foras*, id est, de credentium cordibus expelletur. Et item hæc dicit Dominus: *Equidem & captivitas à forte tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto salvum esse poterit.* ostendens quòd in victoriam Christi destructo imperio diaboli potuit homo ab ejus captivitate eripi & salvari.

CAP. XXVI. *Quòd exorcizando catecuminos potestas diaboli aufertur.*

Exorcizatur autem id est increpatur potestas zabuli, & insufflatur in his à quibus potestatis ejus dominator expellitur, ut renuntient ei sub cujus ditione obnoxii tenebantur, atque eruti à potestate tenebrarum in Domini sui regnum per sacramentum baptismatis transferantur. Ii in nonnullis locis, ut refertur, sales accipiunt, velut significato sapientiæ condimento. Sed licèt forsitan, ut dicitur, quia sola hoc antiquitas commendavit, adeo uqsuequaquam non probatur. Quia verò ut catecuminis in adipiscendo fidei sacramento tradantur evidenti

ſanctæ ſcripturæ nullo documento monſtratur, ideo nihil officii ubi non fit. Nam ad ſummum roborem quomodo valebunt quæ ad proprietatem rei pertinere nulla ſacræ auctoritatis ſerie vel per figuram vel per ſpeciem demonſtrantur.

CAP. XXVII. *De exemplo evangelii ſecundum quod catecumini oleo perunguntur.*

Iidem catecumini poſt exorciſmos quibus increpata & expulſa diaboli eſt poteſtas ab eis unguntur oleo quod à ſacerdote conſtiterit benedictum. Quæ unctio magno dominicæ operationis commendatur exemplo. Cùm enim, ut Marcus Evangeliſta refert, adduxiſſent ad Jeſum ſurdum & mutum, deprecabantur eum ut imponeret illi manum. Et adprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas, expuenſque tetigit linguam ejus, & ſuſpiciens in cælum ingemuit, & ait illi: *Effeta quod eſt adaperire.* Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè. Quid eſt quòd Dominus ſurdum & mutum adprehendens in turba ſeorſum mittit in auriculas digitos ſuos ut audiat, niſi quia redemptor veniens genus humanum ſeparavit à turba dæmonum & à converſatione operum veternorum, atque per infuſionem ſpiritalium munerum illi fidei dedit auditum. Nam ſicut per digitum Dei ſpiritus ejus, ita per digitos pluralitas ſignificatur ſpiritalium gratiarum. Et quid eſt quòd expuens tangit linguam ejus ut valeat loqui, niſi quia poſt auditum fidei ſacramenta ſalutis hunc & agnoſcere & perficere facit. Spiritus enim Chriſti gratia eſt humanæ redemptionis, quæ de capite divinitatis ejus deſcendens cognita per os humanitatis ipſius confeſſionem & laudem ſuam intulit credituris. Quid autem quòd ſuſpiciens in cælum ingemuit, niſi quia

quia æqualitatem patris habens infirmitatem humanitatis, in qua pro nobis doluit, demonstravit. Quid verò est quod ait *Effeta*, expositum est, *quod est adaperire*, & statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè: quia cùm in illo gratia & operatio redemptionis accessit, tota virtute in laudem & dilectionem sui redemptoris erupit. Unde nec tacere nec distortè potuit loqui qui redemptionem suam in gloriam redemptoris ut loqueretur & rectè loqueretur, accepit.

CAP. XXVIII. *Quòd ordinatè lectio Esaiæ prophetæ, Petri quoque Apostoli, & Marci Evangelistæ exorcizationis in conventu Ecclesiæ proferantur.*

Hinc eodem exorcisationis tempore bene in conventu Ecclesiæ, antè quàm exorcismi dicantur, profertur lectio Esaiæ prophetæ in qua dicitur: *Numquid tolletur à forte præda, aut quod captum fuerit à robusto salvum esse poterit. Quia hæc dicit Dominus: Equidem & captivitas à forte tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto salvabitur.* Item Petri ad gentes: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vocavit vos in admirabile lumen suum.* Marci quoque Evangelistæ, quæ hujus effetationis revelat sacramentum, quæ superiùs & prolata est & disserta, videlicet ut virtus Dei per victoriam crucis prædam humani generis à fortitudine diaboli tollens faciat genus electum per regenerationis donum, regale quoque sacerdotium per dominium dictionum & oblationem innocentiæ atque contriti spiritus sacrificium, infundens illi auditum obedientiæ præceptorum, & dans ei rectæ fidei loquelam atque suæ gloriæ hymnum.

CAP. XXIX. *Quòd mysterium salutis quod semel Christo moriente est factum cotidie fiat in his qui regenerari noscuntur.*

Hoc quod generaliter in humano genere moriente Christo semel est factum cotidie in regeneratorum fit specialiter lavacro. Nam convertenti ex errore gentili post exorcismos tanguntur auriculæ oleo ut accipiat auditum fidei & sit verè spiritalium dictorum auditor. Similiter tangitur & os, ut cognitionem redemptoris sui traditam sibi symboli fidem corde credat ad justitiam, ore confitens proferat ad salutem; sicque solutis obstinatione concreatis vinculis rectè loquatur magnificans Deum.

CAP. XXX. *Quid sit vel quare sit competens dictus.*

Ex catecumino fiat competens. Nam sicut ex eo quòd Dei audiendo cognitionem audiens dicitur, sic ex eo quòd accepto symbolo jam petit gratiam Dei competens vocatur. Competentes dicuntur simul petentes, quomodo consedentes, conloquentes, & concurrentes non aliùd intelliguntur nisi simul sedentes, loquentes, currentes. Ita quoque competentes nihil aliud sunt quàm simul petentes. Quid autem petunt nisi baptismatis sacramenta, per quæ possint à potestate tenebrarum erui & accepta indulgentia peccatorum in Dei omnipotentis regnum transferri. Ut ergo quod petunt accipere mereantur, à vitiis corda, ab immunditiis mundare debent & corpora, abstinentes animam à delictis, corpus ab epulis, ut contritio cor humiliet & justificet, abstinentia & castitas corpus extenuet & emundet, quo animæ & corporis ex toto purificata substantia, quicquid contritio cordis, quicquid adflictio egerit carnis, totum ad dignitatem proficiat suscipiendæ regenerationis. Horum significantiam habuit Nicodemus

ille princeps Judæorum, qui nocte venerat ad Jesum, qui erat ex his qui crediderunt in nomine ejus videntes signa & prodigia quæ faciebat, qui in eo quòd quum esset Dominus Jesus Hierosolymis in Pascha in die festo docens, tam efficaciter ejus doctrinam audivit ut crederet in nomine ejus, catecuminus, quod est audiens, fuit. In eo autem quòd venit ad eum nocte & dixit ei, *Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis nisi fuerit Deus cum eo*, competentem se esse monstravit. Nam cùm in templo docentem audivit, & visis signis credidit, verè audiens extitit. Cùm verò, licèt in tenebris ignorantiæ, ad lumen venit, quia nocte ad Jesum venit, & magistrum esse & hunc à Deo venisse fatetur, atque jam ex magisterio doceri quærit, qui magistro debitum honorem dedit, ex tunc competens fuit, quia cujus doctrinæ credens audiendo fidem detulit, ejus magisterium petendo quæsivit. Qui deinde promovetur ad gratiam baptismatis quando hoc illi commendat responsio salvatoris, dum subinfertur: *Respondit Jesus & dixit ei: Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Quid ergo, quia non sufficit catecumino quòd audit verbum Dei, non sufficit competenti quòd petit gratiam ex magisterio Dei, necesse est ut renascatur ex aqua & spiritu sancto, ut renatus sit particeps corporis & sanguinis Christi, & sicut ipse per fidem credidit in Christo, sic participando corpori Christi, credat se illi Christus. Hoc enim est quod dicitur: *Cùm autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus videntes signa ejus quæ faciebat. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis.* Quid est hoc, ecce Dominus credentibus se ipsum non credit semetipsum? Crediturus ne est ergo se ipsum incredulis & non credentibus?

Nusquam prorsus. Sed catecuminus & competens jam credunt in Christum. Sed quia non sunt renati ex aqua & spiritu sancto, non participant corpori Christi, & ideo non se credidit illis Christus. Si dixerimus catecuminis, Creditis in Christum, respondent, Credimus, & signant se, jam crucem Christi portant in fronte, & non erubescunt de cruce domini sui. Ecce credunt in nomine ejus. Interrogemus eos: Manducatis carnem filii hominis, & bibitis sanguinem filii hominis? Nesciunt quid dicimus, quia Jesus non se credidit eis. Jam verò quasi signum crucis habent in fronte. Jam de domo magna sunt. Necesse est renascantur, fiant ex servis filii, fiant ex adventitiis cives. Non enim nihil sunt, quia jam ad magnam domum pertinent. Et cùm renati fuerint, tunc participibus corporis sui credet se ipsum Christus.

CAP. XXXI. *De tradendo symbolo.*

Dehinc tradendum est symbolum, ut is qui Domini præceptum audivit, qui divini magisterii gratiam petiit, veræ fidei regulam accipiat, secundùm quam & fide & operibus lavacro sanctificationis se reparatum exhibeat.

CAP. XXXII. *Qua ratione symbolum constet.*

Symbolum quod competentes accipiunt hac ratione patres constare dixerunt. Dicunt enim quòd cùm audissent Apostoli à Domino ut irent docere gentes prædicantes regnum Dei & baptizarent eos in nomine patris & filii & spiritus sancti, accepto spiritu sancto post ascensionem Domini, quando insedit super eos in similitudinem ignis, & locuti sunt linguis omnium gentium, ut ad cognitionem veritatis nulla illis vel gens vel loquela esset ignota, sed per eundem sanctum spiritum omnibus omnimodè loquerentur, corporaliter ab invicem discessuri, hoc inter se unius prædicationis sym-

bolum ediderunt, quò ubique euntes nihil dissonum, nihil varium nuntiarent, sed unam fidem unitis verbis edicerent, & ex omnibus sacris scripturis instrumenta colligentes, unum hoc breve fidei ædificium construerent; de quo etiam per prophetam dictum fuerat, quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Itaque adhuc in unum positi, sancto spiritu pleni, breve hoc prædicationis indicium conferendo inter se, quid unusquisque sentiret sibimet ediderunt, atque dandam hanc regulam credentibus statuerunt; ut quia multi futuri erant qui se esse Christi Apostolos simularent & Christum non doctrina sana & integra prædicarent, ideo per hoc indicium agnosceretur quòd Christum veraciter nuntiaret qui eum secundùm hanc apostolicam regulam nuntiasset.

CAP. XXXIII. *De symboli nomine, & quid symbolum sit.*

Symboli nomen ex Græco, conlatio vel indicium vertitur in Latinum, quòd sit fœdus & cognitio fidei, in quo & sciatur quid creditur, & quod creditur nullatenus violetur. Indicium ergo est propter cognitionem, conlatio propter inter multos unitæ diffinitionis communitatem. Nam indicium quòd rem ignotam indicet, conlatio quòd sit communis loquelæ definitio. Hinc & in civilibus bellis, quia & armorum habitus & sonus vocis & mos unus & institutio bellandi similis est, ne quælibet doli subreptio fiat, suis militibus unusquisque dux discreta symbola ponit, quæ Latinè vel signa vel indicia dicuntur, ut occurrens fortè de quo dubium sit quam aciem sequatur, prodito symbolo an adversarius sit an proprius agnoscatur. Ad hoc autem sancti patres hoc, non membranis, sed memoriæ commendare jusserunt, ut non hoc lectio teneat, quæ ad ipsos etiam infideles solet

idipsum aliquando deferre, sed ex ipsius sanctæ apostolicæ definitionis traditione commendatum semper maneat fidelibus tenacitate memoriæ. Pro soliditate itaque initiandæ fidei bene discessuri ab invicem Apostoli hoc unanimitatis indicium posuerunt. Quod symbolum est signum vel indicium per quod agnoscitur Deus; quod ideo credentes accipiunt ut sciant qualiter certamen fidei contra diabolum præparent; in quo cùm pauca sint verba, continentur omnia sacramenta. In quo ideo ab Apostolis breviatim collecta sunt ex omnibus scripturis, ut quia multi credentes vel litteras nescirent, vel scientes occupati impedimento sæculi, scripturas eis legere non liceret, hoc corde & memoria retinentes, sufficientem sibi haberent scientiam salutarem.

CAP. XXXIV. *Quòd quinta feria ante Pascha reddendum est symbolum.*

Hoc symbolum quod competentes in die unctionis accipiunt, aut per se, si majores ætate sunt, aut per ora gestantium, si parvuli sunt, quinta feria ante Pascha sacerdoti recitant atque reddunt, ut eorum probata fide meritò perveniant ad vicinùm resurrectionis dominicæ sacramentum per fontis sacri baptismum.

CAP. XXXV. *Quòd catholica fides brevitate symboli teneatur.*

Est autem catholica fides in symbolo nota fidelibus memoriæque mandata quanta res passa est brevitate sermonis, ut incipientibus atque lactentibus eis qui in Christo renati sunt, nondum scripturarum divinarum diligentissima & spiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur quod multis verbis exponendum esset proficientibus & ad divinam doctrinam certa humilitatis atque caritatis firmitate surgentibus.

CAP. XXXVI. *Initium symboli, & quid sit credulitas.*

Est ergo tenot symboli iste, & hic causarum ordo quæ continentur in illo. *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Quid est credo? Credulitatem facio, id est, vera esse confiteor quæ incognita audio. Credulitas autem dicta quòd crescat animus ad invisa & incognita continenda.

CAP. XXXVII. *Quòd in Deo solo, non in rebus, sed de rebus adhibenda sit fides.*

In symbolo firmitas & quædam est separatio unius fidei, qua ostenditur in Deum solum & Deo credere, non in quibuscunque cæteris rebus, id est in Deum habere fidem, non autem in rebus, sed rerum habere fidem. Credendum ergo est in Deum, & non in aliam rem, quia fides in Deum, sicut & unus Deus, singulari est specie habenda & retinenda, cæteris rebus adponenda non superponenda est fides. Credimus ergo in Deum. Credimus & sanctam ejus Ecclesiam esse. Non autem credimus in Ecclesiam sicut in Deum, quia Ecclesia non est Deus. Credimus autem singulariter in Deum. Credimus & sequenter Ecclesiam ejus esse. Ita quoque & deinceps credimus quæcunque rectæ fidei regula nobis credere commendarit. Patrem tantundem filii sui secundùm divinam generationem, juxta quod ad eum dicit: *Ex utero ante luciferum genui te.*

CAP. XXXVIII. *Quòd ideo sit Deus omnipotens quia omnia fecit.*

Omnipotentem, quia solus omnia potuit, qui omnia fecit, qui ita credendus est esse omnipotens ut omnia quæ sunt visibilia & invisibilia ex nihilo fecerit. Non enim aliquid esse potest cujus creator non esset, cùm omnipotens esset: quia etsi aliquid fecit ex aliquo, sicut hominem ex limo, non

utique fecit ex eo quod ipse non fecerat, quia terram, unde limus est, ex nihilo fecerat. Et si ipsum cælum & terram, id est mundum & omnia quæ in eo sunt, ex aliqua materia fecerat, sicut scriptum est, *qui fecit mundum ex materia invisa* vel etiam informi, nullo modo credendum est illam materiam de qua factus est mundus, quamvis informem, quamvis invisam, quocunque modo esset, per se ipsam esse potuisse tanquam coæternam & coævam Deo; sed quemlibet modum suum quem habebat ut quoquo modo esset & distinctarum rerum formas posset accipere non habebat, nisi ab omnipotente Deo, cujus beneficio est res, non solùm quæcunque formata, sed etiam quæcunque formabilis. Inter formatum autem & formabile hoc interest quòd formatum jam accepit formam, formabile autem potest accipere. Sed qui præstat rebus formam, ipse præstat etiam posse formari; quoniam de illo & in illo est omnium speciosissima species incommutabilis, & ipse unus est qui cuilibet rei, non solùm ut pulcra sit, sed etiam ut pulcra esse possit, attribuit. Quapropter rectissimè creditur omnia Deum fecisse de nihilo, quia etiamsi de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est, ut ordinatissimo Dei munere prima capacitas formarum fieret ac deinde formarentur quæcunque formata sunt. Qui pater, quantum ad generationem divinitatis pertinet, tantundem filii sui pater est. Qui filius cooperator ejus, quoniam per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & verbum & veritas & virtus & sapientia est ipsius.

CAP. XXXIX. *Quòd filius neque de nihilo neque de aliqua est materia factus, sed tantundem à patre ineffabiliter genitus.*

Hinc sequitur. Credimus & in Jesum Christum filium Dei unicum Deum & Dominum nostrum, non separatum à Deo patre, sed & in se Deum, & cum patre unum Deum. Itaque Deus quum verbum genuit id quod est ipse genuit, neque de nihilo neque de aliqua jam facta conditaque materia, sed de se ipso id quod est ipse. Unde idem Deus pater, qui verissimè se indicare animis cognituris & voluit & potuit, hoc ad se ipsum indicandum genuit quod est ipse qui genuit, id est verbum Deum, per quod se cognoscere fecit. Quod verbum virtus etiam ejus & sapientia dicitur, qui per ipsum operatus est & disposuit omnia; de quo propterea dicitur: *Adtingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter* Quamobrem unigenitus filius Dei neque factus est à patre, quia, sicut dicit Evangelista, *omnia per ipsum facta sunt*, neque ex tempore genitus, quoniam sempiternè Deus, sapiens sempiternam habet secum sapientiam suam. Neque impar est patri, id est in aliquo minor, quia & Apostolus dicit: *Qui quum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Sed quoniam verbum caro factus est & habitavit in nobis, eadem sapientia quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari. Quò pertinet illud: *Dominus creavit me in principio viarum suarum.* Viarum enim ejus principium caput Ecclesiæ, quod est Christus homine indutus, per quem vivendi exemplum nobis daretur, hoc est via certa qua perveniremus ad Deum. Non enim redire potuimus nisi humilitate qui superbia lapsi sumus. Quapropter secundùm id quòd unigenitus

est non habet fratres. Secundùm id autem quòd primogenitus est fratres vocare dignatus est omnes qui post ejus & per ejus primatum in Dei gratiam renascimur per adoptionem filiorum Dei.

CAP. XL. *Quòd incarnatus filius de spiritu sancto & Maria virgine natus est.*

Qui natus est de spiritu sancto & Maria virgine. Bene confitemur quia Dominus noster Jesus Christus, qui de Deo Deus, natus est de spiritu sancto & virgine Maria, utraque substantia, divina scilicet atque humana, filius est unicus Dei patris omnipotentis, de quo procedit spiritus sanctus. Sed quomodo dicimus Christum natum de spiritu sancto, si non eum genuit spiritus sanctus? An quia fecit eum, quia Dominus noster Jesus Christus, in quantum Deus est, omnia per ipsum facta sunt, in quantum autem homo est, & ipse factus est, sicut Apostolus dicit: Factus ex semine David secundùm carnem. Sed quum illam creaturam quam virgo concepit & peperit, quamvis ad solam personam filii pertinentem, tota trinitas fecerit, neque enim separabilia sunt opera trinitatis, quur in ea facienda solus spiritus sanctus nominandus est? An & quando unus trium in aliquo opere nominatur universa opera trinitatis intelligitur? Ita verò est, & exemplis doceri potest. Sed non est in hoc diutiùs immorandum.

CAP. XLI. *Quòd filius cùm dicatur natus de spiritu sancto non sit omnino filius spiritus sancti.*

Illud movet quomodo dictum sit, *natus de spiritu sancto*, quum filius nullo modo sit spiritus sancti. Neque enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei filium, aut eum natum de Deo, sed factum vel creatum vel conditum vel institutum ab illo, vel si quid hujusmodi rectè possumus di-

cere. Hic ergo, quum confiteamur natum de ſpiritu ſancto & virgine Maria, quomodo non ſit filius ſpiritus ſancti & ſit filius virginis Mariæ, quum & de illo & de illa ſit natus, explicare difficile eſt. Procul dubio quippe non ſic de illo ut de patre, ſic autem de illa ut de matre natus eſt.

CAP. XLII. *Quòd non omne quod ex aliqua re naſcitur continuò ejuſdem rei filium nuncupari conceditur.*

Non igitur concedendum eſt quicquid de aliqua re naſcitur continuò ejuſdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam aliter de homine naſci filium, aliter capillum, pediculum, lumbricum, quorum nihil eſt filius. Ut ergo hæc omittam, quoniam tantæ rei deformiter comparantur, certè qui naſcuntur ex aqua & ſpiritu ſancto non aquæ filios eos rite dixerit quiſpiam, ſed planè dicuntur filii Dei patris & matris Eccleſiæ. Sic ergo de ſpiritu ſancto natus eſt filius Dei patris non ſpiritus ſancti. Nam illud quod de capillo & cæteris diximus ad hoc tantùm valet ut admoneamur non omne quod de aliquo naſcitur etiam filium ejus de quo naſcitur poſſe dici, ſicut non omnes qui dicuntur alicujus filii conſequens eſt ut etiam de illo nati eſſe dicantur, ſicut ſunt qui adoptantur. Dicuntur etiam filii gehennæ, non ex illa nati, ſed in illa præparati, ſicut filii regni præparantur in regnum. Quum itaque de aliquo naſcatur aliquid etiam non eo modo ut ſit filius, nec rurſus omnis qui dicitur filius de illo ſit natus cujus dicitur filius, profectò modus iſte quo natus eſt Chriſtus de ſpiritu ſancto non ſicut filius & de Maria virgine, ſicut filius inſinuat nobis gratiam Dei qua homo nullis præcedentibus meritis in ipſo exordio naturæ ſuæ quo eſſe cœpit verbo Deo copuletur in tantam perſonæ unitatem ut idem ipſe

esset filius Dei qui filius hominis, & filius hominis qui filius Dei, ac si in naturæ humanæ susceptione fieret quod amodo ipsa gratia illi homini naturalis quæ nullum peccatum posset committere. Quæ gratia propterea per spiritum fuerat significanda quia ipse propriè sic est Deus ut dicatur etiam Dei donum. Dono enim Dei, hoc est spiritu sancto, concessa est nobis tanta humilitas tanti Dei ut totum hominem, id est corpus, animam, & spiritum, suscipere dignaretur in utero virginis, maternum corpus integrum inhabitans, integrum deserens.

CAP. XLIII. *Quòd utrumque sexum salvaverit Christus vir nascendo de femina.*

Ideoque detestandi sunt illi qui eundem Dominum nostrum Jesum Christum matrem Mariam negant in terris habuisse, quum illa dispensatio utrumque sexum & masculinum & femininum honoraverit & ad curam Dei pertinere monstraverit.

CAP. XLIV. *Quòd virginis partus nihil injuriæ fecerit Christi divinitati.*

Non solùm quem suscepit * * sed tanquam Deum adorant per cloacarum fœtores & quæque horribilia usquequaque diffundi & in his operari secundùm naturam suam, nec tamen inde aliqua contaminatione sordescere, quum visibilis lux visibilibus sordibus sit natura conjunctior. Quanto minùs igitur poterat pollui verbum Dei non corporeum neque visibile de femineo corpore casto utique & mundissimo atque singulariter glorioso, ubi humanam carnem suscepit cum anima & spiritu; quibus intervenientibus habitat majestas verbi ab humani corporis fragilitate secretiùs. Unde manifestum est nullo modo potuisse verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana maculatur.

CAP. XLV. *De nomine & judicio Pontii Pilati.*

Pilatus os malleatoris, quia dum Christum ore suo & justificat & condemnat, more malleatoris utraque ferit. Quumque Judæorum consilium declinaverit, secundùm voluntatem tamen Judæorum judicium fieri permisit. Qui accepit aquam, & lavit manus, ut in lavacro manus ejus gentilium opera purgarentur, & ab impietate Judæorum, qui clamabant *Crucifige eum*, nos faceret alienos. Qui judex contra Deum cogitur ferre sententiam. Ille verò non damnat oblatum, sed arguit offerentes quodam modo contestans & dicens: Ego quidem innocentem volui liberare. Sed quoniam seditio oritur, ego minister legum sum. Vestra vox sanguinem fundit.

CAP. XLVI. *Quare mortem crucis Christus elegerit.*

Hic Jesus Dominus & redemptor noster, quum esset omnipotens, tam divitem se in misericordia demonstravit ut qui vita est vivificans omnia, humiliaret se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ideo verò mortem crucis elegit ut damnationem quam prævaricatio ligni in paradiso contraxerat crucis hujus patibulum [deleret.]

CAP. XLVII. *De sacramento crucis.*

Sacramentum autem crucis ita commendat Paulus quum dicit, *ut in caritate radicati & fundati possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum*, id est, crucem Domini, cujus latitudo ducitur in transverso ligno quo extenduntur manus, longitudo à terra usque ad ipsam latitudinem, quo & à manibus & infra totum corpus adfigitur, altitudo à latitudine sursum usque ad summum quo adhæret caput, profundum quod terræ infixum absconditur. Quo signo

crucis omnis actio Christiana describitur. In latitudine itaque bene operari in Christo, in altitudine sperare cælestia sacramenta non profanare, in profundo radicatos & fundatos in caritate consistere. Est ergo latitudo crucis actio boni operis, quæ per expansionem manuum demonstratur. Est latitudo crucis perseverantia bonæ actionis quæ per tolerantiam longanimitatis servat virtutem passionis. Est altitudo crucis spes futurorum bonorum, per quam sine profanationem * * * & radicati sunt immobiles & ad perseverantiam inter passiones & ad remunerationem propter veram spem.

CAP. XLVIII. *De sepultura Christi.*

Sepultura illa cùm creditur fit recordatio novi monumenti, quod resurrecturo ad vitæ novitatem præberet testimonium, sicut nascituro uterus virginalis. Nam sicut in illo novo monumento nullus alius mortuus sepultus est nec antè nec postea, sic in illo utero nec antea nec postea quicquam mortale conceptum est.

CAP. XLIX. *Quòd neque deitate, neque carne, sed in anima Christus descenderit in infernum.*

Descendit ad inferna. Cùm Christus tempore mortis suæ secundùm carnem fuerit in sepulchro, secundùm divinitatem fuerit ubique, quia cælum & terram ipse implet, & est lux quæ in tenebris lucet, quamvis eam tenebræ non comprehendant, restat quòd in anima descenderit in inferno; quia juxta humanam humilitatem per carnem, utique in sepulchro, per animam in inferno mortis suæ tempore fuit; per divinitatem verò incommutabilem nunquam de paradiso defuit, qui ubique præsens manet semper & mansit. Est autem sensus multò expeditior & à diversis ambiguitatibus liber, si non secundùm id quod homo erat, sed secundùm

id quod Deus erat Christus dixisse latroni accipiatur: *Hodie mecum eris in paradiso.* Homo quippe Christus illo die secundùm carnem in sepulchro, secundùm animam in inferno futurus erat. Deus verò idem ipse Christus ubique semper est. Est enim virtus & sapientia Dei, de qua scriptum est quòd attingat à fine usque ad finem fortiter & disponat omnia suaviter. Ubicunque sit ergo paradisus, quisquis beatorum ibi est, cum illo ibi est qui ubique est.

CAP. L. *De somno mortis & gloria resurrectionis Christi.*

Tertia die resurrexit vivus à mortuis, juxta quod dictum est: *Ego dormivi & quievi & resurrexi, quoniam Dominus suscitavit me:* id est, Dormivi in cruce somno mortis, quievi in sepulchro tempore triduanæ quietis. Surrexi vivus à mortuis in gloria resurrectionis. Et bene tertia die resurrexit, quia totius trinitatis virtute adsumptus & mortuus homo & suscitatus à morte, ipse primogenitus consecuturis fratribus, quos in adoptionem filiorum Dei vocavit, quos comparticipes & coheredes suos esse dignatus est, ut qui erat unigenitus natus ex Deo solus, esset primogenitus ex mortuis inter homines multos & dignaretur servos vocare fratres dicens: *Ite, dicite fratribus meis ut eant in Galileam. Ibi me videbunt.*

CAP. LI. *De ascensione in cælis corporis Christi. Et non quærendum ubi sit id ipsum corpus. Quæ cælorum latitudo promissa est fidelibus cunctis.*

Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Ubi & quomodo sit in cælo dominicum corpus curiosissimum & supervacuum est quærere. Tantummodo in cælo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cælorum secreta

discutere, sed & nostræ fidei de Domini corporis dignitate sublimia & honesta sentire; quem beatitudinis locum etiam nobis promisit dicens: ***Erunt sicut angeli in cælis in illa civitate quæ est mater omnium nostrum Hierusalem æterna in cælestibus.***

CAP. LII. *Quid sit sessio & dextera Dei.*

Credimus etiam quòd sedet ad dexteram patris. Nec idèo tamen quasi humana forma circumscriptum esse arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum & sinistrum latus animo occurrat, aut id ipsum quod sedere pater dicitur flexis poplitibus fieri putandum est, ne illud incidamus sacrilegium in quo execratur Apostolus eos qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Ad dexteram ergo intelligendum est dictum esse in summa beatitudine, ubi justitia, pax, & gaudium est, sicut ad sinistram hœdi constituuntur, id est in miseria, propter iniquitatis labores atque cruciatus. Sedere ergo quòd dicitur Deus, non membrorum positionem, sed judiciariam significat potestatem, quia illa majestas nunquam caret semper dignis digna distribuendo, quamvis extremo judicio multò manifestiùs inter homines unigeniti filii Dei judicis vivorum atque mortuorum claritas indubitata fulsura sit & veritas hominis aperta visura.

CAP. LIII. *Quid accipiendum est in vivis & mortuis quos judicare venturus est Christus.*

Inde venturus judicare vivos & mortuos. Istis nominibus sive justi & peccatores significantur, sive quos tunc ante mortem in terris inventurus est, appellati sunt vivi, mortui verò qui in ejus adventu resurrecturi sunt. Hæc dispensatio temporalis non tantùm est sicut illa generatio secundùm Deum, sed etiam fuit & erit. Nam sicut Dominus noster in terris,

terris, & nunc est in cælo, & erit in claritate venturus, judex vivorum atque mortuorum. Ita enim veniet sicut ascendit secundùm auctoritatem quæ Apostolorum actibus continetur, id est, in eadem veritate carnis & immutabilitate adsumpti hominis. Ex hac itaque temporali dispensatione loquitur in Apocalypsin, ubi scriptum est: *Hæc dicit qui est & qui fuit & qui futurus est.* De quibus vivis & mortuis judicandis non inconveniens alia quorundam sententia est, quæ ita dicit. Quod autem dicitur judicare vivos & mortuos, non quòd alii vivi, alii mortui ad judicium veniant, sed quòd animam simul judicabit & corpora; in quibus vivos animas, mortuos corpora nominavit, sicut & ipse Dominus in evangelio dicit: *Nolite timere eos qui corpus occidere possunt, animæ verò nihil possunt facere. Sed timete potiùs eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam.*

Cap. LIV. *Quòd interposita dispensatio adsumpti hominis paulò longiùs reddidit commemorationem spiritus sancti ab ordine trinitatis.*

Credo in sanctum spiritum. Hæc quæ in superioribus paulò latiùs de Christo sunt tradita ad incarnationis & passionis ejus mysterium pertinent: quæ dum media intercedunt personæ ipsius coaptata, sancti spiritus commemorationem paulò longiùs reddiderunt. Cæterùm si solius divinitatis ratio habeatur eo modo quo in principio dicitur, *Credo in Deum patrem omnipotentem & in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum*, ita jungitur & *spiritum sanctum.* Illa verò omnia quæ de Christo memorantur ad dispensationem carnis, ut diximus, spectant. Igitur in sancti spiritus commemoratione adimpletur mysterium trinitatis.

CAP. LV. *Quòd spiritus sanctus Deus est ex patre filioque procedens.*

Spiritus sanctus ideo prædicatur Deus quia ex patre filioque procedit & substantiam eorum habet. Neque enim aliud de patre procedere potuit quàm quod ipse est pater, id est Deus.

CAP. LVI. *Quare dicatur spiritus.*

Spiritus sanctus autem dictus secundùm id quod aliquid refertur spirans. Et spirans utique spiritu spirans est, & ex eo appellatus spiritus est. Proprio autem modo quodam dicitur spiritus sanctus secundùm quod refertur ad patrem & filium, quòd eorum spiritus sit. Nam & hoc nomen quod spiritus dicitur non semper secundùm id est quod refertur ad aliquid, sed secundùm id quod aliquam naturam significat. Omnis enim incorporea natura spiritus in scripturis sacris appellatur. Unde non tantùm patri & filio & spiritui sancto, sed omni rationali creaturæ & animæ hoc vocabulum congruit.

CAP. LVII. *Quare dicatur spiritus sanctus.*

Ideo spiritus Dei sanctus vocatur quia patris & filii sanctitas est. Nam cùm sit & pater spiritus & filius spiritus, & pater sanctus & filius sanctus, propriè tamen ipse vocatur spiritus sanctus tanquam sanctitas coëssentialis & consubstantialis amborum.

CAP. LVIII. *Quòd spiritus sanctus nec genitus dicitur nec ingenitus, sed procedens tantùm.*

Spiritus sanctus ideo non dicitur genitus, ne duo in trinitate filii suspicentur. Ideo non prædicatur ingenitus, ne duo patres in ipsa trinitate credantur. Procedens autem dicitur testimonio Domini dicentis: *Multa adhuc habeo quæ vobis loquar. Sed non potestis illa audire modò. Veniet autem spiritus veritatis, qui à patre procedet, & de meo accipiet. Ille*

vobis indicabit omnia. Hic autem non solùm natura procedit, sed semper ad peragenda opera trinitatis indesinenter procedit.

CAP. LIX. *Quid interest inter nascentem filium & procedentem spiritum sanctum.*

Hoc interest inter nascentem filium & procedentem spiritum sanctum quòd filius ex uno nascitur, spiritus sanctus ex utroque procedit. Et ideo dicit Apostolus: *Qui autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

CAP. LX. *Quòd spiritus sanctus ex opere angelus dicatur.*

Spiritus sanctus ex opere etiam angelus intelligitur. Dictum est enim de illo: *Et quæ ventura sunt adnuntiabit vobis.* Et utique angelus Græcè & Latinè nuntius interpretatur. Unde & duo angeli apparuerunt Loth in quibus Dominus singulariter appellatur, quos intelligimus filium & spiritum sanctum. Nam pater nunquam legitur missus.

CAP. LXI. *Quare spiritus sanctus paraclitus vocetur.*

Spiritus sanctus quòd dicitur paraclitus à consolatione dicitur. Paraclisis enim Latinè consolatio appellatur. Christus enim eum Apostolis lugentibus misit, postquam ab eorum oculis ipse in cælum ascendit. Consolator enim tristibus mittitur secundùm illam ejusdem Domini sententiam: *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.* Ipse etiam dixit: *Tunc lugebunt filii sponsi quum ab eis ablatus fuerit sponsus.* Item paraclitus pro eo quòd consolationem præstat animabus quæ gaudium temporale amittunt. Alii paraclitum Latinè oratorem vel advocatum interpretantur. Ipse enim spiritus sanctus dicit, ipse docet, per ipsum datur sermo sapientiæ, ab ipso sancta scriptura inspirata est.

CAP. LXII. *Quare ſpiritus ſanctus ſeptiformis dictus.*

Spiritus ſanctus ideo ſeptiformis nuncupatur propter dona quæ de unita ejus plenitudine particulatim quique, ut digni ſunt, conſequi promerentur. Ipſe enim ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, ſpiritus timoris Dei.

CAP. LXIII. *Quòd ad trinitatem refertatur ſpiritus rectus, ſpiritus ſanctus, & ſpiritus principalis.*

Spiritus autem principalis in pſalmo quinquageſimo legitur; ubi quia tertiò ſpiritus repetitur, nonnulli trinitatem intellexerunt, ideo quia ſcriptum eſt, *Deus ſpiritus eſt.* Quod enim non eſt corpus, & tamen eſt, videtur reſtare ut ſpiritus ſit. Intelligunt ergo ibi nonnulli trinitatem ſignificari, in ſpiritu principali patrem, in ſpiritu recto filium, in ſpiritu ſancto ſpiritum ſanctum.

CAP. LXIV. *Quare ſpiritus ſanctus donum dicitur.*

Sanctus ſpiritus ideo donum dicitur eò quòd datur. A dando enim donum eſt nuncupatum. Notiſſimum eſt enim Dominum Jeſum Chriſtum, quum poſt reſurrectionem à mortuis aſcendiſſet in cælum, dediſſe ſpiritum ſanctum, quo credentes impleti linguis omnium gentium loquebantur. In tantum autem donum Dei eſt in quantum datur eis qui per eum diligunt Deum. Apud ſe autem Deus eſt. Apud nos autem donum eſt. Sed ſempiternè ſpiritus ſanctus donum eſt, diſtribuens ſingulis prout vult gratiarum dona. Nam & prophetias quibus vult impertit, & peccata quibus volet dimittit. Nam peccata ſine ſpiritu ſancto non donantur.

CAP. LXV. *Quare ſpiritus ſanctus caritas & gratia nuncupetur.*

Spiritus ſanctus inde propriè caritas nuncupatur,

vel quia naturaliter eos à quibus procedit conjungit & se unum cum eis esse ostendit, vel quia in nobis id agit ut in Deo maneamus & ipse in nobis. Unde & in donis Dei nihil majus est caritate, & nullum est majus donum Dei quàm spiritus sanctus. Ipse est & gratia, quæ, quia non meritis nostris, sed voluntate divina gratis datur, inde gratia nuncupatur. Sicut autem unicum Dei verbum propriè vocamus nomine sapientiæ, quum sit universaliter & spiritus sanctus & pater ipsa sapientia, ita spiritus sanctus propriè nuncupatur vocabulo caritatis, quum sit & pater & filius universaliter caritas.

CAP. LXVI. *Quare spiritus sanctus Dei digitus dicatur.*

Spiritus sanctus digitus Dei esse in libris evangelii apertissimè declaratur. Cùm enim unus ex Evangelistis dixerit, *In digito Dei ejicio dæmonia*, aliùs hoc ita dixit: *In spiritu Dei ejicio dæmonia.* Unde & digito Dei scripta lex est data die quinquagesimo ab occisione agni. Et die quinquagesimo venit spiritus sanctus à passione Domini nostri Jesu Christi. Ideo autem dicitur digitus ut ejus operatoria virtus cum patre & filio significetur. Unde & Paulus ait: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Sicut autem per baptismum in Christo morimur & renascimur, ita spiritu signamur. quod est digitus Dei & spiritale signaculum.

CAP. LXVII. *Quare spiritus sanctus in columbæ specie venisse testatur.*

Spiritus sanctus ideo in columbæ specie venisse scribitur ut natura ejus per avem simplicitatis & innocentiæ declararetur. Unde & Dominus, *Estote*, inquit, *simplices sicut columbæ.* Hæc enim avis corporaliter ipso felle caret, habens tantùm innocentiam & amorem.

CAP. LXVIII. *Quare spiritus sanctus ignis nomine appelletur.*

Spiritus sanctus ideo nomine ignis appellatur propter quod in Apostolorum actibus per divisionem linguarum ut ignis apparuit, qui & insedit super unumquemque eorum. Propterea autem diversarum linguarum gratiam Apostolis dedit ut idonei efficerentur fidelium eruditione populorum. Quòd verò supra singulos sedisse memoratur, id causa est ut intelligatur per plures non fuisse divisus, sed mansisse in singulis totus, sicut ferè ignibus mos est. Hanc enim habet naturam ignis accensus ut quanti ad eum, quanti ad crinem purpuræ splendoris aspexerint, tantis visum suæ lucis impertiat, tantis ministerium sui muneris tribuat, & ipse nihilominus in sua integritate permaneat.

CAP. LXIX. *Quare spiritus sanctus aqua nomine dicatur.*

Spiritus sanctus nomine aquæ appellatur in evangelio, Domino clamante & dicente: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus.* Evangelista autem exposuit unde: *Hoc enim dicebat de spiritu quem accepturi erant credentes in eum.*

CAP. LXX. *Quòd aliud sit aqua sacramenti, aliud aqua spiritus sancti.*

Sed quæ significat spiritum Dei. Aqua enim sacramenti visibilis est. Aqua spiritus invisibilis est. Ista abluit corpus & significat quod fit in anima. Per illum autem spiritum sanctum ipsa anima mundatur & saginatur.

CAP. LXXI. *Quare spiritus sanctus unctio dicatur.*

Spiritus sanctus ideo unctio dicitur, Johanne adtestante Apostolo, quia sicut oleum naturali pondere superfertur omni liquori, ita in principio su-

perferebatur ſpiritus ſanctus aquis. Unde & Dominus oleo exultationis hoc eſt ſpiritu ſancto fuiſſe legitur unctus. Sed & Johannes Apoſtolus ſpiritum ſanctum unctionem vocat dicens : *Et vos*, inquit, *unctionem quam accepiſtis ab eo permaneat in vobis, & neceſſe non habetis ut aliquis doceat vos, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omni re.* Ipſe eſt enim ſpiritus ſanctus unctio inviſibilis.

CAP. LXXII. *Quòd ideo ſancta Eccleſia creditur quia in illa dilectio proximi demonſtratur.*

Sanctam Eccleſiam catholicam. Hæc fides eſt de Deo conditore & de renovatore noſtro, de qua uſque hactenus eſt tractatum. Sed quoniam dilectio non tantùm in Deum nobis imperata eſt, cùm dictum eſt, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota mente tua*, ſed etiam in proximum. Nam *diliges*, inquit, *proximum tuum tanquam te ipſum.* Niſi autem iſta fides congregationem ſocietatemque hominum teneat, in qua fraterna caritas operetur, minùs fructuoſa eſt, credimus & ſanctam Eccleſiam utique catholicam.

CAP. LXXIII. *De nomine Eccleſiæ catholicæ.*

Eccleſia Græcum eſt, quod in Latinum vertitur convocatio, propter quòd omnes ad ſe vocet. Catholica univerſalis, καθόλου, id eſt ſecundùm totùm. Non enim ſicut conventicula hæreticorum in aliquibus regionum partibus coarctatur, ſed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur. Quod etiam Apoſtolus adprobat ad Romanos dicens : *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis quia fides veſtra adnuntiatur in univerſo mundo.* Hinc & univerſitas ab una cognominata eſt propter quod in unitatem colligitur. Unde Dominus in evangelio : *Qui mecum non colligit ſpargit.* id eſt. Qui in unitatem meam non colligitur à me diviſus, in diſperſionis perditione diſſipatur.

CAP. LXXIV. *Quare Ecclesiæ, cùm una sit, septem scribantur.*

Quur autem Ecclesiæ, cùm una sit, septem scribantur, nisi ut una catholica septiformi plena spiritu designetur, sicut & de Domino novimus dixisse Salomonem: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Quæ tamen septem una esse non ambiguntur, dicente Apostolo: *Ecclesia Dei vivi, quæ est columna & firmamentum veritatis.*

CAP. LXXV. *Unde inchoavit Ecclesia, vel quare dicatur Sion vel Hierusalem.*

Inchoavit autem Ecclesia à loco ubi venit de cælo spiritus sanctus & implevit uno loco sedentes. Peregrinatione autem præsenti Ecclesia Sion dicitur eò quòd in hujus peregrinationis longitudine posita promissionem rerum cælestium speculatur. Et idcirco Sion, id est speculatio, nomen accepit. Pro futuræ verò patriæ pace Hierusalem vocatur. Nam Hierusalem pacis visio interpretatur. Ibi enim absorta omni adversitate pacem, quæ est Christus, præsenti possidebit obtutu.

CAP. LXXVI. *Quid distit inter Ecclesiam & synagogam.*

Synagoga Græcè congregatio dicitur. Quod proprium nomen Judæorum populus tenuit. Ipsorum enim propriè synagoga dici solet. Quamvis & Ecclesia dicta sit. Nostram verò Apostoli nunquam synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam, sive discernendi causa, sive quòd inter congregationem, unde synagoga, & convocationem, unde Ecclesia nomen accepit, distat aliquid, quòd scilicet congregari & pecora solent quorum & greges propriè dicimus. Convocari autem majus est utendum ratione, sicut sunt homines.

CAP. LXXVII. *Quòd in Ecclesiam sanctam spiritus sanctus novum & vetus testamentum plenissimè inspiravit.*

In quam sanctam Ecclesiam spiritus sanctus in veteri testamento legem & prophetas, in novo evangelium & Apostolos inspiravit. Unde & Paulus dicit: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.* Et ideo quæ sint novi ac veteris instrumenti volumina, quæ secundùm majorum traditionem per eundem sanctum spiritum inspirara creduntur, & Ecclesiis Christi tradita esse noscunrur, competit in hoc loco evidenti numero, sicut ex patrum monumenris accepimus, designare.

CAP. LXXVIII. *Quæ auctoritas scripturarum in Ecclesiis primùm sit sequenda.*

In ipsis autem canonicis scripturis Ecclesiarum catholicarum illa plurimùm auctoritas est sequenda. Inter quas sanè illæ sint quæ apostolicas sedes habere & epistolas accipere meruerunt. Tenebitur igitur hic modus in scripturis sanctis canonicis ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis præponantur eis quas quidam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus præponantur eæ quas plures gravioresque accipiunt eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem aliæ inveniantur à pluribus, aliæ à gravioribus haberi, quamquam hoc inveniri non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.

CAP. LXXIX. *Qui libri continentur in canone utriusque testamenti.*

Totus autem canon scripturarum in quo jam considerationem versandam dicimus his libris continetur, quinque Moysi, id est, Genesi, Exodo, Levitico, Numeri, Deuteronomio, & uno libro Je-

ſu Nave, uno Judicum, uno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad regnorum principium videtur pertinere, deinde quatuor regnorum, & duobus paralipomenon non conſequentibus, ſed quaſi à latere adjunctis ſimulque pergentibus. Hæc eſt hiſtoria quæ ſibimet adnexa tempora continet atque ordinem rerum. Sunt aliæ tanquam ex diverſo ordine quæ neque huic ordini neque inter ſe convertuntur, ſicut eſt Job & Thobias & Eſther & Judith & Maccabæorum libri duo & Eſdræ duo, qui magis ſubſequi videntur ordinatam illam hiſtoriam uſque ad regnorum vel paralipomenon terminatam. Deinde prophetæ, in quibus David unus liber pſalmorum, Salomonis tres, proverbia, cantica canticorum, & Eccleſiaſtes. Nam illi duo libri, unus qui ſapientia, & alius qui Eccleſiaſticus ſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur. Nam Jeſus filius Syrac eos conſcripſiſſe conſtantiſſimè perhibetur. Qui tamen, quoniam in divina auctoritate recipi meruerunt, inter propheticos numerandi ſunt. Reliqui ſunt eorum libri qui propriè prophetæ appellantur, duodecim prophetarum libri ſinguli, qui connexi ſibimet, quoniam nunquam ſejuncti ſunt, pro uno habentur. Quorum prophetarum nomina ſunt hæc. Oſee, Johel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Naum, Abbacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor prophetæ ſunt majorum voluminum, Eſaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris teſtamenti veteris terminatur auctoritas. Novi autem quatuor libris evangelii ſecundùm Matthæum, ſecundùm Marcum, ſecundùm Lucam, ſecundùm Johannem, quatuordecim epiſtolis Apoſtoli Pauli, ad Romanos una, ad Corinthios duabus, ad Galatas una, ad Epheſios una, ad Philippenſes una, ad Theſſa-

Ionicenses duabus, ad Colossenses una, ad Timotheum duabus, ad Titum una, ad Philemonem una, ad Hebræos una, Petri duabus, tribus Johannis, una Judæ, & una Jacobi; actibus Apostolorum libro uno, & Apocalypsin Johannis libro uno.

CAP. LXXX. *Quòd omnes sanctæ auctoritatis libri vel memoria tenendi sunt vel omnino incogniti non habendi.*

In his omnibus libris timentes Deum & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei. Cujus operis & laboris prima observatio est nosse istos libros, etsi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere.

CAP. LXXXI. *De remissione peccatorum.*

Remissionem peccatorum. Bene post commemorationem nostræ Ecclesiæ in ordine confessionis ponitur remissio peccatorum. Per hanc enim stat Ecclesia quæ in terris est. Per hanc non periit quod perierat & inventum est. Excepto quippe baptismatis munere, quod contra peccatum originale donatum est, ut quod generatione adtractum est regeneratione detrahatur, activa quoque peccata, quæcunque corde, ore, opere, cogitatione, sermone commissa invenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus & ingeneratus & additus, ipsa etiam vita cætera jam ratione utentis ætatis, quantalibet præpolleat fœcunditate justitiæ, sine peccatorum remissione non agitur; quoniam filii Dei, quandiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis sit veraciter dictum quòd qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei, sic tamen spiritu Dei excitantur & tanquam filii Dei proficiunt ad Deum ut etiam

ſpiritu ſuo maximè adgravante, corruptibili corpore, tanquam filii hominis, in quibuſdam humanis motibus deficiant ad ſe ipſos, & ideo peccent. Intereſt quidem quantum. Neque enim quia peccatum eſt omne crimen, ideo etiam crimen eſt omne peccatum. Itaque ſanctorum hominum vitam, quandiu in hac morte vivitur, inveniri poſſe dicimus ſine crimine. *Peccatum autem ſi dixerimus quia non habemus*, ait ſanctus Apoſtolus, *nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Sed neque de ipſis criminibus, quamlibet magnis, remittendis in ſancta Eccleſia Dei miſericordia deſperanda eſt agentibus pœnitentiam ſecundùm modum ſui cujuſque peccati.

CAP. LXXXII. *Quòd in actione pœnitentiæ non conſideranda eſt menſura temporis, ſed doloris, quòdque non niſi in Eccleſia poſſunt remitti peccata.*

In actione autem pœnitentiæ, ubi tale commiſſum eſt ut is qui commiſit à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Verùm quia plerunque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, nec in aliorum notitia per verba vel quæcunque alia ſigna procedit, cùm ſit coram illo cui dicitur, *Gemitus meus à te non eſt abſconditus*, rectè conſtituuntur ab his qui præſunt Eccleſiis tempora pœnitentiæ, ut fiat ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata. Extra eam quippe non remittuntur. Ipſa enim propriè ſpiritum ſanctum pignus accepit, ſine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus dimittuntur vitam conſequantur æternam.

CAP. LXXXIII. *De evidenti carnis resurrectione.*

Carnis resurrectionem, & vitam æternam. Hæc visibilis quæ propriè dicitur caro sine dubitatione credenda est resurgere. Videtur enim Paulus Apostolus eam tanquam digito ostendere quum dicit: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Qui enim dicit *hoc* in eam quasi digitum intendit. Quod autem visibile est digito ostenditur, quoniam posset etiam anima corruptibilis dici. Nam vitiis morum ipsa corrumpitur. *Et mortale hoc induere immortalitatem* quum legitur, eadem significatur visibilis caro, quia in eam identidem velut digitus intenditur. Potest enim & anima sicut corruptibilis propter morum vitia ita etiam mortalis dici. Mors quippe animæ est apostatare à Deo. Quod primum ejus peccatum in paradiso sacris litteris continetur. Resurget igitur corpus secundùm Christianam fidem, quæ fallere non potest.

CAP. LXXXIV. *Quòd in resurrectione nihil pereat de humana carne, sed quodcunque in quamlibet perditionem dispersum extiterit vel consummatum, totum ad illam animam redeat quæ hanc cùm viveret animavit.*

Non autem perit Deo terrena materies de qua mortalium creatur caro. Sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium aut etiam hominum cibum cedat carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit quæ illam primitus ut homo fieret, cresceret, viveret animavit.

CAP. LXXXV. *Quòd omnipotens Deus mirabiliter atque ineffabiliter ex toto quo caro constat eam in resurrectione mirabili celeritate restituat. De exemplo quoque statuæ solubilis metalli, qua quomodo resurrectio fieri possit monstratur.*

Ipsa itaque terrena materies quæ discedente anima fit cadaver non ita resurrectione separabitur ut ea quæ dilabuntur & in alias atque alias aliarum rerum species formasque vertantur, quamvis ad corpus redeant unde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt redire necesse est. Alioquin si capillis capitis reddit quod tam crebra tonsura detraxit, si unguibus quod totiens demsit exsectio immoderata & indecens, cogitantibus, & ideo resurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cujuslibet solubilis metalli aut igne liquesceret, aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad ejus integritatem quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerat restituta resumeret, ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex de toto quo caro nostra constiterat eam mirabili & ineffabili celeritate restituet; nec aliquid attinebit ad ejus redintegrationem utrum capilli ad capillos redeant & ungues ad ungues, an quod eorum perierat mutetur in carnem & in partes aliàs corporis revocetur, curante artificis providentia ne quid indecens fiat.

CAP. LXXXVI. *De diversitate status & macie vel pinguedine corporum humanorum in qua sancta corpora hoc solum quod decebit habebunt.*

Nec illud est consequens ut ideo diversa statura sit reviviscentium singulorum quia fuerat diversa viventium, aut macri cum eadem macie aut pingues cum eadem pinguedine reviviscant. Sed si hoc est in consilio creatoris ut in effigie sua cujusque proprietas & discernibilis similitudo servetur, in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur, ita modificabitur illa in unoquoque materies ut nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuerit ille suppleat qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum quibus cantus impletur, hoc fiet cuique de materie corporis sui quod & hominem reddat angelicis cœtibus & nihil inconveniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit. Sed quicquid futurum est hoc decebit, quia nec futurum est si non decebit.

CAP. LXXXVII. *Quòd sanctorum corpora spiritalia resurgent, non tamen spiritus erunt.*

Resurgent igitur sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas quanta felicitas erit. Propter quod spiritalia dicta sunt, cùm proculdubio corpora futura, non spiritus, sint. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima est, ita tunc spiritale corpus erit, corpus tamen, non spiritus, erit. Proinde, quantum attinet ad corruptionem quæ nunc aggravat animam

& vitia quibus caro adversùs ſpiritum concupiſcit; tunc non erit caro, ſed corpus, quia & cæleſtia corpora perhibentur. Propter quod dictum eſt: *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.* Et tanquam exponens quid dixerit, *neque corruptio*, inquit, *incorruptionem poſſidebit.* Quod priùs dixit *caro & ſanguis*, hoc poſtea dixit *corruptio*, & quod priùs *regnum Dei*, hoc poſteriùs *incorruptionem.* Quantum autem attinet ad ſubſtantiam, etiam tunc caro erit propter ** & poſt reſurrectionem corpus Chriſti quod appellata eſt. Sed ideo, ait Apoſtolus, *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale*; quoniam tanta erit tunc concordia carnis & ſpiritus vivificante ſpiritu ſine ſuſtentaculi alicujus indigentia ſubditam carnem ut nihil nobis repugnet ex nobis, ſed ſicut foris neminem, ita nec intus nos ipſos patiamur inimicos.

CAP. LXXXVIII. *Quòd reproborum corpora reſurgent quidem, ſed cum vitiis & deformitatibus ſuis, perenniter punienda.*

Quicunque verò ab illa perditionis maſſa quæ facta eſt per hominem primum non liberantur per unum mediatorem Dei & hominum, reſurgent quidem etiam ipſi, unuſquiſque cum ſua carne, ſed ut cum diabolo & ejus angelis puniantur. Utrum ſanè ipſi cum vitiis & deformitatibus ſuorum corporum reſurgant quæcunque in eis vitioſa & deformia membra geſta ſunt in requirendo laborare quid opus eſt. Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo quarum erit certa & ſempiterna damnatio. Nec moveat quomodo in eis erit corpus incorruptibile, ſi dolere poterit. Non eſt enim vera vita niſi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio niſi ubi

ſolus

salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non finitur, ut ita dicam, mors ipsa non moritur; & ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur. Hæc in sanctis scripturis secunda mors dicitur; nec prima tamen, qua suum corpus anima relinquere cogitur, nec secunda, qua pœnale corpus anima relinquere non permittitur, homini accidisset, si nemo peccasset.

CAP. LXXXIX. *Quòd mitior pœna erit soli originali peccato & minimo actuali.*

Mitissima sanè omnium pœna erit eorum qui præter peccatum quod originale traxerunt nullum insuper addiderunt, & in cæteris quæ addiderunt, tanto quisque ibi tolerabiliorem habebit damnationem quanto hic minorem habuit iniquitatem.

CAP. XC. *Quòd à morte usque ad resurrectionem animæ in abditis receptaculis teneantur vel requie vel ærumna.*

Tempus autem quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est animas abditis receptaculis contineri, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumna pro eo quod sortita est in carne quum viveret.

CAP. XCI. *Quomodo defunctorum animabus viventium oblationes & eleemosynæ vel prosint vel minimè prosperentur.*

Neque verò negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt qui cùm viverent ut hæc sibi postea possent prodesse meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus ut non requirat ista per mortem, nec tam malus ut non ei prosint ista post mortem. Est verò talis in bono ut ista non requirat. Et est rursus ta-

lis in malo ut nec his valeat, cùm hæc vita transierit, adjuvari.

CAP. XCII. *Quòd vita æterna sit gratia Dei, stipendium verò mortis peccatum.*

Vita æterna, quæ merces est operum bonorum, gratiam Dei commendat Apostolus. *Stipendium*, inquit, *peccati mors. Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* Stipendium operæ militiæ debitum redditur, nòn donatur. Ideo dixit, *stipendium peccati mors*, ut mortem peccato non immeritò inlatam, sed debitam, demonstraret. Gratia verò, nisi gratia est, gratia non est. Intelligendum est igitur etiam ipsius hominis bona merita esse Dei munera; quibus cùm vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?

CAP. XCIII. *Quòd in hac vita comparetur quo possit post hanc vitam quisque vel relevari vel aggravari.*

Quocirca hic omne meritum comparatur quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo autem speret quod hic neglexit cùm obierit Deum. Ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia illi apostolicæ sunt adversa sententiæ qua dictum est: *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum.* qui etiam hoc meritum sibi quisque, cùm in corpore viveret, & comparavit ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore.

CAP. XCIV. *Quid agant sacrificia & eleemosynæ pro baptizatis defunctis oblata.*

Cùm ergo sacrificia sive altaris sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omni-

bus offerantur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

CAP. XCV. *Quòd post resurrectionem impleto judicio permanebunt singulæ civitates in angelis & hominibus Christi in gloriam æternam, zabuli in damnationem perpetuam.*

Post resurrectionem verò, facto universo impletoque judicio, suos fines habebunt civitates duæ, una Christi, altera diaboli, una bonorum, altera malorum, utraque tamen & angelorum & hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit esse ulla peccandi vel ulla conditio moriendi; istis in æterna vita verè feliciterque viventibus, illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus; quoniam utrique sine fine. Sed in beatitudine est alius alio præstabilius. In miseria verò illi alius, alio tolerabiliùs permanebunt. Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est alienatio à vita Dei, & omnibus erit ipsa communis, quælibet homines de varietate pœnarum, de dolorum relevatione vel intermissione pro suis humanis moribus suspicentur, sicut manebit communiter omnium vita æterna sanctorum, qualibet honorum distantia concorditer fulgeant. Hæc est fides quæ paucis verbis tenenda in symbolo novellis Christianis datur. Quæ pauca verba fidelibus nota sunt, ut credendo subjugantur Deo, subjugati rectè vivant, rectè vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt intelligant.

CAP. XCVI. *De reliquis causis ad regulam veræ fidei pertinentibus.*

Post apostolicum symbolum & ea quæ de patre & filio atque spiritu sancto secundùm ineffabilem deitatis naturam atque etiam secundùm dispensationem temporalem de incarnatione Christi sunt dicta, hæc item fidei sunt congrua pari credulitatis virtute tenenda. Quòd novi & veteris testamenti sit unus Deus. Quæ duo testamenta salubriter divina commendat auctoritas, illud per prophetiam, istud per historiam veraciter persolutum. Quòd neque de Deo neque de creaturis cum gentilibus vel hæreticis aut schismaticis sit aliquid sentiendum in his quæ à veritatis fide dissentiunt, sed quod utrumque testamentum per divinum commendat eloquium hoc solummodò sentiendum. Quòd cælum & terram & mare & omnia quæ sunt in eis nulla necessitate creaverit Deus, nec omnino ullam esse visibilem atque invisibilem substantiam quæ aut sit Deus aut non sit à bono Deo creata, sed Deus summum & incommutabile bonum, creatura verò inferiùs & mutabiliter bona. Quòd angelorum vel animæ natura non sit pars divinæ substantiæ, sed Dei creatura ex nihilo condita, & quia ad imaginem Dei creata, ideo incorporea. Ipsius verò animæ natura habetur incerta. Quòd pietas morum omnimodo sit tenenda, sine qua fides divini cultus otiosa torpet, & cum qua divini cultus integritas perfecta consistit. Quòd Deus propter se ipsum diligendus sit, proximus verò in Deum, inimicus autem propter Deum, ut à Deo incipiens dilectio per proximum proficiat, & usque ad inimicum proficiendo perveniat, sicque dum per proximum provecta ad inimicum pervenerit, in Deo plena consistat. Quòd alter alterius pollui peccato non possit ubi voluntatis puræ consensio non tene-

tur. Quòd legitimæ nuptiæ non credendæ sunt esse damnandæ, quamvis ex eis obnoxia originali peccato credatur nasci progenies. Quibus tamen fidelium virginum vel continentium præferenda jure doceatur integritas. Quòd pœnitentiæ remediis non egere putandum non est pro excessibus cotidianis humanæ fragilitatis sine quibus in hac vita esse non possumus, ita ut fructuosa pœnitentiæ compunctione universa confiteamur deleri peccata, sicut spiritus Dei docet: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum.* Quòd nullus hominum suis viribus, sed per gratiam divinam, suo capiti, quod est Christus, possit subjungi atque indisruptæ pacis perseverantia in unitate ipsius Ecclesiæ solidari. Quòd humanæ voluntatis arbitrio nihil boni posse æstimandum est deputari, sed secundùm propositum voluntatis Dei omnem numerum electorum adquiri. Quòd bona temporalia bonis malisque communia à Deo creata ejus dispositione singulis quibusque vel negentur vel tribuantur providentia dispositionis ejus administrante; quorum bonorum in unoquoque fidelium non habitus, sed usus, vel improbandus est vel probandus. Quòd certè æterna bona soli possint boni in futuro consequi, quorum bonorum pignore Ecclesiam nunc informatam credimus detineri habentem hic spiritus primitias, in futuro perfectionem, hic in spe sustentari, illic in re postea satiari, hic videre per speculum in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem, cùm fuerit ad speciem perducta per fidem. Quod bonum donec perficiatur in nobis ut fruamur plenitudine summi Dei suavitate fruendum in Deo noverimus & proximis. Et quòd hanc spem resurrectionis debemus habere, ut eadem veritate carnis qua Dominus resurrexit à mortuis nos

quoque resurrecturos esse credamus in eodem corpore in quo sumus vel vivimus, non naturam aut sexum mutantes, sed tantùm fragilitatem & vitia deponentes. Quòd Satanas cum angelis suis atque cultoribus æterno sit incendio condemnandus, neque aliquando ad pristinam id est angelicam dignitatem, ex qua propria ceciderunt impietate, secundùm quorundam sacrilegam disputationem posse reduci. Hæc est traditionis catholicæ vera integritas fidei; de qua si unum aliquid renuatur, totius fidei robur amittitur.

CAP. XCVII. *Quòd post symbolum veniatur ad fontem.*

Digestis cunctis his quæ tam ad unius sanctæ fidei regulam pertinent quàm illis quæ eidem fidei plena stabilitate cohærentia comprobantur, quibus post catecuminum instrui convenit competentem, venitur ad fontem quasi ad mare rubrum, ut qui servierant in Ægypto sub Pharaone principe, luto & lateribus palearum levitate confectis, id est, qui hærebant mundo zabulo imperante in terrenis actibus malarum cogitationum admixtione concretis, duce Christo, quasi duce Moyse, possint ad liberationem sui quantocius pervenire.

CAP. XCVIII. *Quòd homo in mundo ità servit principi mundi sicut Israël servivit in Ægypto Pharaoni.*

Itaque sub Ægyptio Rege luto, paleis, & lateribus in eorum ædificiis qui sua liberatione peribunt afficitur Israël, sic demum sub principe mundi homo ante baptismum per levitatem immundæ cogitationis cutibus luteis adducitur, formans maceriam nequissimæ actionis; in qua dum conversatur & libitu malæ utitur voluptatis, & jugo premitur noxiæ servitutis.

CAP. XCIX. *Quid significent nubes & columna quæ præcesserunt populum salvandum.*

Jam tunc nocte in columna ignis & per diem in columna nubis Dominus videtur præcedens populum dux factus itineris. Eadem nubes præcedens Christus est, qui etiam & columna, quia rectitudo & firmitas & sustentatio est nostræ infirmitatis, non per diem sed per noctem lucens, ut qui non vident videant, & qui vident cœci fiant, id est, ut ignorantia humilis inlustretur, & inflans scientia obscuretur. Item aliter. Christi sacramentum tanquam in die manifestum est in carne velut in nube, in judicio verò tanquam in terrore nocturno, quia tunc erit magna tribulatio sæculi tanquam ignis, & lucebit justis, & ardebit injustis. Item aliter. In igne terror est, in nube visionis lene blandimentum. Dies vita justi & nox accipitur vita peccatoris. In die ergo per nubem columna monstrata est, & in nocte per ignem, quia omnipotens Deus & blandus justis & terribilis apparebit injustis. Istos in judicio veniens per lenitatis mansuetudinem demulcet, illos per justitiæ districtionem terret. Item aliter. Quid est quòd columna nubis in die populum præibat, & splendor ignis non in die sed in nocte radiabat, nisi quia redemtor noster suo conversationis exemplo ducatum se sequentibus præstans, de justitia sua confitentibus nulla luce claruit, peccatorum suorum tenebras agnoscentibus igne sui amoris infulsit.

CAP. C. *Quomodo per columnam subsequentem & præcedentem liberum arbitrium ostenditur regi per gratiam prævenientem & subsequentem misericordiam Dei.*

Attendendum sanè est quomodo vel in nos vel in

his qui renascuntur per nos liberum arbitrium sine Dei gratia nihil boni possit. Nam ecce salvandum populum columna præcedens dimittit priora post tergum, & stat inter castra Ægyptiorum & castra Israël, obsistendo illis, prosperando istis, significans in eo quòd primum præcessit præveniente gratia nolenti homini bene velle esse collatum, in eo quòd à tergo posteriora tuetur per subsequentem misericordiam adjuvari posse cœpta perficere & implere postrema servando. Illic columna iter liberationis ostendens præcessit populum, hic gratia prævenit liberum arbitrium. Illic columna tuetur extrema, hic misericordia subsequitur infirma. Illic quæsitum est ut liberarentur qui perire nolunt. Hic datur ut nolentes bene velint. Illic pavor affertur dum à tergo hostibus obviatur. Hic subsequens misericordia occurrit dum infirmitas adjuvatur. Nam nisi & præiens & subsequens liberando populo adjutorium adesset qui lumen vitæ præstaret, cùm ad excidium hostis subsequens irrueret, sicut & hic agitur, quid baptizandis præcedens fides proderit, nisi liberans à malo subsequens misericordia fidei opus implere concesserit. Bene ergo columnæ lumen liberandum populum, & ne possit interire, præcedit, & sequitur, ne interimi possit, quia gratia salvatoris liberum hominis arbitrium ut bene velit gratè prævenit, & ut bene possit illi miseranter attribuit.

CAP. CI. *De congressione itineris & ingressu rubri maris, quorum significantia tenetur in aquis fontis.*

Est salvando Israëli dux Moyses. Factus est redimendo homini dux Jesus. Ille relinquit Ægyptum, iste mundum. Illum insequuntur Ægyptii, hunc insequitur multitudo delicti. Illic [mare] rubore litoris coloratum, unde & dicitur rubrum. Hic est baptismus Christi sanguine consecratus. Illic virga

vastitas dividitur maris. Hic signo crucis reseratur aditus fontis. Illic ingreditur Israël, hic tinguitur homo. Illic inter aquas per siccum sine impedimento transitur, hic per aquas iter salutare peragitur. Illic insequentes Ægyptii cum Pharaone merguntur; hic peccata cum zabulo necantur, non perditione naturæ, sed potestatis amissione. Nam in quantum zabulus est constat, in quantum malè potuit jam non constat. Unum elementum utrisque exitium atque subsidium est, dum perituros petimit & eruendos provehit, dum morituros necat & victuros juvat, dum exitiosos dejicit & eximendo seducit. Exultant qui liberati sunt in gloriam liberatoris & in gratiam liberationis. Post mare & post fontem dicitur. *Cantemus Domino. Gloriosè enim honorificatus est. Equum & ascensorem projecit in mare. Adjutor & protector meus Dominus, & factus est mihi in salutem.*

CAP. CII. *De figura & typo baptismi in nube & mari à Paulo Apostolo commendatis.*

Figura & typum baptismi hujus benę Paulus commendans dicit: *Nolo vos ignorare, fratres, quia omnes patres nostri sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt.* Ut quid per mare transierunt quasi quæreres ab illo, secutus ait: *& omnes per Moysen baptizati sunt in nube & in mari.* Si ergo figura maris tantum valuit, species baptismi quantum valebit? Si quod gestum est in figura trajectum populum ad manna perduxit, quid exhibebit Christus in veritate baptismi sui trajecto per eum populo suo.

CAP. CIII. *Quòd transitus maris perveniendi ad manna significet post baptismum venire ad Christi corporis sumtum.*

Quò trajicit per baptismum Jesus, cujus figuram tunc gerebat Moyses, qui per mare trajiciebat, nisi ad manna. Quod est manna? *Ego sum panis vivus*

qui de cælo descendi. Manna accipiunt fideles jam trajecti per mare rubrum. Quia ergo, ut dictum est, omnes per Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & à Domino dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non videbit regnum Dei*, bene habuit mare formam aquæ, nubes verò spiritus sancti, manna panis vitæ. Quibus sacramentis purificatus & vivificatus homo valeat in hereditatem terræ viventium intromitti. Jam fontis figuram mare habuisse patuit. Nunc ipsius sacri fontis mysteria demonstrentur.

CAP. CIV. *Quòd uno tempore sit & generatio rerum & regeneratio hominum.*

Huic fonti ad novæ regenerationis effectum illud tempus occurrit quo habere mundus exordium cœpit, ut generatio rerum & regeneratio animarum uno tempore sibimet inhærerent, dum veris tempore fieri utraque patescerent. Primo etenim mense initium mundi exoritur. Similiter in eodem mense fieri Pascha præcipitur. Sic inchoat novitas rerum, sic inchoat novitas animarum. Quæ in mundo per novitatem creata sunt mortalitatem attingunt. Quæ post vetustatem in morte Christi consepulta resurgunt ad æternitatem perveniunt. Unde verò concurrit ut eo tempore videatur in hanc generationem atque in hos usus ingressus attribuitur quo tempore ex hac generatione in generationem est legitimus transitus. Siquidem verno tempore filii Israël Ægyptum reliquerunt & per mare transierunt. Hoc tempore Domini nostri Jesu Christi Pascha celebratur. Hoc est animarum transitus à vitiis ad virtutem, à passionibus carnis ad gratiam sobrietatemque mentis, à malitiæ nequitiæque fermento ad veritatem atque sinceritatem. Regeneratis itaque dicitur: *Mensis hic vobis initium mensuum Primus est vobis in mensibus anni.* Derelinquit enim & deserit qui ablui-

tur intelligibilem illum Pharaonem principem istius mundi cum omnibus operibus suis.

CAP. CV. *Quòd sustinere dicitur mysteriorum sacramentum donec in superficie miraculum ostendatur aquarum.*

Fontis hujus, cui divinæ sanctificationis inlabitur virtus, & ex superficie miraculum & ex mysterio pandamus arcanum. Contemplamur in hoc fonte numero suorum miraculorum insignia, & aspicitur operatio ex divina institutione pavenda. Est enim in eo similitudo prophetiæ virtutis, certitudinis tempus, veritatis status, odor ignotus, humor in sicco profluus, sine lapsu fluctus erectus, sine exhauriente citò vacuus, situs ad copiam indeficiens, fluxus renascentis ad vitam aditus, perimendis delictis interitus, abrenuntiatio impietatis, confessio divinæ & unicæ trinitatis, in libertatem justitiæ æterna memoria, in opere peccati perennis oblivio, in remunerationem gloriæ perpetua plenitudo. Habet itaque similitudinem prophetiæ virtutis, quia quinta feria Paschæ odorem denuntiat quòd post triduum paschali sabbato visione præsentat. Habet certitudinis tempus, quia ad testimonium dominicæ resurrectionis nullo eventu variatur erroris. Habet veritatis statum, quia individuum cum festo paschali servat eventum. Habet odorem ignotum, quia dissimilem gratiæ flagrantiam manat odorum. Habet humorem in sicco profluentem, quia inter ariditatem saxorum sine ullo inlapsu exundantia invenitur aquarum. Habet sine lapsu fluctum erectum, quia cùm nullius motionis sed tantùm suæ quietis se moveat undis, oram non transgreditur limitis. Habet sine exhauriénte citò vacuum situm, quia sicut sine cognitione ubertas inruit, ita sine evacuatione siccitas occurrit. Habet ad copiam indeficientem fluxum, quia potui repositione quæ

è liquore diviti persistente plus ablatio tollit quàm capacitas retentat. Habet renascendi ad vitam aditum, quia congressi illum morte dempta transferuntur in vitam. Habet perimendorum delictorum interitum, quia illic demersus ex vetustate peccati purificatus homo consurgit in gratiam novitatis. Habet abrenuntiationem impietatis, quia nemo illum aggreditur nisi qui abrenuntiaverit diabolo & angelis, jusque operibus cunctis. Habet confessionem divinæ & unicæ trinitatis, quia omnis qui eum aggreditur in nomine patris & filii & spiritus sancti baptizatur. Habet in libertate justitiæ æternam memoriam, quia is qui tinguitur liberatus à servitute peccati transit in libertatem gloriæ filiorum Dei. Habet in opere peccati perennem oblivionem, quia oblivîscens pristinæ conversationis quæ retro est, extendit se per beatam spem ad æternorum munera prœmiorum. Habet in remuneratione gloriæ perpetuam plenitudinem, quia liberatus homo à corruptione laborum exultationis jubilo laudabit Deum in sæcula sæculorum.

CAP. CVI. *De descriptione efficientiarum aquæ fontis. De patentis admiratione miraculi.*

Verùm ut evidentiùs rei species demonstretur, pleniori affatu est actio exsequenda. Ecce videmus loculum fontis constructum arentibus saxis, marmorisque obductum crustulis siccis, quem ita construentis industria juncturis tabularum gypso & calce, cera quoque, & marmoris pulvere compsit & solidavit ut nullo pateat vel accessu vel spiramine pervium, nullo dirivationis alicujus humore suspectum. Et unde post totius anni recursus annales hodierna gloria visionis? Unde post annuam siccitatem viror repens? Unde inter saxa latices? Unde inter marmora aquæ? Unde in sicco flumina? Unde

in arenti lapide exundantia lymphæ? Non aditus rivuli, non imber pluviæ patet, non minimum ros, non madens nebula supervenit, laquearia tectorum integra sistunt, fores clausi inventi sunt, signacula salva reperta sunt, nullus infidelis ad inludendum fidei accessit, nullus fidelis ad providendum fidei introivit, nullus prorsus qui tantum miraculum vel simularet vel impediret accessit. Attendatur ergo auctor ille ineffabilis & opera ejus admirabilis. Atque ita ex effectibus operationis ipsius cognosci poterit virtus operis ejus.

Nudiustertiùs miraculi hujus aër nuntius fuit. Et quia sera claustrorum aspectum oculis negavit, virtus odorationem odoratui patefecit. Longè inquam, longè procul odor exiit & futuræ visioni fidem dedit. Ecce ventum est in præsenti & patenti obtutu; omnes illic admirantes infigimus visus, aspicimus fontem affatim aquis exuberantem, quem noveramus arentem. Videmus insultantes gurgites aura nulla commotos. In cumulum aquæ subriguntur, & transgressus luminis nullus aspicitur. Nullo tacta flatu elata movetur; & tumore motionis dum non transgreditur oram, continet exæstuantem in exaggeratione procellam. Videas inlidi undas, versare globos, rotare fluctus, & situ loci cum statu elementi luctante, alteri cedere nescit alter. Tenent incognitum saxa liquorem, & gratulantur sua sterilitate genitum quem aliena fœcunditate nesciunt infusum. Compellunt marmora continere quod acceperunt. Sed lex illa vetat obsistere cur non ad mensuram tenet capacitas quod ad copiam inflexit ubertas. Item aquæ transiliunt æquitatem, sed conglobatæ non transeunt limitem. Suis motibus modò insultat in verticem, modò relabitur ad quietem, modò crispantem efficit superficiem, modò crispantis varietatis planitiem reddit æqualem.

Comminatur egressum, nec tamen deserit situm. Omni tempestate quiescit, sola quiete movetur. Omni perturbationis commotione carens, suæ tantùm admirationis motibus arridet & plaudit. In augmento miraculi non satis est quòd arentium situm lapidum aquæ in pulvere nascentes, nisi tanta consstet ubertas ut considerari nequeat statu constante quanta vasorum millia referta fidelium populorum auferat fides. Præeunte fidei amore violenter aggreditur, certatim incumbitur, ubertim aufertur, & obviante sibi itu vel reditu, ab innumerositate concurrentium, dum pietas vincit, fides injuriam non sentit. Insistente pressura, inliduntur vascula, & tam indite haustus liquor effunditur ut in lutum pavimenta vertantur. Exempto unicuique remedio quo vel quisque bibit, vel per latitudinem orbis terræ asportata & reponenda servatur ubertas. Cujus abundantiæ admiratio immensa, mansuræ consideratio nulla est. Hoc solum potest intelligi quòd plus potuit auferri quàm inveniri. Color hujus luce clarior lympæ, aëre purior. Sapor cunctis aquæ saporibus ignotus & gratior. Virtus placida, species decora, novitas admiranda, vetustas tanta diuturnitate durabilis ut annis exempta nullo vitio sit corrupta. Cæterarum porrò aquarum sola novitas grata est, & illa jucundior quæ odore nullo respirat. Nam quamvis nitidis tenta vasis, si reposita mane, à primùm exhausto limpore fit crassior, concepto fœtoris olfactu, cujus grassedo pinguescit in fæcem, sed post humorem redit in terram. Hæc autem nunquam limporis, nunquam odoris, nunquam saporis gratia caret. Sic in admiratione nova, in creatione antiqua, in usibus salutis probatur assidua. Jam quia defertur in miraculo,& hoc mirum est, quòd nequit stare semper in miraculi statu, sed quia mirabiliter venit, nonnisi mirabiliter abscedit.

Nam ſicut nullus eſt in accedendo infuſionis aditus, ita nullus in recedendo meatus. Ex incognito plenus inventus, ex incognito vacuus aſpicitur locus. Ubi elapſa ſicut & unde inlapſa ſit aqua non invenitur. Quid ergo, niſi quia omnipotentia Dei, quæ hanc mirabiliter infuſit, mirabiliter exhaurit? Ex toto prima, media, & extrema conſtitutis in miro dum in ſicco naſcitur, dum fluctuare latet nec labitur, dum ſine evacuatione ſiccatur. Nam ſtat plenus fontis loculus. Et poſtquam à ſacerdote extiterit benedictus, ſuſtinet omnes concurrentium conventus, quantumve ex illo corporaliter bibatur, quantum ex impetu convenientium humi vertatur, quantum in diverſas terras religioni convenientibus vaſculis aſportata ſervetur, nulla æſtimatione colligitur. Stat certè tam indeficiens haurientibus ut plus ablato aquam capuit neſciat minorari. At ubi baptizans infantulum ſacerdos immerſerit, mox quies eſt; ſicque viſibiliter redit in nullo quæ inviſibiliter crevit ex nullo. Hæc ſunt in iſto ſpeciali propter aquæ novitatem fonte mirabili. In illo autem mirabiliter univerſali & ſingulariter generali, cum quo & iſte unus eſt qui ſignificatus eſt, propheta dicente: *Erit in die illa fons patens domui David & habitantibus in Hieruſalem in ablutionem peccatorum & menſtruatæ.* Qui ideo patens quia nulli clauſus. Quare omnes in eo renaſcimur, per quem & peccatorum delicta purgantur, & menſtruatæ ſordes, hoc eſt immundæ animæ, ſalutari lavacro abluuntur: qui ita unus eſt ad regenerationis gratiam ſicut & una fides & una Eccleſia Dei vivi, quæ ſignificatur per domum David. Hæc ex ordine ſacramenta complentur.

CAP. CVII. *Quare & unde fons in quadragesima clauditur & in Pascha reseratur.*

Hic fons, quia plenus est mysteriis humanæ salutis, bene sub dispositione pontificali signatus clauditur & signatur ut reseretur. Clauditur autem diebus quadragesimæ, aperitur tempore Paschæ. Quòd quadragesima obsignatur ostendit, excepto gravissimæ necessitatis obventu, his diebus per totum orbem fieri baptismum omnimodè non licere. Quòd verò in Pascha per sanctificationem Pontificis aperitur demonstrat dominicæ patere mysterium resurrectionis, in quo ad vitam factus est aditus homini, ut per baptismum consepultus in morte Christi resurgat cum eo in gloria Dei. Et sicut hoc est ubique cohibere baptismum quod in loco claudere fontem, ita quoque est aperire fontem, dare baptizandi licentiam generalem. Clauditur autem fons signaculo anuli, aperitur verò benedictione sacerdotis & mysteriis sacramenti.

CAP. CVIII. *De tempore & loco baptizandi.*

Quam baptismi celebritatem duobus tantùm temporibus Pascha & Pentecosten apud legitimorum sedes Episcoporum coram ipsis fieri & apostolica & paterna sanxit antiquitas. In subjacentibus autem vicinis Episcopis Ecclesiis id effici non debere, ne dum passim per diversa loca conventus dividitur populorum, vel non sit quibus conferatur gratia doctrinarum, vel minoretur sublimitas veneranda Pontificum. Per parochiarum autem Ecclesias longè positas convenienter licet ut fiat, ne dum prolixa itineris longitudo distenditur, desiderabilis & citò perficienda gratia differatur. Extra hæc duo tempora propter solam necessitatem mortis omni tempore liberè conceditur baptizare.

CAP.

CAP. CIX. *De expositione mysteriorum fontis.*

Accedit deinde sacerdos ad fontem; & sicut Moyses ibat in nomine Domini, ita iste Deum exorans aquis officia sanctificationis infundit. Moyses illic virga percussit aquas, & salutare patuit iter. Sacerdos hic signaculo ligni crucis contingit aquas, & reseratur ad salutem ingressus. Alioquin nisi Moyses virga percuteret aquas, non pateret inter fluctus aditus libertatis. Et nunc nisi nomine & cruce ligni Christi fontis aquæ tangantur, nullum salvationis remedium obtinetur. Exorcismum apponit, ne quid illic lateat ex contagione sinistræ partis admixtum. Oleum infundit, ut sacramento illi quo in exordio creationis super aquas Dei spiritus ferebatur, sanctificationis infusione particeps approbetur. Benedictionem profert, ut eum abolere maledictum potentem efficiat.

CAP. CX. *De gradibus fontis.*

Hic fons origo est omnium gloriarum. Qui habet septem gradus, tres in descensum propter tria quibus renuntiatio fit, id est in quibus renuntiatur diabolo & angelis ejus & operibus ejus & imperiis ejus. Tres alii in ascensum propter tria quæ confitemur, patrem & filium & spiritum sanctum, qui est unus in trinitate Deus. Septimus verò iste est qui & quartus, id est similis filio hominis extinguens fornacem ignis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ, in quo plenitudo divinitatis habitat corporaliter. Per tria itaque baptizandus descendit quando tribus abrenuntiavit. Relinquendo enim diabolicam altitudinem, descendit ad baptismi Christi humilitatem. Atque ita in quarto gradu solidamentum inveniens, ex his quibus abrenuntiavit liberatus stat. Dehinc ascendit per trinitatis confessionem. Et ipse est septimus ad summam liberationis, qui fuit quartus ad requiem libertatis.

CAP. CXI. *De duabus pactionibus abrenuntiationis & credulitatis.*

Duæ autem sunt pactiones. Prima, in qua diabolo renuntiatur cùm dicitur, *Abrenuntio tibi diabole & angelis tuis, operibus tuis, & imperiis tuis*, ne jam serviat ei vel terrenis corporis passionibus vel depravatæ mentis erroribus, qui, dimersa omni malitia vice plumbi, bonis operibus dextra lævaque munitus, sæculi hujus freta inoffenso studeat vestigio pertransire. Secunda, in qua creditur Deo in nomine trinitatis, ut tenens virtutem ejus dilectionis permaneat cum illo in laudibus ejus sæculis sempiternis.

CAP. CXII. *Quòd in nomine trinitatis detur baptismum, & quòd in baptismo quacunque persona trinitatis omissa sit, nihil baptismi celebritas agat, quòdque Christi baptismum in trinitate extiterit actum.*

Dein secundùm præceptum Domini dicentis, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti*, subinferente sacerdote, *ut habeas vitam æternam*, tinguitur homo aquis, ac tunc ostenditur ei firma promissio quam Dominus dixit: *Qui credit in me habet vitam æternam.* Quòd si omissa qualibet trinitatis persona baptismum conferatur, omnino nihil egisse baptismi solennitas deputetur, nisi tota trinitas veraciter invocetur. Nam & baptismus Domini, quando à Johanne baptizabatur, in trinitatis veritate celebratus agnoscitur. Cùm enim diceretur à Deo, *Hic est filius meus*, ecce pater in voce, filius in corporis veritate, spiritus sanctus in specie columbæ.

CAP. CXIII. *Quòd baptismum & originale & actuale peccatum tollat, & quòd non nisi renatus habeat vitam æternam, & quare vel abrenuntiationem vel confessionem alii propter alios profitentur.*

Majoribus autem & perfectis ætate baptismus vel ad purgationem originalis noxæ vel ad abolitionem actualis proficit culpæ, ut uno beneficio salutari deleatur simul originale & actualé peccatum. Parvulis verò ad hoc solum valet ut delictum quod ab Adam generatio traxit hac regeneratione solvatur: qui si antè quàm regenerentur è sæculo transierint, in regno Dei heredes Christi non erunt, dicente Domino: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non videbit regnum Dei.* Denique iidem parvuli ideo alio profitente vel abrenuntiant zabulo vel credunt Deo quia per se loqui non possunt, sicut ægri, muti, & surdi aliis profitentibus propter eos ipsi . . . . baptizantur.

CAP. CXIV. *De his qui de fonte baptizatos excipiunt, & quid cum eis agere debeant.*

Illi sanè qui ex utero matris Ecclesiæ, id est ex lavacri fonte, per spiritum sanctum genitos in adoptionem filiorum religioso amore excipiunt, & antè quàm baptizentur, & postquàm baptizati fuerint, non solùm exemplis, sed etiam verbis eos admonere prorsus oportet. Et sicut uterque sexus ex eodem fonte renascitur, sic uterque sexus renatos excipiens doctrinæ salutaris usum habere debet. Qui etiam cognoscant se fidei jussores existere. Pro ipsis enim respondent quòd abrenuntient diabolo, angelis & operibus ejus, affirmantes credere eos in nomine trinitatis. Ideoque tam illi qui excipiunt quàm qui excipiuntur ab eis pactum quod cum Deo

in sacramento baptismatis pepigerunt omni custodire vigilantia debent; ut dum servant quod in regeneratione præceptum est, accipiant quod in remuneratione promissum est.

CAP. CXV. *Quòd pro spe futura beatitudinis regeneratio detur, non ut temporalis mortis pœna tollatur.*

Licèt verò per beneficium regenerationis delictum solvatur originis, manet tamen pœna mortis in eos quos à reatu solvit gratia salvatoris; ut noverit homo pro spe futuræ beatitudinis regenerationem accipere, non ut pœnam temporalis mortis possit evadere; quia etsi æternæ gloriæ vitam gratia contulit, temporalis mortis pœnam inlata sententia non resolvit.

CAP. CXVI. *Quòd solis sacerdotibus liceat dare baptismum, excepto necessitate periculi.*

Sanè dare baptismum non Diaconibus, non clericis, non quibuscunque licere nisi sacerdotibus solis, dicente Domino discipulis tantùm: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Et item ad discipulos: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti.* Patet ergo solis sacerdotibus dare baptisma esse permissum. Cujus rei ministerium absque Episcopo vel Presbytero nec Diaconibus est concessum, nisi illis longè positis ultima necessitas vel languoris vel periculi cogat. Quod clericis & fidelibus laicis fieri utcunque conceditur, ut nullus è sæculo sine vitali remedio transisse videatur.

CAP. CXVII. *Quid significat quòd infans aquis immergitur ad similitudinem mortis Christi. De simpla quoque & trina baptismatis mersione.*

Quòd aquis infans mergitur in Christi morte

baptizatur, dicente Paulo: *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte.* Item quòd infans ab aquis educitur, resurgi cum Christo monstratur, subsequente eodem Apostolo: *ut quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris; ita nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Quòd autem semel mergitur, in unius deitatis nomine tinguitur. Si autem tertiò mergatur, trium dierum sepulturæ Domini numerus demonstratur. Unde in una fide nihil contrarium habet consuetudo diversa. Sed quia hæretici in hoc numero mersionis unitatem solent scindere deitatis, à Deo potiùs est quòd Ecclesia Dei unius usum observat tantummodo tinctionis.

CAP. CXVIII. *De non iterando baptismo.*

Semel acceptum baptismum nullatenus iterare ex quacunque causa licere. Nam sicut unus Deus & una fides, ita unum est & baptisma. Et sicut idem narrat Apostolus, *scientes quòd Christus resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, ita nec baptismus unquam aliquatenus repetetur. Item cùm duæ sint nativitates, una de terra, alia de cælo, una de carne, alia de spiritu, una de mortalitate, alia de æternitate, una de masculo & femina, alia de Deo & de Ecclesia, ipsæ duæ singulæ sint, nec illa potest repeti nec illa. Proinde sicut jam natus de Adam non potest iterum generari de Adam, ita natum de Christo non potest iterum generare Christus: quia sicut non potest repeti matris uterus, sic nec Ecclesiæ baptismus.

CAP. CXIX. *Quòd primùm baptisma aquæ sit, secundum sanguinis.*

Tria sunt genera baptismi. Primum baptismum est aquæ & spiritus, de quo huc usque disputatum

est, quo per regenerationem originalia peccata delentur. Secundum est quo per martyrium quisque suo sanguine baptizatur. Eodem certè baptismo & Christus est baptizatus, ut credentibus in se sicut in aliis, sic & in hoc daret exemplum. Dicit enim discipulis suis filiis Zebedæi: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum & baptizari baptismo quo ego baptizabor?* id est. Potestis bibere calicem amaritudinis passionis & baptizari effusione vestri cruoris, sicut ego tolerabo ignominiam crucis & emittam undam sanguinis profluentis. Aqua ergo & sanguis est gemina baptismatis figura. Nam uno ex lavacro regeneramur, altero ex sanguine consecramur.

CAP. CXX. *Quòd tertium baptismum pœnitentiæ sit in alluvio lacrymarum.*

Tertium est alluvium lacrymarum, quod fit in pœnitentia peccatorum, laboriosè quidem actum, sed per copiosam redemptoris pietatem ad indulgentiam certum. Sic Maria illa in civitate peccatrix ad pedes Domini sedens quod voluptatibus in se sordidavit lacrymis lavit. O plenum pietate baptismum copiosa redemptoris indulgentia exundantem, qui tam veternosum aggerem criminum tam citatim fluenti alluvione delevit! Intuere quisquis ille peccatores, immo intuemini omnes homines, quia omnis homo peccator est, & hujus baptismi perpende potentiam. Sic ubertim supra peccatricem fons lacrymarum erupit ut ad pedes peccata remittentis Domini perveniret. Sic ab imo cordis se in cumulum fluctus lamentationis erexit ut cælestis Domini vestigia inrigaret. Sic amaritudo vim detulit afflictionis, ut dulcedinem adipisceretur pietatis. Hinc & ille per singulas noctes stratum suum lacrymis rigat. Hinc Ninivitæ, dum se lamentationis imbre perfundunt, ultionis incendia extinxerunt. Sed gratiæ hujus copiam ille gratissimus mi-

feratοr fupra miferos agit qui & peccatoribus pœnitentiam dat & peccatis veniam præparat, qui peccatum pœnitentia punit, & pœnitentiæ fructum attribuit, qui ad fe per gratiam convertendo venire jubet impium, & per mifericordiam exfultando à fe facit abire juftificatum.

CAP. CXXI. *Quòd nec in hæreticos liceat iterare baptifmum.*

Quicunque hæretici diverfum fchifma fequentes, fi in patris & filii & fpiritus fancti atteftatione approbantur fufcepiffe baptifmum, non erunt iterum baptizandi, fed chrifmate folo & manus impofitione purgandi. Baptifmus enim non eft hominis, ut iteretur per hominem, fed Chrifti, ut permaneat per Chriftum. Nam ficut unus eft & non alius Deus, ficut una in Deo & non alia fides, ita unum Chrifti & non aliud baptifmum; quod fi ex homine effet, iterari poffet. Quia verò ex Chrifto incommutabiliter datum eft, iterari non poteft. Deus enim folus eft qui baptizat, ut fieri poffint filii Dei & qui baptizantur ab eo. Ideoque non intereft an fidelis an hæreticus det baptifmum. Tantum eft ne baptizari cupiens incuria Chriftianorum ad hæreticos deducatur. Sed & fi in hoc incuriæ negligentia habeat culpam, baptifmus iterari nunquam poterit habere licentiam. Quod facramentum tam fanctum eft & beatum ut nec fceleratiffimo miniftrante pollui poffit. Nam habet & baptifmum Chrifti hæreticus. Sed nihil illi profperat qui hoc extra unitatem fidei acceptum portat. Jam quando Ecclefiam introierit, mox baptifmum quod foris habuerat ad exitium, profpetum habere incipit ad falutem. Unde quod acceptum eft fidei reverentia probatur. Proinde quum acceſſerit non mutari convenit, fed agnofci. Nam quia fignum eft Regis Dei mei, non facrilegium fit quum

desertor corrigitur, & signum Domini non mutatur.

CAP. CXXII. *Quòd post baptismum gloriæ cantico decantato ad unctionem provehendus est homo.*

Postquam in similitudine mortis Christi aquis immersus homo rursus fuerit ad spem resurrectionis ab aquis eductus, ob liberationem sui gratulationis cantico decantato, provehitur ad sancti chrismatis tactum ut unguatur spiritu Dei, & fit atque vocetur ex Christi unctione & nomine Christianus.

CAP. CXXIII. *De unguento chrismatis & institutione ejus.*

Chrismatis unguentum in Exodo jubente Domino primùm Moses & composuit & effecit. Quæ unctio primùm in Aaron & filios ejus in testimonium sacerdotii & sanctitatis insigne ab eodem Mose habetur inlapsa. Deinde in honorem gloriæ Reges eodem chrismate ungebantur. Unde pro illis dicitur: *Nolite tangere Christos meos.* In sacerdotibus autem & Regibus erat hæc mystica unctio tantùm qua Christus Rex & sacerdos futurus figurabatur. Christi enim nomen à chrismate ducitur, quia chrisma unctio vocatur. Postquam verò Dominus noster Jesus Christus Rex verus & sacerdos æternus à Deo patre cælesti & mystico est delibutus unguento juxta quod dicitur ad eum, *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, non jam soli Pontifices & Reges, sed omnis Ecclesia sancti unguenti chrismate consecratur. Propter quod æterni Regis & sacerdotis est sanctissimum membrum. Quia ergo genus electum & regale sacerdotium sumus, ideo post lavacrum aquæ unguimur chrismate, ut Christiani Christi vocemur ex nomine.

CAP. CXXIV. *Quòd per visibilem unctionem corporis invisibiliter spiritus sanctus operetur animæ unctionem.*

Sancto itaque hoc chrismate extrinsecus unguitur homo, & intrinsecus inlabitur sancti spiritus virtus, ut totus homo lavacro purgatus, totus ex spiritus unctione pinguescat, accipiente anima virtutem ex eadem sancti spiritus unctione ut cognoscat Deum habitatorem suum, ut diligat quem in se recepit, ut sit cum illo semper, ut regatur ab illo, & faciat voluntatem ejus, ut non contristet eum, quoniam in ipso signatus est homo in die redemptionis suæ, ut sit in membris Christi cum Christo unum, dum vegetatur ac regitur spiritu Christi.

CAP. CXXV. *Quòd non Christo, sed hominibus, datur spiritus ad mensuram.*

Hanc unctionem commendat Johannes dicens: *Ut sciatis quia unctionem habetis, & nos unctionem quam accepimus ab eo permaneat in nobis.* Unctionis hujus sacramentum est virtus ipsa invisibilis, unctio invisibilis, spiritus sanctus unctio invisibilis, caritas illa est, quæ in quocunque fuerit, tanquam radix vitæ illi erit, quamvis ardente persecutionis sole arescere non potest. Omne quod radicatum est in caritate nutritur, & calore adversitatis nunquam arescit. Spiritus sanctus Christo non datus est ad mensuram, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. In hominibus autem datur ad mensuram discretionis & gratiæ; ut quia multa membra Christi unum corpus efficiunt per multarum operationum munera, & in omnes unus spiritus dominetur, & in singulos idem diversorum donorum gratia operetur, dicente Paulo: *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ in eodem*

ſpiritu, alii fides, alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetiæ, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.

CAP. CXXVI. *De diſcretione qua ſanctus ſpiritus ad menſuram datur hominibus.*

Fit autem hæc diſcretio donorum dum omnipotens Deus interni judicii ſecreto moderamine ſic cuncta moderatur ut cùm per impenſam gratiam unumquemque ſublevat, & jam per diſparem alteri alterum ſubdat, & meliorem quiſque dono alio eum qui ſibi ſubjicitur attendat, ac licèt ſe præire ex aliis ſentiat, eidem tamen quem ſuperat ſe in aliis poſtponat, ſic cuncta moderatur, & dum ſingula quæque ſunt omnium interpoſita quadam caritatis neceſſitudine fiant omnia ſingulorum, & unuſquiſque ſic quod non accipit in altero poſſideat, ut ipſe alteri poſſidendum quod accepit humiliter impendat.

CAP. CXXVII. *De ſpiritu ſeptiformi interpretatio ſancti Gregorii Papæ.*

Eſt autem hic ſpiritus ſeptiformis, dicente Eſaia: Et *requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replevit eum ſpiritus timoris Domini*. Quos ſcilicet gradus, ut ſanctus Gregorius refert de cæleſtibus loquens, deſcendendo magis quàm aſcendendo propheta numeravit, videlicet ſapientiam, intellectum, conſilium, fortitudinem, ſcientiam, pietatem, timorem. Et cùm ſcriptum ſit, *Initium ſapientiæ timor Domini*, conſtat procul dubio quia à timore ad ſapientiam aſcenditur, non autem à ſapientia ad timorem reditur, quia nimirùm perfectam habet ſapientia caritatem, & ſcriptum eſt: *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Propheta ergo, qui de cæleſtibus ad ima loqueba-

tur, cœpit magis à ſapientia, & deſcendit ad timorem. Sed nos, quia à terrenis ad cæleſtia tendimus, eoſdem gradus aſcendendo numeremus, ut à timore ad ſapientiam pervenire valeamus. In mente etenim noſtra primus aſcenſionis gradus eſt timor Domini, ſecundus pietas, tertius ſcientia, quartus fortitudo, quintus conſilium, ſextus intellectus, ſeptimus ſapientia. Eſt enim timor Domini in mente. Sed qualis iſte timor eſt, ſi cum eo pietas non eſt? Qui enim miſereri proximo ignorat, qui compati ejus tribulationi diſſimulat, hujus timor ante omnipotentis Dei oculos nullus eſt qui non ſublevatur ad pietatem. Sed ſæpe pietas per inordinatam miſericordiam errare ſolet, ſi fortaſſe pepercerit quæ parcenda non ſunt. Peccata enim quæ feriri gehennæ ignibus poſſunt, diſciplinæ ſunt verbere corrigenda. Sed inordinata pietas, cùm temporaliter parcit, ad æternum ſupplicium pertrahit. Ut ergo vera & ordinata ſit pietas, ad gradum eſt alium ſublevanda, id eſt, ad ſcientiam, ut ſciat vel quid ex miſericordia puniat vel quid ex miſericordia dimittat. Sed quid ſi ſciat quid agere quiſque debeat, virtutem verò agendi non habeat? Scientia ergo noſtra creſcat ad fortitudinem, ut cùm videt quid agendum ſit, hoc agere per mentis fortitudinem poſſit, ne timore trepidet, & pavore conlapſa non valeat bona defendere quæ ſentit. Sed ſæpe fortitudo, ſi improvida fuerit & minùs contra vitia circumſpecta, ipſa ſui præſumptione in caſum ruit. Aſcendat ergo ad conſilium, ut providendo præmuniat omne quod agere fortiter poteſt. Sed eſſe conſilium non poteſt, ſi intellectus deeſt: quia qui non intelligit malum quod agentem gravat, quomodo poteſt bonum ſolidare quod adjuvat? Itaque à conſilio aſcendamus ad intellectum. Sed quid ſi intellectus magno quidem acumine vigilet &

moderari se nesciat per maturitatem? Ab intellectu ergo ascendatur ad sapientiam, ut hoc quod acutè intellectus invenit sapientia maturè disponat. Quia igitur per timorem surgimus ad pietatem, per pietatem ad scientiam ducimur, per scientiam ad fortitudinem roboramur, per fortitudinem ad consilium tendimus, per consilium ad intellectum proficimus, per intellectum ad maturitatem sapientiæ venimus, septem gradibus ad portam ascendimus per quam nobis aditus vitæ spiritalis aperitur.

CAP. CXXVIII. *De impositione manus.*

Manus impositionis ipsa veritas, quæ per se viam, ad se vitam vocat, per se dedit exemplum. Nam dicente Marco, *Cùm offerrent ei parvulos ut illos tangeret, ille complexans eos, & imponens manus super eos, benedicebat illos.* Cujus rei actio hæc est, ut cùm verbis benedicitur, spiritus infundatur, cùm manibus tangitur, spiritalis virtutis operatio designetur. Ita manus impositionis forma in sacris officiis ex hac divina imitatione processit, ut omnis parvulus, id est fide & spiritali obedientia humilis, per sacerdotem à Deo percipiat virtutem sanctificationis. Benedicit itaque Jesus ex potestate divinitatis, imponit manus ut adsumpta humanitas operetur effectum salutis. Benedicit ore Jesus & manibus tangit; quia ex eo quòd verbum est sanctificat, ex eo quòd caro factum est sanctificationis potentiam administrat. Benedicit & manus imponit Jesus; quia quod deitatis virtus significat redimentis humanitas complet. Idem unus Jesus ex divinitate justificandos vocat, ex humanitate vocatos firmat. Nihil de opere salvationis illi deest, quando divinitas humanitati connexa imperat & humanitas in divinitatem adsumpta virtutem format. Unus Christus Deus & homo hoc agit, dum invisibili naturæ cuncta deferunt servitutem, & visibilis natu-

ra invisibilis virtutis exequitur potestatem. Salubriter ergo ad exemplum Christi à sacerdote fidelibus cum benedictione manus imponitur, quia illi est potestas auctoritate divina conlata ut in benedictione oris ejus spiritus infusio prodeat, & in manus impositione tactus spiritalis gratiæ convalescat.

CAP. CXXIX. *Rursum de impositione manus, & de spiritu sancto.*

Post baptismum opportunè datur cum manus impositione spiritus sanctus. Ita enim in Apostolorum actis Apostolus fecisse monstratur. Nam sic dicit. *Factum est autem cùm Apollo esset Corinthi ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum & inveniret quosdam discipulos, & dixit ad eos: Si spiritum sanctum accepistis credentes? At illi ad eum: Sed neque si spiritus sanctus est audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Johannis baptismate. Dixit autem Paulus: Johannes baptizavit baptismate pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est Jesum. His autem auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cùm imposuisset illis manus Paulus, continuo venit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Item aliàs: *Cùm audissent autem Apostoli qui erant Hierosolymis quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum & Johannem. Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum supervenerat. Sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum.*

CAP. CXXX. *Spiritus sanctus datur à Deo.*

Spiritum sanctum sicut verum est quia ex divino munere accipere possumus, ita ex nostra potestate dare non possumus. Ut tamen detur ejusdem gratiæ largitorem Dominum invocamus, quò in

ministerio nostræ obsecrationis conferatur gratia divinæ virtutis Deo tota cooperante, cùm & nos orare facit & is qui benedicitur sanctificationem percipit & ille plenitudinem sanctificationis infundit.

CAP. CXXXI. *De chrismate.*

Hoc autem à quo potissimum fiat, sicut sanctus Papa Innocentius attestatur, sic dicit non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licèt sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem solis Pontificibus deberi ut vel consignent vel paraclitum spiritum tradant, quod non solùm consuetudo ecclesiastica demonstrat, verùm & superior illa lectio actuum Apostolorum quæ asserit Petrum & Johannem esse directos qui jam baptizatis traderent spiritum sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, sive præsente Episcopo, cùm baptizant, chrismate baptizatos unguere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare. quod solis debetur Episcopis cùm tradunt spiritum paraclitum.

CAP. CXXXII. *Quomodo docendus est baptizatus ut discat orare.*

Post lavationem fontis, post vitæ novitatem, post spiritus unctionem docendus est homo verbis veritatis orare, ut is qui in veteri homine erat filius iræ, jam in cælesti regeneratione patrem invocet pietate. Nec in multiloquio, quo non poterit effugere peccatum, prosecutionem exeret, sed in affectu sanctæ intentionis orationem effundet, habens regulam doctrinæ Domini, cujus virtutem si orando expedibiliter tenet, in delectando copiosiùs auget, dicente psalmo: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Ac per hoc sancta intentio sicut non est obtendenda, si perdurare non

poteſt, ita, ſi perduraverit, non citò eſt rumpenda. Abſit enim ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi fervens perſeveret intentio. Nam multum loqui eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis. Multum autem precari eſt ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulſare. Nam plerunque hoc negotium plus gemitibus quàm ſermonibus agitur, plus fletu quàm effectu. Ponit autem lacrymas noſtras in conſpectu ſuo, & gemitus noſter non eſt abſconditus ab eo qui omnia per verbum condidit & humana verba non quærit. Nobis ergo verba neceſſaria ſunt quibus commoneamur & inſpiciamus quid petamus, non quibus Deum ſeu docendum ſeu flectendum eſſe credimus.

CAP. CXXXIII. *De oratione dominica.*

Quum ergo dicimus, *Pater noſter, qui es in cælis*, cognoſcimus ordine creatorem, veneramur jure dominum, invocamus pietate patrem. Nec jam ſub ſervitutis metu tabeſcimus, quando de pietate paterna confidimus. Ad totam tamen trinitatem orationis hujus verba dirigimus, quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo & nos & omnia ſumus. Fatendum itaque eſt ubique eſſe Deum per divinitatis præſentiam, ſed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, ubi proculdubio gratia dilectionis ejus agnoſcitur, non dicimus, *Pater noſter, qui es ubique*, cùm hoc verum ſit, ſed, *Pater noſter, qui es in cælis*, ut templum ejus potiùs in oratione commemoremus, quod & nos ipſi eſſe debemus, & in quantum ſumus, in tantum ad ejus ſocietatem & adoptionis familiam pertinemus. Si enim populus Dei nondum factus æqualis angelis ejus adhuc in iſta peregrinatione dicitur templum ejus, quanto magis eſt templum ejus in cælis, ubi eſt populus angelorum, quibus aggre-

gandi & coæquandi sumus cùm finita peregrinatione quod promissum est sumpserimus. Item cùm dicimus, *sanctificetur nomen tuum*, nos admonemus desiderare ut nomen ejus, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, hoc est, non contemnatur, quod non Deo sed hominibus prodest. Et in eo quod dicimus, *adveniat regnum tuum*, quod seu velimus seu nolimus utique veniet, desiderium nostrum ad illud regnum excitamus ut nobis veniat atque in eo regnare mereamur. Cùm dicimus, *fiat voluntas tua, sicut in cælo, sic & in terrâ*, nobis ab illo precamur ipsam obedientiam, ut sic in nobis fiat voluntas ejus quemadmodum fit in cælestibus angelis ejus. Cùm dicimus, *panem nostrum cotidianum da nobis hodie*, per id quod dicitur *hodie* significatur hoc tempore ubi vel sufficientiam illam petimus à parte qua excellit, id est, nomine panis totum significantes vel sacramentum fidelium, quod in hoc tempore necessarium est, non tamen ad hujus temporis, sed ad illam æternam felicitatem adsequendam. Cùm dicimus, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, nos admonemus & quid petamus & quid faciamus ut accipere mereamur. Cùm dicimus, *ne nos inferas in tentationem*, nos admonemus hoc petere, ne deserti ejus adjutorio alicui tentationi vel consentiamus decepti vel cedamus afflicti. Cùm dicimus, *libera nos à malo*, nos admonemus cogitare nondum nos esse in eo bono ubi nullum patimur malum. Et hoc quidem ultimum quod in oratione dominica positum est tam latè patet ut homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. His enim verbis res ipsas memoriæ nostræ commendari oportebat.

CAP. CXXXIV. *De oratione non longa.*

Nam quælibet alia verba dicamus quæ affectus orantis vel præcedendo format ut clareat, vel consequendo attendit ut crescat, nihil aliud dicimus quàm quod in ista dominica oratione positum est, si rectè & congruenter oramus. Quisquis autem id dicit quod ad istam evangelicam precem pertinere non possit, etiamsi non inlicitè orat, carnaliter orat; quod nescio quemadmodum non dicatur inlicitè, quandoquidem spiritu renatos nonnisi spiritaliter decet orare.

CAP. CXXXV. *De omni petitione quod petit orationem dominicam orat.*

Qui enim dicit, verbi gratia, *clarificare in omnibus gentibus sicut clarificatus es in nobis, & prophetæ tui fideles inveniantur*, quid aliud dicit quàm *sanctificetur nomen tuum?* Qui dicit, *Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus*, quid aliud dicit quàm *veniat regnum tuum?* Qui dicit, *Itinera mea dirige secundùm verbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas*, quid aliud dicit quàm *fiat voluntas tua in cælo & in terra?* Qui dicit, *paupertatem & divitias ne dederis mihi*, quid aliud dicit quàm *panem nostrum cotidianum da nobis hodie?* Qui dicit, *Memento Domine David & omnis mansuetudinis ejus*, aut, *Domine, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala*, quid aliud dicit quàm *dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Qui dicit, *Aufer à me concupiscentias ventris & desiderium concubitus, ne apprehendat me*, quid aliud dicit quàm *ne nos inferas in tentationem?* Qui dicit, *Erue me de inimicis meis, & ab insurgentibus super me libera me*, quid aliud dicit quàm *libera nos à malo?* Et si per omnia præceptionum sanctarum verba discurrat, quantum æstimo nihil inveniet quod

non ista dominica contineat & concludat oratio. Unde liberum est aliis atque aliis verbis eadem tamen in orando dicere, sed non esse liberum alia dicere. Hæc & pro nobis & pro nostris & pro alienis atque ipsis inimicis sine fructu dubitationis oranda sunt, quamvis alius pro isto, alius pro illo, sicut se habent propinquitates vel longinquitates necessitudinum in corde orantis oriantur aut excellet affectus.

CAP. CXXXVI. *De veritate corporis Christi in eucharistia.*

Post regenerationem nativitatis spiritalis, post gratiam cælestis unctionis, post doctrinam dominicæ orationis, post invocationem divinæ paternitatis, convenit jam pervenire ad participationem cælestis refectionis. Eorum enim est dicere *Pater noster qui es in cælis* qui jam patre tali regenerati sunt ex aqua & spiritu ut confidenter petant dicentes: *Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.* Hic ergo quia panis vivus Christus est qui de cælo descendit & vitam dat mundo, bene in hac oratione dominica panem nostrum hunc ipsum Christum dari nobis cotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, à sanctificatione & corpore ejus non recedamus. Quid enim tam vult Deus quàm ut cotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitæ & panis è cælo? Hunc panem significavit manna illud quod qui liberati sunt post maris rubri transitum manducaverunt. Nam sicut illic postquàm mare transitum est panem cæli id est manna comederunt, ita hic post fontem, qui figuram maris habuit, comedimus carnem Christi & bibimus sanguinem ejus qui dixit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Hinc Paulus dicit: *Omnes in Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manduca-*

verunt, ſpiritalem utique, quia figura mannæ illius veritas fuit corporis Chriſti quod nunc comedimus. Et ideo ſpiritaliter eadem eſca eſt, corporaliter autem altera: quia illi manna manducaverunt, nos aliud manducamus. Adjungit autem, *& omnes eundem potum ſpiritalem biberunt.* Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpiritali. Quomodo enim eundem potum habebant, inquit *de ſpiritali ſequenti petra, petra autem erat Chriſtus*, in verbo & in carne? Et quomodo biberunt percuſſâ eſt petra de virga. Bis gemina percuſſio duo ligna crucis ſignificat. Percuſſa illic petra de virga, fluxit aqua, & biberunt. Suſpenſo hic Chriſto crucis ligno, manavit aqua & ſanguis, & hæc bibimus ut vitam æternam habeamus. Quod autem idem Dominus ait, *Qui manducat carnem meam & bibit meum ſanguinem, ipſe in me manet & ego in illo*, expoſuit quid dixiſſet. Hoc enim eſt manducare illam eſcam & illum bibere potum in Chriſto manere & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ejus carnem nec bibit ejus ſanguinem, etiamſi tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducet & bibat.

CAP. CXXXVII. *Quod eſt corpus Chriſti intelligere vel ſanguis.*

Quod ergo videtis panis eſt & calix. quod vobis etiam oculi veſtri renuntiant. Quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis corpus eſt Chriſti, calix ſanguis Chriſti. Breviter quidem hoc dictum eſt quod fidei fortè ſufficiat. Sed fides inſtructionem deſiderat. Dicit enim propheta: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Poteſtis ergo dicere mihi: Præcepiſti ut credamus. Expone ut intelligamus. Poteſt enim in animo cujuſquam cogitatio talis

oboriri. Dominus noster Jesus Christus novimus unde acceperit carnem de virgine Maria. Infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad juvenilem ætatem perductus est, à Judæis persecutionem passus est, ligno suspensus est, in ligno interfectus est, sepultus est, tertia die resurrexit, quo die voluit in cælum ascendit, illuc levavit corpus suum, inde est venturus ut judicet vivos & mortuos, ibi est modò sedens ad dexteram patris. Quomodo est panis corpus ejus, vel quod habet calix quomodo est sanguis ejus? Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem. Quod intelligitur fructum habet spiritalem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus: *Vos estis corpus Christi & membra.* Si ergo estis corpus Christi & membra, mysterium in mensa Domini positum est, mysterium vestrum accepistis ad id quod estis, Amen respondistis, & respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi, & respondes Amen. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit Amen. Quare ergo in pane nihil hic de nostro adferamus, ipsum Apostolum identidem audiamus. Cùm ergo de isto sacramento loqueretur ait: *Unus panis, unum corpus, multi sumus.* Intelligite & gaudete. Unitas, pietas, veritas carnis, unus panis, unum corpus multi.

CAP. CXXXVIII. *Sicut de pane, sic & de vino.*

Recolite enim quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando indicta est nobis abstinentia carnalis, & cœpistis relinquere conversationem gentilitatis ut abstineretis à peccatis, mundantes vos in jejuniis, remotis aliquandiu conjugibus, spectaculis, & lautioribus escis, atque ita exorcizabamini, amota vetustæ conversationis inutili pa-

lea, quam tunc molebamini. Quando abjecistis paleam immundæ operationis, tunc venistis in candorem novæ confessionis. Quando baptizati estis, quasi conspassi estis. Quando spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, & accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit: Jam de calice quid intelligeremus & jam non dictum satis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis multa grana in unum consparguntur, tanquam illud fiat quod de fidelibus ait scriptura sancta, *Erat illis anima una & cor unum in Domino*, sic & de vino. Fratres, recolite unde sit vinum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitatem infunditur. Ita Dominus Christus ut significaret nos ad se pertinere voluit mysterium pacis & unitatis nostræ in sua mensa consecrari. Qui accipit mysterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.

CAP. CXXXIX. *De ædificatione hominis per pœnitentiam & lacrymas.*

Præmissis ex toto sacramentis expletis, erit aliquibus diebus renatus homo indesinenter Ecclesiæ conventui & choris adhærens, indutus vestibus albis, agens & signum & festa sanctæ celebritatis, in qua liberatus à vetustate primi hominis & solutus à reatu damnatæ conditionis intret in conspectu Domini in exultatione, & inter electos suos in lætitia deducatur, memor deinceps vitiatæ naturæ; cujus etsi damnationem evasit, fragilitatem penitùs non amisit. Maneat in timore Domini, faciens voluntatem ejus, diligens Deum, & delectans in illo; atque, quia sine peccato esse non potest, & peccare caveat & pœnitentiæ affectu, insistens fletibus, deleri peccata semper studeat, donec divinæ bonitatis larga miseratio, sicut originale peccatum delevit

in lavacro, actuale quoque deleat in lamento. Atque ita in spe futuræ beatitudinis securus solvens conditionem mortis quiescat in pace, & resurgat ex omni parte sanatus, in incorruptione sua & in redemptoris laudibus permansurus.

CAP. CXL. *Oratio propter albas tollendas.*

Dominè Jesu Christe redemptor mundi, quem verum hominem veraciter ex homine natum Deus pater suum filium esse signavit, confirma in hanc familiam tuam quòd tuo nomine signata atque sacro liquore mundata tuoque spiritu plena existit, etiam tuo jam corpore & sanguine satiatam se gaudeat atque redemptam, ut hæc sacramenta quæ in novitatem vitæ perceperunt ita ad usum salutis indesinenter obtineant ut ad remunerationem beatitudinis ex hoc securi accedant.

CAP. CXLI. *Item benedictio.*

Dominus Jesus Christus, qui vos lavit aqua sui lateris, & redemit effusione cruoris, ipse in vos confirmet gratiam adeptæ redemptionis. Per quem renati estis ex aqua & spiritu sancto, ipse vos cælesti consociet regno. Qui dedit vobis initia sanctæ fidei, ipse conferat & perfectionem operis & plenitudinem caritatis. Amen.

CAP. CXLII. *Sermo dicendus ad infantes die tertia post Pascha propter albas tollendas.*

Sermo ad vos est, modò nati infantes, parvuli in Christo, nova proles Ecclesiæ, gratia patris, fœcunditas matris, germen pium, examen novellum, fons nutriti honoris, & fructus laboris, gaudium & corona mea. Omnes qui statis in Domino, apostolicis verbis vos alloquor. Ecce nox præcessit, & dies appropinquavit. Abjicite opera tenebrarum, & induite vos arma lucis, sicut in die honestè ambulate, non in comessationibus & ebrietatibus,

non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione; sed induite Dominum Jesum Christum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis, ut & vita induatis quem sacramento induistis. Quotquot ergo in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus & Græcus, non est servus & liber, non est masculus & femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Hoc enim habent ipsa viscera sacramenti. Sacramentum est enim vitæ novæ, quæ in hoc tempore incipit à remissione præteritorum omnium peccatorum. Perficietur autem in resurrectione mortuorum. Consepulti estis Christo per baptismum in morte; ut quemadmodum Christus surrexit à mortuis, sic & vos in novitate vitæ ambuletis. Ambulatis autem nunc per fidem quandiu in hoc mortali corpore peregrinamini. Sed via vobis certa ipse ad quam intenditis factus est Christus Jesus secundùm hominem, quod pro nobis fieri dignatus est. Servabit enim multam dulcedinem timentibus se, aperturus & perfecturus eam sperantibus in se cùm id quod in spe cepimus etiam luce acceperimus. Scimus quia cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Hoc in evangelio ipse promisit. *Qui diligit me*, inquit, *mandata mea custodit; & qui diligit me diligitur à patre meo, & ego diligam eum, & ostendam me ipsum illi.* Utique videbant eum quibus loquebatur, sed in forma servi, qua major est pater, non forma Dei, qua æqualis est patri. Hanc ostendebat timentibus, illam servabat sperantibus in se. Ipse ergo vos illuminet qui redemit, ipse custodiat qui illuminavit, ut & in hac peregrinatione tutos ab omni malo defendat, & in futura remuneratione sibi glorificandos exhibeat, præstante gloriosa trinitate Deo nostro, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

De itinere deserti quò pergitur post baptismum.

INCIPIUNT CAPITULA.

EXPLICIUNT CAPITULA.

CAPUT PRIMUM. *De exordio hominis ad reparationem per Christum.*

Ab exordio conditionis suæ per dispositionem ordinis cælestis doctrinæ præcedenti opere ostensus est homo pervenisse usque ad gratiam regenerationis divinæ. Nunc per subsequentiam operis innuitur qualiter post baptismum ad mansionem æternæ vitæ veluti post transitum maris usque ad terram repromissionis per custodiam divinorum præceptorum properat pervenire, quò pateat eventum ejus triformi rerum actione constare.

CAP. II. *De reparatione hominis.*

Primùm quando beatus conditus corruit deceptus. Secundò quando mediatoris morte extitit re-

paratus. Tertiò quando in redemptionis munere erit perenniter gloriosus. Primo certè post exordium boni vitiata natura per deceptionem inimici venit usque ad interitum mali. Sequenter reparata natura per sanguinem mediatoris inducitur ad gloriam regni. Sic destructum est diaboli regnum, quod valuit usque ad redemptoris adventum. Sic factum est regnum Christi in electis ejus, & permanet in æternum. Quod erit tertium & ultimum in gloria sine fine mansurum. Et primò quidem conditus beatus homo, item secundò renatus beatior homo, media ejus pessima, tam omni infelicitate sordentia quàm & justa ultione damnata.

CAP. III. *De morte salvatoris & regeneratione vitali.*

Initio igitur beata ejus conditio fuit, sequens ex deceptione serpentis casus malè longèque perstitit, deinde per salvatoris mortem reparatio grata succurrit. Quia ergo beatum exordium succedente deceptione non substitit, satis miseranter regeneratio vitalis accessit, ut vitiata nativitas ad interitum haberet unde renasceretur ad lucrum.

CAP. IV. *De Ecclesia in Christo sociata.*

Sed ut esset uterus quo homo in mortem natus ad vitam posset esse renatus, verbum Dei incarnatum est. Atque ideo per vetustæ legis præconium olim præscitam ex gentibus advocavit Ecclesiam, quam pro ea moriens lavacro aquæ mundavit, sibique sponsam æterno fœdere consecravit. Cui in evangelii exhibitione per redemptionis sacramentum participium sui corporis & sanguinis præbens, hanc sibi conjugem fecit & communionis unitate conjunxit.

CAP. V. *De adoptione filiorum Dei.*

Ex hac per verbum fidei & fœcunditatem spiritus sancti innumeros cotidie renatos creat, quos in

adoptionem gratiæ filios amplectens coheredes sibi in beatitudine æternitatis adsciscit, in hujus mortalitatis ærumna docens eos de lege sua, & præcepto lucido inluminans oculos animæ, ut eruditos corde inducat in hereditatem justitiæ. Quod viæ rectæ iter, per quod liberati ad possessionem regni deductione salutari ducuntur, nosse in promptu est, & loci exhibitione probabile patet.

CAP. VI. *De liberatione post baptismum.*

Itaque post liberationem Ægyptiæ servitutis, post egressionem Ægyptiæ mansionis, post insecutionem Ægyptii exercitus, post transitum sævientis maris, post interitum Pharaonis, post excidium Ægyptiæ multitudinis, post gratulationem salvationis Israëlitarum, post canticum gloriæ Dei, id est, postquam reliquimus mundum, postquam conversi sumus ad Deum, post insecutionem dæmonum, post mersionem baptismatis, post privationem diabolicæ potestatis, post dimersionem peccatorum, post exultationem indultæ salutis, post gloriam & divinæ laudationis hymnum, considerandum est quò ducimur & per qua ducimur, reminiscentes nos attrahi & vocari per solam gratiam conditoris ad terram repromissionis, scilicet terram viventium regionis, in qua erimus coheredes Christi & filii regni.

CAP. VII. *De baptizatis instruendis in sana doctrina.*

Videamus certè jam nunc quomodo illa sapientia summi Dei susceptos ex aqua filios paternis doctrinis imbuat & maternis miserationibus foveat, ut alios nescios instruat, alios teneros amplectatur.

CAP. VIII. *Quòd est aqua amara & dulcis.*

Jam post transitum maris venitur ad aquas Mara. Qui locus ex amaritudine aquarum nomen accepit. Sic denique post baptismum venimus ad cognitionem legis. Et quia nisi priùs cognitio habeatur histo-

riæ, non poteſt ſpiritus intelligentia noſſe, ideò antè venitur ad ſcientiam præcepti. Sed cùm prægustatur ſuperficies ejus, quia littera occidit, amara tædet. Unde nec curſus præceptorum ejus aliquid in refectione ſaporat, quia ad perfectionem nihil adduxit. Ordinatè igitur litteram occidentem addiſcimus. Sed accepta fide intelligentiæ ſpiritalis, & ligno crucis paſſionis immixto, vertitur in dulcedinem fidei, & quicquid illa favente amarum fuit, piè intelligendo dulceſcit.

CAP. IX. *De duodecim Apoſtolis & ſeptuaginta diſcipulis.*

Inde venitur ad duodecim fontes aquarum dulcium & ſeptuaginta palmarum, quæ nobis oſtendunt duodecim Apoſtolos & ſeptuaginta diſcipulos ordinis ſecundi, de quibus Dominus binos ante faciem ſuam legitur præmiſiſſe. Ex quibus fontibus & palmis doctrinam potamus & dulces fructus victoriæ ſumimus. Unde & aelim, quod eſt nomen manſionis ejus, vertitur in arietes fortes. Ipſi namque ſunt gregum robuſti principes & duces ovium, id eſt doctores gentium. Debitè itaque venitur ad gratiam evangelii, quæ nobis per Chriſti diſcipulos & ſuavitatem regni cæleſtis attribuit, & victoriam de nequitiis ſpiritalibus concedit.

CAP. X. *Quòd celeri compendio per iter evangelii veniatur ad regnum.*

Omnis dehinc quæ ſequitur diverſitas manſionum ſingillatim digeretur oſtenſione myſteriorum. Sed quia jam à ſanctis patribus digeſtà tenetur, evangelicæ gratiæ nobis eſt advocatio exequenda; in qua invenimus præſtantiorem viàm celeriori ſalutis compendio præparatam: quæ non nobis quadraginta annorum ſpatio inter pericula hoſtiumque diſcrimina hereditatis adſumendæ requiem differat, ſed in eo qui ait, *Venite ad me omnes qui laboratis*

& onrati estis, & ego vos reficiam, tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris, velox & facile remedium salvatoris accommodet.

CAP. XI. *De attendenda actione liberationis humanæ.*

Attendamus jam actionem liberationis nostræ. Et ita demum consideremus viam itineris tendentem ad beatitudinem mansionis. Dicit ipsa veritas: *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Ecce jam vera libertas, quia vocati ad gratiam redemptoris, quasi Ægypto & Pharaone relicto, zaboli & peccatorum admisimus servitutem. Transivimus more baptismatis, in cujus sacramento cuncta commoda nostræ salutis cum nobilitate libertatis accepimus. Venimus ad discursum vitæ præsentis, & proficiente ætate percipiendæ scientiæ operam damus, sic per cognitionem legis amaritudinem occidentis litteræ attentamus. Cujus legis idem qui & evangeliorum unus auctor est Deus.

CAP. XII. *Quòd non immoratur in lege, si spiritaliter intelligatur.*

Quam tamen legem spiritaliter intelligendo non immoramur in amaritudine ejus, sed citò properamus ad doctrinæ aquas & victoriæ palmas, ubi per Apostolos ubertate doctrinarum cælestium satiamur & spiritalis gloriæ triumphis attollimur.

CAP. XIII. *De inlucescente evangelii lumine.*

Inlucescat nobis sedentibus in tenebris & umbra mortis lumen evangelicum, quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quod jam non nobis occidat inter occursus tentationum, sed luceat semper conlatione miserationum inlapsum.

CAP. XIV. *De præparativa incarnationis, quæ perducit nos usque ad incommutabilem veritatem deitatis.*

Efficitur nobis via per susceptionem carnis qui consistit vita per vigorem æternitatis perducens nos usque ad dulcedinem perennis & incommutabilis veritatis.

CAP. XV. *Quòd in eremo sanctæ vitæ delectatio non invenitur voluptatis immundæ.*

Contemplemur jam hoc prosperabile iter quod à sanctis agitur in deserto, & cum illis pari eorum imitatione ducamur. De his dicitur qui post transitum maris rubri per deserta pergentes secundùm veram promissionem Dei se venire confidebant ad repromissionis terram. Cùmque omnis populus & sanctorum multitudine ex sceleratorum unitate concretus pariter protectione Dei incederet, scriptura tamen sacra ex meliori parte sanctorum, de quibus dicitur, *Oculi Domini super justos*, tacitis iniquis, solam narrat actionem beatitudinis. Ingrediamur ergo & nos cum his justis de quibus dicitur, *Iter fecerunt per deserta quæ non habitabantur*, illa certè quæ habitationes non habeant voluptatum, ubi non sint mansiones corruptionum, ubi non terrena felicitas ad interitum mulcens, ubi nullæ oblectationes quæ ad terram viventium properantes præpediunt viatores, qui in locis secretis fixerunt casas, quia mentis requiem in contemplationis abdito posuerunt, non incauta obstinatione sese hostibus objectantes, sed salutari provisione expedibilium se consiliorum secreto tutantes; ubi non eos vana gloria ad perniciem ostentaret, sed unde vera humilitas ad interitum superborum educeret; qui steterunt contra hostes, quia inflexibilem vigorem animi contra tentationum impetus erexerunt, nulla præsentis vitæ mollitia delibuti,

delibuti, in acie spiritalis belli nunquam deflexi ab statu sanctæ intentionis, ante impetum aëriæ potestatis; atque ideo de inimicis se vindicaverunt, quia per arma justitiæ muniti à dextris & sinistris, non sunt gloria prosperitatis elati, non adversitatis pondere pressi. Inde vindicaverunt se, quoniam expugnationem inimicorum, sui salvationem obtinuerunt; & unde adversitas vitiorum depulsa interiit, inde convulsa salus sanctorum militum stetit. Qui sitierunt & invocaverunt Deum, quia igne caritatis ardentes sitienter invocabant quem veraciter amabant. Magna in illos sitis amoris efferbuit, quam invocatio Dei remuneratione refectionis infusit. Quanto enim fervens amor in Dei dilectione extitit, tanto calor gratiæ solatium in refrigerio occurrit. Unde & data est illis de petra altissima aqua; quia quod in se ardore dilectionis erexerunt, tota ad fluenta altissimæ petræ, id est spiritalis gratiæ, pervenerunt, & omnem bonorum desideriorum sitim perventa felicitate potarunt. Quibus & fuit requies de lapide duro, id est forti, quia quicquid fluidum fuit ignis caritatis exurit, quicquid fragile amoris incendium roboravit, quicquid bene desiderabile beata his æternitas solidavit.

CAP. XVI. *De congressione eremi sanctæ vitæ.*

Ita denique aggredimur desertum sanctæ vitæ, in quo desiccatis omnium carnalium voluptatum humoribus nihil inveniemus quod sit per contrarium pulchrum oculis aspectuque delectabile, in quo cùm arbitrii manus extenderimus, cogitationumque fuerit palato gustatum, in antiquam perniciem retrahat ad æternam munditiem jam renatos. Non erit illic in quo oculorum visio aspectu lascivo vagetur, cùm indesinenter dixerimus: *Oculi nostri ad Dominum Deum donec misereatur nobis:*

Non erunt aures lethalibus susurris avium immundarum infectæ, quæ cordis quietem aut malè inquietando perturbent, aut malè demulcendo in torporem oblectent, cùm meditatum fuerit: *Ego dormiam, & cor meum vigilet.* Non erit odoratus spiramentis fluxæ delectationis infectus, cùm amore sponsi ardentes dixerimus ad eum: *In odore unguentorum tuorum curremus.* Non erit gustus antiquæ putredinis acore corruptus, cùm guttur gratiæ saporatum eruperit. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & favum ori meo!* Non lingua scurrile mendum detrahendumque conjiciet, cùm refectionem gratiæ sentiens dixerit: *Repletum est gaudio os meum & lingua mea exultatione.* Non cor fluxu dissolutæ cogitationis elanguet, cùm fuerit omni custodia conservatum. Non tactus sordentis operationis immunditiem attrectabit, cùm verè depromptum fuerit: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.* Non gressus animi luti gurgite cohærebunt, cùm intentio solida dixerit: *Statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.* Non corpus aëris blanditiis licenter appetet refoveri, dum constanter adstruxerit: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Non incommoditatis licentiosa remedia quærentur, cùm attentè dictum fuerit: *Dominus inluminatio mea & salus mea.* Non indigentiæ refectio appetitu lautiori vitiosa quæret, cùm vera confidentia adclamarit: *Non occidit Deus fame animam justi.* Non mœstitia beatitudinem extinguens animam dejiciet, cùm hilaritas mentis eruperit in jubilo exultationis: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Non prosperitatis attentabitur oblectatio mulcens, cùm sola delectatio in Deum fuerit tota voluntate dicentis: *Dominus pars hereditatis meæ.* Postremùm nihil de mundi solatiis affectabit qui

cùm Paulo dixerit: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo.* Omnis quoque interioris hominis voluptuosus humor & arvina putridæ operationis tumorque turgidæ mentis uno & salutari purgabuntur ac desiccabuntur antidoto, cùm dicentis Domini fuerit præceptum impletum: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

CAP. XVII. *De signis & ducatu deserti.*

O quàm beatus populus tale gradiens per desertum, in quo redemptorem suum habens ducem, hunc solum sequitur, hunc attendit tollens crucem vel Domini sui vel suam; quæ tunc erit Domini sui cùm in ejus fide omnem aëriæ potestatis expugnaverit triumphando; tunc autem sua cùm ad imitamentum passionis Domini sui carnem suam cum vitiis adfixerit clavis timoris. Ita imperterritus vastitatem eremi pertransibit, quia lux illi præveniens gratia miserantis, dux ejus ipse redemptor, signum victoriæ gloria crucis, protectio jugis subsequens misericordia redimentis.

CAP. XVIII. *Quò sol justitiæ, qui lumen infundit, ipse humorem voluptatis exhaurit.*

Ecce sol justitiæ qui inluxit nobis ut in lumine suo recto itinere gradiamur. Ipse in calore suo omnem fluxum humoremque sauciæ voluptatis exhausit; ut qui jam quò rectò gradiamur agnovimus, nullo corruptionis fluidæ tactu tardemur. Sic itaque austeritatem diligant deserti qui amœnitatem desiderant vitæ. Sic delectentur in afflictione carnis quorum anima Dominum magnificat & in Deo salutari suo spiritus exultat. Sic tota eremus vitæ præsentis mundi destituta solatiis spe futuræ consolationis amabitur, quoniam ad patriam beato-

rum non meliùs, non celeriùs itur quàm per angustias passionum, dicente Paulo: *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam qua revelabitur in nobis.*

CAP. XIX. *Quòd per solam gratiam Dei possit homo salvari.*

Jam quia salutaris eremus solis justitiæ inlustrata lumine & acta calore patuit, nunc in labore viatoribus, sed in refectione æternis civibus iter præbens, videamus delitias quas illis in ea dux eorum per conlatum sancti spiritus pignus in solatium administrat, ut omnis homo suæ impossibilitatis consideratione commonitus, destitutum se propriis meritis agnoscens, in Deo solo spem ponat, qui & velle præparat & posse donat, qui non merentibus gratuitò dat merita quibus restituat dona, qui primò misericordiam tribuens dat substantiam bonorum operum, & pòst largitur munera præmiorum, qui facit in sua servitute unde placeat sibi serviens, quem postea muneretur ad regnum vocans.

CAP. XX. *De attendendo refrigerio æternitatis propter donum consolationis præsentis.*

Tunc proinde acutissima quisque, in quantum valet, mentis acie admiranter spectet quod illic refrigerium æternitatis dabit quando tam multum hic temporis solatium tribuit, quid illic exultationis erit in munere, si tantum hic consolationis datur in pignore, quæ nobis gloria de perventione, si tanta exultatio in spe, quæ nobis jucunditas æternæ amabilitatis amplexu habere & aspicere redemptorem, si tanta salus est habuisse redemptionem.

CAP. XXI. *De affectibus quibus beatitudo desideratur æterna.*

O Domine, da illum ignem quem misisti veniens

in terra & quem vis ut ardeat. Da ardere caritatis igne, da lucere obedientiæ splendore, da fervere dilectionis amore, da inter pericula interitum non habere, da de periculis feliciter exire, da ad tuam dulcedinem festinare, da ad tuam visionem tranquillè venire, da tuæ visionis manifestatione perenniter satiari, da te in sæculorum æternitate sine fine laudare. Sollicitis certè mentibus jam illud est considerare quòd istud est promereri, illud expectare, quòd istud habere, illud evidentissimè percipere, quod istud veraciter percepisse.

CAP. XXII. *De descriptione voluptatum quarum humor non invenitur in sancto deserto.*

Extinguendorum jam spiritalium morborum virus, quod nullo voluptatum madente humore in hoc deserto vel oboriri poterit vel fluere, bene singulis speciebus quodam modo insipienti ægroto, cujus ægritudo, quanto ignota, inde deterior, sapiens ille apostolicus sermo describit: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut & prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.*

CAP. XXIII. *De dapibus spiritalibus mentis stomacho præparatis.*

Rejectis exhinc nauseis talium humorum, & ventre mentis sordenti putredine liberato tranquillo, & apto jam in appetitum salutis stomacho præparato, idem apostolicus sermo opulentam virtutum dapem apparatu piæ administrationis apponit consequenter & dicit: *Fructus spiritus est caritas,*

gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, patientia, mansuetudo, modestia, continentia, castitas. Adversùs hujusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Si vivimus spiritu, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

CAP. XXIV. *Quòd multis charismatum donis nos in hac peregrinatione reficiat Christus.*

Sunt quoque & præcedentia charismatum dona quibus pariter cum his sanctus spiritus in hac peregrinatione nos reficit, quem dedit nobis Christus in pignere pietatis, ut deficientes non habeat in via quos reficiendos deducat in patriam.

CAP. XXV. *De sacramento luminis.*

Lumen scilicet cognitionis suæ, de quo dicimus ad patrem, *& in lumine tuo videbimus lumen:* quoniam in cognitione Christi, qui lumen est, videbimus lumen patrem luminis genitorem. Et ita verè est, quia qui habet filium, habet & patrem, & quia nemo novit patrem nisi filius & cui voluerit filius revelare. Vel quia etiam dedit nobis sanctæ intelligentiæ lumen, in quo possimus mandata illius perscrutari & fructum perscrutationis ejus adjutorio invenire.

CAP. XXVI. *De sacramento olei.*

Oleum sanctificationis, quo unctionem accipimus lætitiæ spiritalis, de quo dicente propheta, *Computrescet jugum à facie olei*, cùm infusionem ejus accepimus, jugum peccati, quod animæ collum pressit, putrefactum evanuit.

CAP. XXVII. *De sacramento panis.*

Panem cælestis mannæ, quem in sui corporis veritate signavit dicens: *Hic est panes vivus qui de cælo descendit & vitam dat mundo.*

CAP. XXVIII. *De sacramento aquæ.*

Aquam vitæ, quæ ex percussura virgæ fluxit è petra, præbens significantiam quòd duorum lignorum crucis formæ corpus Christi suspensum vitale nobis poculum emanaret, quòd & in aqua lavationem baptismatis ostenderet, & in sanguine remissionem peccatorum efficeret. Inest quoque illic viror ramorum, quæ considerationem sui umbram anxius ferunt, doctrinæ foliis scientiam parant, pomis refectionem intelligentiæ administrant, viriditatis aspectu æternitatem comendant.

CAP. XXIX. *De significantia virgæ.*

Ibi virga carnis Christi, quæ post siccitatem mortis floruit, quia postquam de radice Jesse in passione succisa est, vivaciùs mortificata reviruit, habens eadem caro in virga super omnia regnandi potentiam & in flore pulchritudinis resurrectionis & redemptorum universitatis gloriam demonstratam.

CAP. XXX. *De significantia floris & lilii.*

Ibi flos campi & lilium convallium, quia idem Christus de surculo virginalis corporis exortus mundi decus enituit & humilitatis virginum gratia præfulsit.

CAP. XXXI. *De significantia vitis.*

Illic vitis illa evangelica proprio veritatis testimonio ostensa, quæ toto mundo patens se vitam in se credentibus præbet, & in se credentes ad æternitatem vitæ in se palmites habet; cujus uvæ sanguis pretium mundi est, redemptio fidelium, abolitio delicti, & præmium regni.

CAP. XXXII. *De significantia malogranati.*

Ibi malogranatum illud nobilitatis Ecclesiæ, quod in granis fidelium adstricta unitate diversum est, quod meritorum mansione divisum, & fidei est unitate compactum, quod Christi sanguinis titulo rubet, & durabilis beata æternitate subsistit.

CAP. XXXIII. *De significantia ficus.*

Necnon & ficus legisque primitivos grossos Judæorum abjiciens ad dulcedinem evangelii tempore gratiæ credentes subsequenter adduxit.

CAP. XXXIV. *Quòd gentilitas vel infructuosa anima desertum dicantur.*

In hoc deserto & verbis & mysteriis propheticis commendata inveniuntur stagna & rivi aquarum, quæ sive ad gentilitatem sive ad infœcundam animam referatur, illa est quæ per inutilitatem sine fructu fatiscens in pulvere consistit, ac postea sanctæ prædicationis fluenta & doctrinarum rivos erumpit. Cui etiam solitudini adhuc danda ex magno munere promittuntur.

CAP. XXXV. *De significantia cedri.*

Cedrus illa magni odoris, quæ in sanctis virtutes & signa in operatione sua exhibens cum Paulo dicit, *Christo bonus odor sumus Deo*, tanto ad æternitatis memoriam laudabilior quanto & à putredine corruptionis gratior invenitur & purior.

CAP. XXXVI. *De significantia spinæ.*

Spina doctrinæ spiritalis, quæ dum de peccatis ac virtutibus disputat, atque modò æterna supplicia minatur, modò cæleste gaudium promittit, ita cor audientium pungit ut dolore compunctionis perforata mentem per oculos quasi quendam animæ sanguinem lacrymas elicere cogat.

CAP. XXXVII. *De significantia myrti.*

Myrtus temperantiæ virtutem habens, ita ut dissoluta membra restringat. Hæc dum afflictis proximis compassione miserationis vel opem defert, vel consolationis eloquium impendit, ad spem salutis reparat, quod pressuris inhisum dissolutè atteri potuerat.

CAP. XXXVIII. *De significantia olivæ.*

Oliva miserationis, quia & Græcè ἔλεος mise-

ricordia dicitur, cujus liquor ante aſpectum Dei acceptabiliter ſatis fructu miſerationis elucet.

CAP. XXXIX. *De ſignificantia abietis.*

Abies contemplationis, quæ intra ſanctam Eccleſiam in terrenis corporibus poſita jam cæleſtia contemplatur, & licèt ſit ortus ejus ex terra, jam tamen contemplando verticem montis tollit in æthera.

CAP. XL. *De ſignificantia ulmi.*

Ulmus potentiæ ſæcularis, quæ terrenis curis inſerviens, licèt nullum fructum inferat virtutis ſpiritalis, ſanctos tamen viros donis ſpiritalibus plenos ſua largitate ſuſtentans quaſi vitem cum fructibus condigna portat.

CAP. XLI. *De ſignificantia buxi.*

Buxus viriditatis perennis, quæ cùm nec altitudinem habeat, nec fructum ex ætatis infirmitate afferat, parentum tamen fidelium credulitatem ſequens, fidei ſemper viriditate perpetua hilareſcit.

CAP. XLII. *De ſignificantia pini.*

Pinus, quæ in altum ſancta intentione ſuſtollitur, per acumen filiorum doctrinæ verbis mentes excitans auditorum, nullius temporis adverſitate æterni deſiderii viriditate nudatur, pomum intelligentiæ in abditis ſervans, quod niſi magna diſcentis intentio quodam bonorum ſtudiorum malleo penetraverit, otioſis facilè non pateſcit. Cùm autem in ſumptum intelligentiæ fuerit exemptum, & fauces in eloquio ſaporat, & ſtomachum mentis in virtutis intellectu confirmat, proferens reſinam in ſudore tolerantiæ de corporis paſſione, quæ proximorum injecta vulneribus & ulcus in ſalute curat, & obfactu in opinione bona conflagrat.

CAP. XLIII. *De ſignificantia cedri & cupreſſi.*

Cedrus pariter & cupreſſus, de quibus dicitur, *tecta domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra*

cupressina, hæc innuunt, geminam videlicet dilectionem Dei & proximi quæ in sanctis, qui sunt habitaculum Dei, per sanctum spiritum desuper concessa monstratur, ut in Ecclesiæ sublimitate aliud dilectio Dei constet in protectionis virtute, aliud dilectio proximi hæreat in decore.

CAP. XLIV. *De significantia calami.*

Ibi calamus doctrinæ spiritalis aqua nutritus usque adeo gratiam obtinens dignitatis ut in verbo Dei proficiens & ipse scriptor velut doctor ac prædicator fiat.

CAP. XLV. *De significantia junci.*

Ibi juncus eadem doctrinæ gratia educatus, qui licèt ad hoc provehi non valeat ut calamus scribens id est doctor prædicans fiat, quia tamen obedientiæ virtutem servat, & juri discendo proficit, & viriditatem usque ad remunerationem servat.

CAP. XLVI. *De significantia lilii, rosæ, & violæ.*

Est quoque candidum lilium flos virginum, rosæ purpurantis sanguinis martyrum, violæ gratia continentium.

CAP. XLVII. *De significantia hyssopi.*

Hyssopus verborum Dei vim purgatoriam habens, quæ adsparsa tumori mentis omne quod in illa turget præcepti austeritate arescere facit.

CAP. XLVIII. *De significantia sinapis.*

Ibi sinapis illa regno cælorum similis, semine, vi, culmoque sublimis, cujus in seminibus adeo diminutio spectabilis, quia incrementorum spe cùm proceritate superet olera, quædam transgreditur & arbusta. Satio ejus humilis, maturitas excelsa. Forma seminis indesecabilis. Integrum tentum, nihil redolet attritum odore, saporeque intolerabile. Culmo procera adeo ut sit avibus cæli habitatio fida. Innuit fidem, quæ cælorum est regnum, quod

despicabiliter feritur in humilitate docentis. Quæ cùm sola attenditur, contemptibilis vilisque putatur. Jam si consideretur attentè, primò non recipit sectionem, quia non habet hæresum scissuram. Secundò lene palpatu, quia jugum Christi suave & onus est leve. Tertiò intentione tractatuque spiritus confricata ingens odore, ingensque sapore perflagrat, ita ut cogitans de illa rectè dicat, *Quæsivi sapientiam, & ipsa longè recessit*, quia cùm sollicitè de illa tractatur, impenetrabilium secretorum vigor aspicitur. Succrescit quoque robore sui, attingens præmia futurorum quæ adipiscuntur animæ fidelium, quasi cæli aves in ramis virtutum ejus habitationis soliditatem habentes.

CAP. XLIX. *De significantia montis, quod est Christus.*

Ibi aspicitur mons ille solus supra verticem omnium montium elevatus, qui ex lapide sine manibus abscisso crevit, omnemque orbem terræ replevit, id est, cùm verbum caro factum sine opere conjugali ex veritate humanitatis genitum replevit orbem, quoniam super omnia regnum ejus excrevit. Omnes quoque montes celsitudine transiit, quia super angelicam excellentiam sublimatus in paterna sede consedit.

CAP. L. *De significantia Sion, quod est Ecclesia.*

Ibi eminens mons Sion, qui in hujus eremi, peregrinationis scilicet vitæ præsentis, longitudine positus est, ut in eo promissionem speculemur cælestium rerum. Unde & Sion speculatio dicitur.

CAP. LI. *De significantia Libani.*

Ibi Libanus, non ille cujus succiditur saltus ad interitum superborum, sed de quo dicitur, *Odor Libani ad te veniet*, sanctarum videlicet animarum coram te delectabilis operatio redolebit.

CAP. LII. *De significantia lapidum.*

Ibi lapides vivi Petri ore notati, nulla vitiorum mollitie cæsioni subjecti, sed caritatis ardore ad æternitatis officium solidati, de quibus dicitur, *accedentes ad Dominum lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritalis, sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.*

CAP. LIII. *De avium spiritalium solatio.*

Quin etiam distincta pulchritudine montium ac nemorum, quæ & viriditatis & fructuum consolationem perventuris ad æternam requiem exhibent in ostensione virtutum, adsunt quoque & bonarum avium considerationes perspicuæ, quæ viatorem Dei vel dulci melos refovent, vel gratiæ aspectu jucundant, manentes in solatium viatori, angoremque itineris protectionis comitatu solantes.

CAP. LIV. *De significantia columbæ.*

Columba scilicet illa evangelica simplicitate innocentiæ pollens, quæ cùm carnis fel non habeat, iræ quoque & indignationis amaritudine caret, in cujus specie supra Christum spiritus patris venit, & cui jubet idem suos discipulos similes esse dum dicit, *Estote simplices sicut columbæ*, servare præcipiens mansuetudinis simplicitatisque virtutem, ira & indignatione simulque malitia discedente.

CAP. LV. *De significentia pelicani.*

Pelicanus unicæ solitudinis, videlicet idem Christus, virginalis generationis singulari utero editus, qui insolitè generatus, solus virgineæ solitudinis est habitatione retentus.

CAP. LVI. *De significantia nocticoracis.*

Nocticorax domicilii ruinosi idem Dominus, qui inter ingruentia passionis tenebrosa perfidiæ

caligine persequentium corda contemnere non apposuit, dum pro eis & inter suplicia patrem oravit, habitans inter eos usque ad exitum passionis & victoriam mortis.

CAP. LVII. *De significantia passeris.*

Passer unicus ædificii cælestis ipse utique Christus, qui postquam in ruinosi populi tenebrosis operibus passionem sustulit, in libertate resurrectionis sedem cælestis gloriæ repetivit.

CAP. LVIII. *De significantia aquilæ.*

Aquila protectionis divinæ, quæ dicit, *suscepi vos tanquam pullos, tanquam sub alas aquilæ, & applicavi vos ad me*, & expansis manuum alis in cruce credentes suscipiendo protexit, atque post occasum mortis corporeæ, ascensionis volatu cælos ascendit, in Johanne quoque cælestis eminentiæ avolans ad patrem pervenit, & quid de verbo Dei cognoverit mundo denuntiat.

CAP. LIX. *De significantia fulicis.*

Fulix, cujus domus est petra, quæ domus passerum dux est. Christus enim petra, qui est requies, quiescendi soliditas fixa, sanctis omnibus dux est ad æternæ introitum vitæ.

CAP. LX. *De significantia turturis.*

Turtur ecclesiastica, quæ nidum sibi de lignis crucis construens reponit in eo sub calore fidei credentes quosque parvulos coalendos donec educati in fidei mansione possint ad hoc pervenire ut similitudinem passionis valeant tollere crucem Christi & eundem Dominum sequi.

CAP. LXI. *De significantia hirundinis.*

Hirundo illa perspicax, linguaque nitenti sono opportunè importunè prædicans, pigros excitat, quæ libertate contemplationis vividæ volans, nulli rapacissimæ dæmoniosæ avi præda cognoscitur, industria sancti operis nidum construens mentis, ubi

dum cogitationum pullos in proximorum amabili societate velut in hominum domo fovet, pòst ad volatum perfectæ virtutis opus dirigit actionis.

CAP. LXII. *De significantia gallinæ.*

Gallina evangelica Domini est similitudine & ore prolata, gratum mansuetudine genus, progenie lucrosum, & in fœtibus pium, studiosè filios fovens, studiosiùs educans. Non enim in fœtu variatur ut perdix, non fovenda relinquit ut phasis, sed suis strenuà genitis, cùm portaverit escam, sedula voce parvulos adsciscit, quos secum indivisè trahens, nec frigoris nec famis sinit ærumna terreri. Per hujus speciem pietatem suam Dominus præferens infideli plebi loquebatur dicens: *Hierusalem, Hierusalem, quotiens volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, unde quia non erit sub alis protectionis Dei.* * * *

Hic desunt tres lineæ in veteri codice.

CAP. LXIII. *De significantia phænicis.*

CAP. LXIV. *De significantia serpentis utriusque.*

.... ad redemptoris visionem erecta constiterit: quoniam cùm exaltationem ejus in cruce conspicimus, tunc in defensionem nostram super aspidem peccati & basiliscum mortis eum ambulasse, leonem quoque diabolum atque draconem antichristum conculcasse sentimus. Hæc certè cuncta per victoriam passionis ejus superata sunt & extincta, cunctis nobis qui passionis ejus conformes effecti nos mundo nobisque mundum agnoscimus crucifixum.

CAP. LXV. *Item, significantia serpentis.*

Est quoque & alius connexus eidem suo capiti serpens, qui dum ad vitam in specus foramine fidei caput abscondit, corpus in mortis passione con-

cedit, exuens se tunica conversationis vetustæ, ut ambulare possit in novitate vitæ.

CAP. LXVI. *De significantia utriusque leonis.*

Sæviat licèt leo ille qui circuiens quærit quem devoret, nobiscum tamen semper ille est ex tribu Juda victor leo, qui tam libenter nos de illo defendit quàm illum ipse potentialiter vicit.

CAP. LXVII. *De significantia lupi & ovis.*

Ingruat licèt lupus, qui mortis faucibus anhelat semper in prædam, adest nobiscum pro nobis contra illum obsistens ei ovis illa non aperiens os suum ad occisionem ducta, vestiens ac muniens nos contra impietatis jacula & frigus lanis miserationis & calore caritatis & in expugnatione pugnantis.

CAP. LXVIII. *De significantia agni.*

Stat & agnus ipse immaculatus, qui quoniam non habet peccati maculam, inde lupi & leonis hujus molas confringens, non finit corpus suum attingi morsibus ejus. Effuso namque sanguine suo extinguens vigorem quo ille devorare animarum vitam, quasi bibere sanguinem, solitus erat, dum innoxius immolatus in mortem occubuit, illius voracitatem pariter & rabiem extinxit, sanguinis sui effusione sitim occisorum sanguinis non inrigans, sed extinguens, non humidans, sed necans, non temperans, sed absorbens, ut cùm ille noxium animarum sanguinem insatiabiliter hauriret, iste innoxium effundens devorantem & haurientem pariter exhauriret.

CAP. LXIX. *De significantia cervi.*

Est & cervus viam præceptorum Dei fidei rectitudine currens, qui non habet vulpis hæreticæ flexum, de quo dicitur, *Rectus cursus cervi, vulpeculæ autem flexuosus*; qui asperitate linguæ serpentem perimit, quia invectione doctrinæ in audientium

cordibus peccati vigorem occidit; qui desiderat ad fontes aquarum, ut perveniens ad Deum vivum, visionis ejus æterno refrigerio animetur.

CAP. LXX. *De significantia hinnulorum capreæ.*

Capreæ quoque duorum populorum hinnuli, qui se per humilitatem quidem veraciter peccatores agnoscunt, sed per caritatem currentibus nihil sibi de impedimento temporalitatis obviare persentiunt. Nam contemplationis ardua petentes, liberè in sublimibus amoris saltibus conscendunt. Qui cùm ad compassionem proximorum deicere se videntur, nullo præcipitationis lapsu læduntur, quia piæ virtutis cornibus se excipiunt, ne in periculis proximi labantur.

CAP. LXXI. *De significantia equi.*

Est & equus, non ille qui in sui confidentia superbum suscipit ascensorem, cum quo præcipitatur in mare, sed ille speciosus in certamine qui contra aërias potestates impigro nos exercitio fert & in nomine Domini nostri magnificatos à periculis eruit.

CAP. LXXII. *De felicitate sancti deserti.*

O beatum desertum, in quo non pedibus corporis, sed cordis motibus itur, in quo non rei ambitio sed consideratio quæritur, ubi gradiens animus non lassatur, quia nec crurum poplite iter expletur, ubi non desideratur quando refectio mittetur, sed quando refectionis perfectio inveniatur, ubi quodlibet aliud non est quàm quod præmium erit, ubi concordia sensuum ita perseverantiæ statu ad laboris finem anhelat ut nulla hanc actio laboriosa præpediat, ubi nulla fit oblivio futuri, quamvis multa sit pressura imminens de præsenti, ubi jam de remuneratione aliquid gustatur, quando in pondere passionis constantia immota tenetur, quam non fœcundat voluptatum humor, sed caritatis

ritatis calor, cujus viriditas non voluptuosis humoribus infusa, sed ferventibus sanctæ custodiæ studiis est nutrita, cujus durabilitas non otiorum interjectionibus, sed jugi intentione servatur, ubi odor bonæ actionis nullo dissipatur flatu violentiæ sæcularis, ubi gratus aspectus nullo impeditur hebetudinis objectu, ubi sanctus labor non fastidit tolerantiam operis, ubi omnis sancta actio jocunditas, ubi otiositas execrabilis & nulla. Non est sic ardua ut sit & pavenda. Sic autem innoxia libertatem grata nescit inquinamentis admixta. Grata pariter est & arta, grata desideriis præmiorum, arta prohibitione peccaminum. Quicunque æterna amat in hac avidus currit. Quicunque temporalibus hæret hanc compeditus nec aggredi pertimescat. Ibi certitudo salutis adversa amat, otii verò tranquilla prosperitas enervat. Ibi fortis dilectio ut mors; quia quem divinitatis amor afflaverit, actio mundialis mortificatum habet. Omnis illic viator caritate vulneratus currit, & ad præmium vulneris ardenter agitur stimulis caritatis. Terreno constituta situ cælesti delectatur adnisu. Mortali vegetata tempore mortali potitur amore, & inde ad immortalitatis gloriam liberè tendit unde mortificationem corporis veraciter adsumit. Pervia illa est sacrorum vestigiis animorum. Omnis illam futurus bonæ patriæ civis sexu congreditur, ætate appetit, tempore intrat, opere agit, intentione urget, amore complectitur. Majores natu cum Mosen & Aaron per instantiam servitutis sanctæ nitent internæ gloriæ claritate. Juvenes per exercitium operis bella tentationum subigunt spiritalibus armis. Mulieres cum Maria in tympano attenuatæ carnis divinæ gloriæ personant hymnis, instructæ usibus virtutis, ut per virorum fortium viam sit illis liberum ambulare. Quæ

ideo non refugiunt tentationum incursus hostilium, quia vigore animi cohærent societati sanctorum, & inde non separantur duri itineris labore, quia pares sunt intentionis sanctæ congressione. Non queruntur de imbecillitate propria, quia per mollitiem corporis operationem exerunt virtutis. Delicatum sibi nihil ex mollitie deputant, quando & corpora suscipiendis persecutorum gladiis parant. Nihil tenerum de sexu sentiunt, quando totum ad victoriam gloriæ duruit quod molle oblectabiliter fuit. Non erit de cujuscunque proposito vel honore, sexu vel ordine, persona vel genere quem non in peregrinatione mortalitatis hujus eremi sanctæ istius mansio vel tutandum suscipiens teneat vel itinere salutari ad mansionem æternæ beatitudinis mittat. Instat enim illic omnium capacitas ordinum, nullius rei à se rejecta conditione, quæ in eam rationabiliter vegetatur, sapienter vivit, in Dei dilectione consistit, & ad laudationem æternitatis divinæ pertendit. Nam cum sit in Pontificibus exemplum beatè vivendi & celsitudo gloriæ cælestis in sacerdotibus beatæ vitæ gravitas honesta, in ministris sancta vita, obedientiaque subministrata, in reliquo religionis corpore venustas morum, & ordinum custodia distinctorum, virginibus incorruptionis gloria, continentibus solatiorum expectatio, pœnitentibus indulta remissio, divitibus & in usu divitiarum liberalitas prompta, & in illicitis usibus licentia abscissa, egenis consolatio vitalis, potestatibus & in excellentia honoris humilitas vera, & in excessu pietatis aggravatio cohibenda, conjugibus & in prole honesta libertas, & in libitu dempta voluptas, omnes hic situs ad salutem suscipit, omnes hoc iter ad vitam mittit. Tantum est ut qui regionis hujus plagam ingressus fuerit inno-

centiæ hæreat, caritate ardeat, & ad manifestationem gloriæ Dei illa perenniter satiandus anhelet: quoniam omnis ejus viator quanto sapiens fixusque fuerit in ordine proprio, tanto certus erit in præmio expectando, & quanto ardentior in operando quod bonum est, tanto fidus in percipiendo quod præmium est.

CAP. LXXIII. *Sperandum in solo Deo.*

Descripto eremi discursu, & attentata illic spiritali refectione, exhaustoque omnium vitiorum humore, tunc plena tranquillitas pergentibus erit quando tota spes in auctorem omnium bonorum Deum fixa perstiterit.

CAP. LXXIV. *Quòd nemo salvari possit nisi & præcedenti & subsequenti misericordia Dei.*

Quamvis mari baptismatis abluti, quamvis libertati contraditi cantemus canticum gloriæ Dei, nequimus per spatia præsentis vitæ duci ad possessionem quietis æternæ, nisi donec mortaliter vivimus & lumen nos columnæ præcedat & protectio nobis obumbret, quò inter omnium mundi hujus tentationum occursus & lumen gratiæ Dei præveniens provehat ignorantes & nubes misericordiæ subsequentis protegat atque roboret imbecilles.

CAP. LXXV. *De subsequenti narratione conjecta.*

Porro quoniam bonorum operum quædam sunt potentialia instrumenta sine quibus omnis homo nec creatori restitui nec redemptori omnimodè valeat copulari, brevi sunt orsu notanda, ut vis dictorum suis artibus tenta solidum decorumque operis corpus efficiat enitenti junctura.

CAP. LXXVI. *Repetitio quorundam præteritorum.*

Reparati hominis exordia ex vetustate vitæ ad

Dei cognitionem venientis in exorcismo verbi, in denuntiatione præcepti, in unctione olei, in acceptione symboli, in sacramento baptismi, in charismate spiritus sancti, in participio corporis & sanguinis Christi, patenti & competenti ordine textu præcedentis operis sunt expleta. Quæ cuncta ex auditu fidei incipiunt, per fidei expectationem consistunt, in fidei dilectione complentur.

CAP. LXXVII. *Quid sit fides.*

Fides id ipsum est quo fieri credimus id quod nondum videre valemus. Nam cùm videt quis non opus est ut quærat rei fidem cui detulit visionem. Si autem videri nondum potest, necesse est deferat fidem & fieri posse confirmet quod videre minimè valet.

CAP. LXXVIII. *Unde dicta fides.*

Ex hoc ergo dicta fides quòd fiat illud quod inter utrósque placitum est, id est inter Deum & hominem, ut in præsenti credatur in Deum, & in futuro credatur satiari dulcedine Dei quam repromisit diligentibus se.

CAP. LXXIX. *Quòd fides & malarum rerum & bonarum.*

Fides porro est non solùm in Deum. Nam est & malarum rerum & bonarum, quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bona, non mala.

CAP. LXXX. *Quòd fides & præteritarum rerum sit & præsentium & futurarum.*

Est etiam fides & præteritarum rerum & præsentium & futurarum. Credimus enim mortuum Christum. quod præteriit. Credimus sedere ad dexteram patris. quod nunc est. Credimus venturum ad judicandum. quod futurum est.

CAP. LXXXI. *Quòd fides & suarum rerum sit & alienarum.*

Item fides & suarum rerum est & alienarum. Nam & se quisque credit aliquando esse cœpisse nec fuisse utique sempiternum, quia cœpit, esse autem æternum, quia non desinit. Nec solùm de aliis hominibus multa quæ ad religionem pertinent, verùm etiam de angelis, credimus.

CAP. LXXXII. *Quòd fides & opus connexa salvent hominem, discissa non salvent.*

Perceptæ fidei accessus operum magna virtutis adfinitate connectitur, quoniam si neutro sibi hæreant, sunt utroque confusa, dicente Apostolo: *Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est, & suppleta est scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est. Vides quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Quid ergo, quia divisione sui destruuntur utraque, nisi ut connexione sui construantur utraque, quò juxta Abraham fides opera commendet, & juxta Apostolum fidem operatio vivificet? Porro revelante nobis evangelio hereditatem æternæ vitæ nonnisi fides Christi commendat, dicente ipso: *Hæc est autem vita æterna ut credant te solum v rum Deum & quem misisti Jesum Christum filium tuum.* Credentibus deinde adsignat idem Dominus fidei opera cohærere debere nec extra operum dignitatem fide sola posse salvari, ipso dicente: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum; sed qui fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intra-*

bit in regnum cælorum. Ad statum ergo salutis fides & opus cohærentia manebunt, quia ad interitum salvationis malè diffidentia comprobantur.

CAP. LXXXIII. *De comparationibus rerum fidei operique conjectis.*

Sicut enim qualitas alicujus formatæ rei non in sola pulchritudine metalli consistit, nisi huic manus operantis dispositionis ordine decorem imprimat venustatis, ita fides nullis operibus comta, non solùm invenitur indecora, sed etiam mortua, ita certè lucerna fidei, nisi bonorum operum habeat nutrimenta, citatim videtur extincta. Sic corporalis vita hominis, nisi ciborum competentia vegetetur, in labem morientis inducitur. Ita denique nisi vegetet hoc vitalis spiritus, erit mortuum corpus. Sic plantatio nemoris, nisi coalescat rivulis humoris, continuò extinguitur uredine siccitatis. Consequens ergo est ut præcedentem fidem sequantur opera, quoniam nec ædificium operum sine fidei fundamento, sine instructura operis inanescit. Est ergo homini tunc magna felicitas quando fides illa quæ per dilectionem operatur ipsius dilectionis operatione munitur, ut si diligit qui credit, operis exhibitione probetur.

CAP. LXXXIV. *Quòd spes nonnisi bonarum & futurarum rerum.*

Spes nonnisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum & ad eum pertinentium qui earum spem gerere perhibetur. Unde Apostolus: *Spes quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.*

CAP. LXXXV. *Quòd ex fide nascatur spes.*

Ex illa ergo fidei confessione quæ breviter symbolo continetur, & carnaliter cogitata lac parvulorum est, spiritaliter autem considerata atque

tractata cibus est fortium, nascitur spes bona fidelium, cui sancta caritas comitatur.

CAP. LXXXVI. *Unde dicta spes.*

Spes inde dicta quòd sit properandi pes. Per hanc enim progredimur & patienter sustinemus dilationem promissorum bonorum in hujus sæculi tentationibus constituti, donec in patientia nostra possidentes animas nostras per adjutorium divinum à malo liberati perveniamus ad beatitudinem repromissam, in qua vivemus in omni bono.

CAP. LXXXVII. *Quòd spei contraria desperatio sit.*

Spei porro contraria est desperatio. Ad progrediendum & sustinendum pes animi deest. Dum enim quisque iniquus peccatum amat, nec tentationem suffert, nec vitæ coronam sperat.

CAP. LXXXVIII. *De sententia Pauli, quæ fidem, spem, & caritatem decenter contexta demonstrat.*

Hujus fidei accessum & spei statum ad remunerationem beatitudinis pertendentem competentibus & verbis & rebus Paulus commendat cùm dicit: *Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & accessum habemus in gratia ista in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Totus iste locus ita quodam articulo instruendi compactus est & concretus ut tota ipsa principaliter tria, quæ sunt, fides, spes, & caritas, initio, statu, & complemento sui sint vel texendo completa, vel complendo contexta.

CAP. LXXXIX. *Expositio ejusdem sententiæ Pauli.*

Initium itaque salutis humanæ ex fide esse proposuit dicens, *Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum*; & ac si quæreretur per quid fieri posset ipsius pacis effectus adjungit, *per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et quid in hoc agit ipse Dominus noster Jesus Christus, sequitur: *per ipsum habeamus accessum in gratia ista in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Ecce prædixit initium fidei; quæ cùm fuerit in Christo, erit justificatio credenti. Post justificationem erit pax ad Deum, ad quam ordinatè venitur per gratiam Dei, in qua jam omnis qui credit stat contra omnia adversa immobilis & gloriatur in spe filiorum Dei. Et ex hoc inchoant solida esse media cujus fidelia extiterant prima. Primò namque per fidem justificatus, quia justus ex fide vivit. Deinde per justificationem Deo pacificatus, quia pacifici filii Dei vocabuntur. Et hæc fiunt non per aliam fidem nisi per eam quæ est in Christo Jesu, per quæ accessum habemus in gratia ejusdem fidei in qua stamus & gloriamur, quæ præparatur à Deo in bona voluntate credenti, in qua dictum est. *Credens stat solidatus in petra, qui est Christus, & gloriatur, sperans promissam sibi hereditatem filiorum Dei.* Et hoc medium ejus, in quo sustinet luctamen adversitatis & certamina passionis: quoniam cùm homo excruciatus vel occultis tentationibus, vel apertæ persecutionis objectibus, veræ fidei solidatus spe, invisibilia expectat, eaque nondum videntur, ventura confidit, eaque in futurum retributio adducet, jam in præsenti expectatione firma complectitur, nec dubitat ut quandoque percipiat, qui ut verè percipiat jam evidenter sperat. Unde adjungit: *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Quid hoc est, *Non solum?* Ergo

est & aliud in quo gloriatio est? Illud videlicet quod gloriatur in accepta fide, cujus mercedem sperat, retributionem æternæ vitæ. Gloriatur autem & in alio lucro, id est in tribulationibus quas sustinere facit: *scientes quòd tribulatio patientiam operatur.* Hinc dicitur, *Patientia vobis necessaria est:* quia nisi patientia tribulationem temperet dum pressura tribulationis vim patientiæ extinguit, negotium certaminis non ad probationem extendit, sed mox ad reprobationem elidit. Jam patientia quam tribulatio operata fuerit extenditur ad probationem, ut hoc quod toleratur, si ad æternitatis amorem tendit, verè probetur, ne in sinu tolerantiæ lateat murmur vocis iniquæ, & quod stabat sub fasce pressuræ solidum dilabatur in murmuris fluxum, sicque probitatis dignitate careat quod in reprobatione murmuris venit. Jam probatio fidelis inventa venit ad bonorum spem, quæ tanta dulcedine conditoris anhelat ut cupiat corpore dissolvi & esse cum Christo, tanta sui soliditate robusta ut confundi non possit. Salus itaque illa quæ per fidem cœpit, quæ justificationem invenit, quæ ad pacem Dei pervenit, quæ in Christo solidata accessum gratiæ reperit, in qua firmissimè stans veraciter gloriatur, quam tribulatio exercitavit, quam probatio idoneam reddidit, spes deinde sine confusione ad remunerationis æternitatem inducit, & hæc non aliter nisi quia illa ultima, & quæ major est horum, caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Hoc spei tempore, quod est medium inter fidem & caritatem, nunquam autem à fide & caritate sejunctum, fit exercitium operum bonorum, ut fidem opera commendent, ne mortua sine operibus habeatur, ut spes indesinenter opus exerceat, perducens intentionem usque ad perseverantiæ salutem, tolerans quicquid adversum aut ex tentatione aut ex passione concur-

rerit. Et ita cuncta æquo animo sustinet ut inter angustias dolorum & præsenti lætitia glorietur & in futuræ gloriæ expectatione lætetur.

CAP. XC. *De caritate & nomine ejus.*

De caritatis bono quantum quisque dicere poterit, cùm satis Paulum dixisse sufficiat: qui prosequens virtutes ejus tanta numerositate complexus est quanta & ubertate fructus ejus opimo se esse pensavit. Nomen caritatis Græcum est. Quod Latinè dilectio dicitur. Hæc à duobus incipit, vel ab homine & Deo, vel coram Deo ab homine & proximo. In uno enim experimentum dilectionis minimè patet, quia cui se vel quid sibi quisque connectat singularitas non habet. Hæc primùm à Deo ad homines venit, dicente Johanne: *Non quia nos dileximus Deum, sed quia Deus prior dilexit nos, dans nobis pignus spiritus ut diligamus eum in operibus pietatis.* Dehinc ut demonstretur dilectio Dei, ostenditur dilectio proximi. Nam denuntiante Apostolo, *si proximum, quem videmus non diligimus, quomodo Deum, quem non videmus, diligere poterimus?* Testimonium ergo dilectionis Dei est dilectio proximi. Et tunc verè diligi probabitur Deus quando in Deum amicus, propter Deum dilectus convincitur inimicus. Hæc ubi vera consistit intercidi nescit, quia interruptionem non habet quod permanebit in æternitatis hereditate, tantum effectu suæ operationis idonea ut non quærens quæ sua sunt, sese periculis ingerat proximorum, atque quicquid lucrandum adsciverit, aut propriæ prosperitatis communione refoveat, aut susceptæ adversitatis expugnatione defendat, robustis exercitiis invida, dum semper avida proximi salutis, aut quod lucraverit non amittit, aut quod lucrare nequiverit compassione simplici dolet, nunquam bonitatis vacuata mercede.

FINIS.

CAPITULA RODULFI ARCHIEPISCOPI BITURICENSIS.

INCIPIT PROLOGUS.

RODULFUS exilis servorum Dei servus fratribus & consacerdotibus Bituricensis Ecclesiæ nostræ salutem. Non latere credimus beatitudinis vestræ solertiam quanta ecclesiasticæ nobis disciplinæ, quantisve cotidianis sollicitudinibus subditorum insuper & temporalium oppressionibus rerum, quibus indesinenter undique coangustamur, sollicitudo confringat. Idcirco, ut vobiscum contuli, ex antiquorum scriptis, scripturarum quoque ac canonum orsis excerpere dudum opusculum vitæ sacerdotalis pœnitentiæque ac satisfactionis minimè quivi: quoniam animus partitus per diversa fit tardior ad singula. Non enim renisus sum petitioni vestræ velut otii tædio durus, sed supradictæ impossibilitatis nervo vinctus. Jam verò tantorum nolens resistere querimoniis dignum ac utile fore censeo condignis parere desideriis laudabilibusque satisfacere petitionibus. Quapropter me ipsum, fratres, abnegare nolo, sed ardenti animo, sine aliquo excusationis verbo, hujus ponderis sarcinam à vobis illatam, à Domino quoque sublevandam, arripere non recuso, jactans in Christo meum cogitatum, cujus hortatu huic operi

tribuam incrementum. Ipse enim infit: *Aperi ostium, & ego adimplebo illud.* Valde etenim me sollicitat quoniam ita in sacerdotum nostrorum libellis reperi quos vulgo pœnitentiales vocant, quorum errores certi, auctores sunt incerti, confusa judicia pœnitentium atque ita diversa & nullius auctoritate suffulta ut vix animus prudentis prope dissonantia tanti discriminis possit sustinere jacturam. Hos verò obliterans, & studium meum certis atque catholicis scripturis accommodans, quid agere sacerdotes, qualiterve conversari vel quomodo Christi gregem veluti pastores ingenio compotes & sermone tantùm medicinali antidoto levigatum ad perpetuæ caulas pascuæ revocare oporteat, ex sanctorum patrum canonumque sententiis exiguum opus in uno volumine aggregare curavi. Et ut fastidiosis & minùs eruditis lectoribus tædium minimè inferrem, hujus modici opusculi summam XLV. capitulis perstrinxi. Si autem quis paschalibus multimodisque refertus dapibus hunc nostri laboris spreverit actum, in his obsecro caritate servata opibus utescat cecropiis, nostris omittens contraire purissimæ devotionis sine aliquo arrogantiæ fastu conatibus. Legentium quippe totis præcordiorum nisibus efflagitare non cesso industriam quatenus dilectionis munere recreati, quæ in his membranis conspicuo corrigibilia & minus apta perspexerint ocello, absque dilacerationis obstaculo, non ut obtrectatores insani, sed tanquam amplectitores benevoli, emendare atque corrigere caritativè studiosè studeant, ut & perfectio dilectionis servetur in mente, & effectus optimi studii exerceatur in opere. Unde posco vos, ô fratres dilectissimi, fundite pro meis peccaminibus supplicibus votis ad Dominum preces, quòd clemens atque multùm misericors vincula pravi-

Concil. Cabilon. II. cap. 38.

tatis meæ absolvat, & gaudia æterna concedat. Deus omnipotens æternus pastor vos ubique protegat & ab omnibus perturbationibus liberet.

Caput primum. *De fide sanctæ trinitatis, qualiter tenenda sit à Presbyteris & prædicanda.*

Primò omnium credendum est atque omnibus generaliter prædicandum patrem & filium & spiritum sanctum unum Deum esse omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & unam esse deitatem & substantiam & majestatem in tribus personis patris & filii & spiritus sancti. Itemque quoniam filius Dei incarnatus est de spiritu sancto & Maria virgine pro salute & reparatione humani generis, homo factus, passus, sepultus, tertia die resurrexit, & ascendit ad cælos, sedetque ad dexteram patris, & quia venturus sit judicare omnes homines propter merita propria, & quoniam omnes mortui in vera carne resurgent, impii propter scelera sua cum diabolo in ignem mittendi æternum, justi verò cum Christo & cum angelis suis in vitam consociandi æternam. *Lib. 1. Capitular. cap. 76.*

Cap. II. *De honore & restauratione Ecclesiarum.*

Placuit nobis admonere fratres & consacerdotes nostros ut Ecclesia Dei per illorum parrochias suum habeat honorem, & altaria secundùm suam dignitatem venerentur & exornentur, domusque Dei & altaria sacrata non sint avibus & canibus pervia, & ut sæcularia negotia & vaniloquia in Ecclesiis non agantur, quia domus Dei domus orationis debet esse, non spelunca latronum, & non ob aliam causam in Ecclesiam convenire debere nisi ad laudandum Deum & ejus servitium faciendum. Disceptationes verò & tumultus & vani- *Lib. 1. Capitular. cap. 67. & lib. 6. cap. 377.*

Capitulare Theodulfi cap. 10.

loquia & scurrilitas cæteræque turpes actiones ab eodem sancto loco penitùs prohibenda sunt. Ubi enim Dei nomen invocatur, sacrificium Deo offertur, angelorum frequentia inesse non dubitatur, periculosum est tale aliquid dicere vel agere quod loco non convenit. Si enim Dominus illos de templo ejecit qui victimas quas ibi offerebant emebant & vendebant, quanto magis illos iratus abjiciet qui mendaciis, vaniloquiis, risibus, & hujusmodi nugis locum divino cultui mancipatum fœdant? Monemus etiam ut prædictas Ecclesias bene construant & emendent juxta rerum possibilitatem, & luminaria eis tribuant, sicut decet, ut in omnibus honorificetur Deus, & Ecclesia sancta Christi sanguine mercata veneretur, magnificetur, atque exaltetur.

Lib. 2. Capitular. cap. 5.

CAP. III. *Ut Missa nequaquam alibi nisi in Ecclesia celebretur. Et ut in Ecclesiis cellaria non fiant.*

Capitulare Theodulfi cap. 11.

Missarum solemnia nequaquam alibi nisi in Ecclesia celebranda sunt, non in quibuslibet domibus & in vilibus locis, sed in loco quem elegerit Dominus, juxta illud quod scriptum est: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus ut ponat nomen suum ibi.* excepta ratione eorum qui in exercitum pergentes ad hoc opus habent tentoria & altaria dedicata in quibus Missarum solemnia expleant. Videmus etiam crebrò in Ecclesiis messes, vinum, fœnum, & cæterarum frugum species congeri. Unde horrea vel cellaria potiùs quàm Ecclesiæ esse probantur. Et ob hoc, quod nefas est, homicidia, adulteria, furta, comessationes, ebrietates, turpiloquia, & his similia inlicita, quæ visu & auditu obscœna sunt, ibi fieri sæpe à plurimis didicimus. Quapropter volumus ut hoc penitùs observetur

Capitulare Theodulfi cap 8.

quatinus in Ecclesia nihil aliud præter vestimenta ecclesiastica & vasa sancta & libros & ea quæ honori congruunt vel non officiunt ecclesiastico recondatur; ne fortè si alia ibi quàm oportet negotia exerceantur, à Domino audiamus: *Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Et iterum: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.*

CAP. IV. *Ut in Ecclesiis deinceps sepulturæ mortuorum non fiant.*

Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, & plerunque loca divino cultui mancipata & ad offerendas Deo hostias præparata cimiteria sive polyandria facta sunt. Unde volumus ut ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi fortè talis sit persona sacerdotis aut cujuslibet justi hominis qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum adquisivit. Corpora verò quæ antiquitus in Ecclesiis sepulta sunt nequaquam projiciantur; sed tumuli qui apparent profundiùs in terram mittantur, & pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi verò tanta est multitudo cadaverum ut hoc facere difficile sit, locus ille pro cimiterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco constructo ubi religiosè & purè Deo sacrificium offerri valeat.

Capitulare Theodulfi cap. 9.

Vide Notas ad Reginonem pag. 557.

CAP. V. *De libris & vestimentis ecclesiasticis vel sacerdotalibus & de vasis sacris.*

Admonendi etiam sunt sacerdotes ut operam dent quatinus Missalem & lectionarium, psalterium, sive alios libellos sibi necessarios bene correctos habeant, quia sæpe dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros malè rogant. Et pueros suos non sinant vel legendo vel scribendo

Lib. 1. Capitular. cap. 68. 103. & lib. 5. cap. 129.

eos corrumpere, corrigere, vasaque Deo sacrata magna veneratione habeantur. Et non liceat alicui calicem aut patenam aut quodlibet vas sacratum & divino cultui mancipatum ad alios usus retorquere. Nam quicunque de calice sacrato aliud bibit præter Christi sanguinem, qui in sacramento accipitur, & patenam ad aliud officium habet quàm ad altaris ministerium, deterrendus est exemplo Balthasar, qui dum vasa Domini in usus communes assumpsit, vitam pariter cum regno amisit. Statuimus quoque ut cum summo studio linteamina nitida altaribus præparent, & sacerdotalia indumenta cum quibus sacrificatur optima pro viribus & munda habere satagant, & sive nova sive vetustate confecta ad alios usus transire nullo modo sinant.

Capitulare Theodulfi cap. 18.

CAP. VI. *De eucharistia.*

Ut Presbyteri semper habeant paratam eucharistiam, ut quando quisque infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eos communicent, ne sine communione moriantur. Panes enim quos in sacrificio offertis, aut à vobis ipsis aut à vestris ministris ad id agendum idoneis coram vobis nitidè ac studiosè fiant, & diligenter observetur ut panis & vinum & aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissimè atque studiosè tractentur, & nihil in his vile, nihil reprehensibile inveniatur, & ut sacrificia sanctificata cum magna diligentia ab eis colligantur qui digni sunt, & honorificè serventur. Ab omnibus autem cavendum summopere esse monemus ut non diutiùs serventur, ne fortè putrida & inhonesta appareant, sed tam diù in vase mundissimo custodiantur usque dum ad alia dicata succedant.

Lib. 1. Capitular. cap. 155.
Capitulare Theodulfi cap. 5.
Lib. 1. Capitular. cap. 67.

CAP. VII. *De vita & moribus sacerdotum.*

Oportet sacerdotes Dei assiduitatem habere legendi & instantiam orandi; quia vita viri justi lectione

Capitulare Theodulfi cap. 2.

tione instruitur, oratione ornatur, & assiduitate lectionis munitur, juxta illum qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Hæc sunt arma, lectio videlicet & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumenta quibus beatitudo adquiritur. His armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur. Et si quando à lectione vel oratione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ, & antiquus hostis quem à lectione sive ab oratione seu operatione vacantem invenerit facilè ad ima rapit. Debet itaque Christi sacerdos compositis moribus, vultu hilari, sermone proficuo, exemplo salubri, placido animo, sine dolo & simulatione, atque omnibus in commune virtutibus clarere, quatinus sibi commissos non livoris atque amaritudinis zelo pertrahat ad ruinam, sed caritatis atque dulcedinis providentia provocet ad salutem. *Ibid. cap* 3.

CAP. VIII. *De doctrina & observantia sacerdotum.*

Ut Presbyteri qui sibi & cæteris prodesse debent summopere studeant ut doctrinam rectam teneant, & baptisma catholicum observent, & Missarum preces bene intelligant, & horas canonicas diurnas vel nocturnas custodiant, & ut psalmi dignè secundùm divisiones versuum modulentur, & dominicam orationem & symbolum atque expositionem ipsi noscant & omnibus prædicent intelligendam, & unusquisque sciat quid à Deo petat; quatinus eorum doctrinis atque exemplis multi pertrahantur ad servitium Dei, sicut ipse Dominus in evangelio præcepit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* *Lib. 1. Capitular. cap.* 66.

CAP. IX. *Ut laici seniores domus sacerdotum aliqua occasione cum feminis & canibus habitandi causa non habeant.*

Omnes in commune seniores Ecclesiarum laicos monemus ut in domibus sacerdotum, quæ mundæ ac castæ & religiosæ debent esse, cum uxoribus vel aliis feminis seu canibus habitare nullatenus præsumant: quoniam illicitum est eum qui soli Deo servire jubetur luxuriosis verbis atque superfluis implicari tumultibus, & commissi officii præfixas psallendi, vigilandi, orandi, aut, si necessitas evenerit, baptizandi, infirmisque & deficientibus subveniendi, corrumpere metas. Hoc verò nefas deinceps fieri vetamus, ne Dei ministri sæculari oppressione lædantur, & Christi grex carissimo pretio comparatus negligentia pastorali morte damnetur æterna. Si autem ab hinc tale aliquid gestum fuerit, ad nostram citiùs perveniat notitiam, ut auctoritate divina ad corrigendum vel inviti deducantur transgressores.

CAP. X. *Quo ordine à Presbyteris Missa celebretur.*

Capitulare Theodulfi cap. 7.

Sacerdos Missam solus nequaquam celebret: quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione sacerdotis, responsione plebis, admonitione sacerdotis, responsione nihilominus plebis, ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari, esse autem debent duo aut tres qui circumstent, quos ille salutet, à quibus ei respondeatur. Et ut epistolam nullus laicus legere præsumat nec clericus, nisi priùs subdiaconatus susceperit officium. Sicut enim Missam Sacerdotes & evangelium legere Diaconi jubentur, ita epistolam pronuntiare inter sacra Missarum solemnia Subdiaconi noscuntur. Nam si Subdiaconus defuerit, aut à Diacono aut ab ipso le-

gatur Presbytero, ut non vituperetur ministerium sacrum, sed in omnibus honorificetur Deus. Feminæ autem Sacerdote Missam celebrante nequaquam ad altare accedant, nec vasa sacra contingant, sed in locis suis stent. Memores enim esse debent feminæ infirmitatis suæ & sexus imbecillitatis. Et idcirco sancta quælibet in ministerio Ecclesiæ contingere pertimescant. Quæ etiam laici viri pertimescere debent, ne Ozan pœnam subeant; qui dum arcam Domini extra ordinari Dei sustentare voluit, sed Domino percutiente interiit. *Capitulare Theodulfi cap. 6.*

CAP. XI. *De hospitalitate.*

Admonendi sunt sacerdotes ut hospitalitatem & per se diligant & cæteris diligendam esse insinuent, & nulli hospitium prohibeant. Et si cui fortè hospitium præstiterint, nullum ab eo munus accipiant, nisi fortè ille qui recipitur sponte sua aliquid det. Dicendumque illis qualiter multi per hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apostolo: *Per hanc enim placuerunt quidam Deo, angelis hospitio susceptis.* Et iterum: *Hospitales invicem sine murmuratione.* Et ipse Dominus ad judicium dicturus est: *Hospes eram, & collegistis me.* Sciant namque quicunque hospitalitatem amant, Christum se in hospitibus recipere. Esurientes ergo satiandi sunt, sitientes potandi, nudi operiendi, infirmi & qui in carcere sunt visitandi, & hospites colligendi, dicente Domino: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere.* & cætera. Nam hæc omnia & in se quisque debet spiritaliter agere & in aliis carnaliter adimplere. *Capitulare Theodulfi cap. 25.*

CAP. XII. *De Conciliis observandis.*

Secundùm priscorum edicta patrum cuncti sacerdotes per parrochias constituti ad Concilium venire jubentur, ut ibi omnium quæstionum negotia ab Episcopo discutiantur, ut quæ utilia sunt

comprobentur, & inutilia quæque & inlicita canonicè corrigantur. Unde monemus omnes ut hæc salutaria monita custodire non negligant, & ad synodum omni occasione sublata occurrere indifferenter satagant, qualiter unanimitate servata omnium disceptationum ruinosa tollantur discidia. Si quis verò his institutionibus contraire tentaverit, & synodalia jura contemnens ad nostrum Concilium nostrorumque ministrorum festinare distulerit, nisi justam excusationis protulerit causam, canonicæ excommunicationis sentiet pœnam.

CAP. XIII. *De prædicatione sacerdotum.*

Capitulare Theodulfi cap. 28. Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes. Qui scripturas scit, prædicet scripturas. Qui verò scripturam nescit, saltim hoc quod notissimum est plebibus dicat, ut declinent à malo & faciant bonum, inquirant pacem & sequantur eam, quia oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Nullus ergo se excusare poterit quòd non habeat linguam unde possit aliquem ædificare. Mox enim ut quemlibet errantem viderit, prout potest aut valet, aut arguendo aut obsecrando aut increpando ab errore retrahat & ad peragendum bonum opus hortetur. Modus autem prædicationis hic est. In pri-*Ibid. cap. 21.* mis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute, deinde proximum tanquam se ipsum. Deinde non occidere, non adulterare, non facere furtum, non concupiscere, non falsum testimonium dicere, honorare omnes homines, & quod sibi quis fieri non vult alio non faciat, abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum, corpus castigare, delitias non amare, jejunium amare, pauperes recreare, nudum vestire, hospites suscipere, infirmum visitare, mortuum sepelire,

in tribulatione positis subvenire, dolentem consolari, à sæculi actibus se facere alienum, nihil amori Christi præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reservare, dolum in corde non tenere, pacem falsam non dare, caritatem non derelinquere, non jurare, ne fortè perjures, veritatem ex corde & ore proferre, malum pro malo non reddere, injuriam non facere, sed & factam patienter sufferre, inimicos diligere propter Deum, maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere, persecutionem pro justitia sustinere, non esse superbum, non vinolentum, non multùm edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmuriosum, non detractorem, non litigiosum, spem suam Deo committere. Bonum aliquid in se cùm viderit, Deo applicet, non sibi; malum verò à se factum sciat & sibi reputet. Diem judicii timere, gehennam expavescere, vitam æternam omni concupiscentia spiritali desiderare, mortem cotidie ante oculos suspectam habere, actus vitæ suæ omni hora custodire, in omni loco Deum se respicere pro certo scire, cogitationes malas cordi suo advenientes abjicere, os suum à malo vel pravo eloquio custodire, multùm loqui non amare, quoniam secundùm scripturam in multiloquio peccatum non deerit, verba vana aut risui apta non loqui, risum multum non amare, lectiones sanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere, mala præterita cum lacrymis & gemitu cotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cætero emendare, desideria carnis non perficere, voluntatem propriam odire, præceptis sacerdotis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, quàm non oportet agat, memores illius dominici præcepti, *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite*, præcepta Dei factis cotidie adim-

plere, castitatem amare, zelum & invidiam non habere, contentionem non amare, seniores venerari, juniores diligere, cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, & de Dei misericordia nunquam desperare. Hæc sunt enim instrumenta spiritalia; quæ cùm fuerint à nobis die noctuque incessabiliter adimpleta & in die judicii reconsignata, illa merces à Domino recompensabitur quam ipse promisit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.*

CAP. XIV. *De Presbyteris qui in cœna Domini pro chrismate veniunt, ut unusquisque tres deferat ampullas.*

Lib. 1. Capitular. cap. 93. 156. Vide Notas ad Capitularia pag. 1170.

De Presbyteris qui accipiendi chrismatis gratia ad civitates in cœna Domini venire soliti sunt constituimus ut ex decem unus eligatur, qui acceptum chrisma sociis suis diligenter perferat. Hi verò qui non longiùs à civitate quàm sex aut septem millibus habitant, ad accipiendum chrisma per se veniant. Tres autem omnes secum deferant ampullas, unam pro chrismate, aliam pro oleo ad catecuminos, tertiam pro oleo ad infirmos ungendos. Secundùm itaque beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam decreta patrum consonant, infirmi oleo quod ab Episcopis benedicitur à Presbyteris ungi debent. Dicit enim: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, unguentes cum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum & allevabit eum Dominus. Et si in peccatis est, remittetur ei.* Non est ergo parvipendenda hujuscemodi medicina, quæ corporis animæque medetur languoribus Presbyteri autem chrisma sub sigillo custodiant, ut nulli sub prætextu medicinæ vel alicujus maleficii dare præsumant. Si fecerint, honore priventur.

Lib 5. Capitular. cap. 145.

CAP. XV. *De parrochianis & de parrochia alterius & de clericis alienis.*

Nullus Presbyter alterius parrochianum persuadeat ut ad suam Ecclesiam concurrat, relicta propria Ecclesia, nec ad Missam recipiat, nisi in itinere fuerit, aut placitum ibi habuerit, aut aliqua justa ratio intervenerit. Nullusque Presbyter in alterius Ecclesia Missam canere præsumat, nisi in itinere positus, aut ob eo jussus ad quem ipsa pertinet Ecclesia. Nec decimas alteri debitas audeat recipere, sed unusquisque sua Ecclesia & populo contentus, quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat, juxta illud evangelicum: *Quæcunque vultis ut vobis faciant homines, & vos eadem facite illis.* Hoc quoque modis omnibus prohibemus ut nullus Presbyter alterius clericum sollicitet aut recipiat, quia gravis de hac re in sacris canonibus sententia est. Quisquis autem contra hæc statuta venerit, vel his monitis nostris reniti tentaverit, aut gradum se sciat amissurum, aut in carcere longo tempore detinendum.

Capitulare Theodulfi cap 14. Lib. 7. Capitular cap. 198. & lib. 1. cap. 147. 148.

CAP. XVI. *De feminis à Presbyteris non suscipiendis.*

Nulla femina in domo sacerdotis habitet. Quamvis enim canones matrem & sororem & hujuscemodi personas in quibus nulla sit suspicio cum illo habitare concedant, hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio sive occasione illarum veniunt aliæ feminæ quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, & eum ad peccatum inliciunt. Occasiones enim amputandæ sunt peccatorum, & tollendæ omnes suspiciones quibus subtilitas diaboli sub prætextu caritatis & dilectionis incautas animas & ignaras inretire consuevit. Idcirco ad custodiendam vitam eorum vel famam speciali ordinatione præcipimus ut nullus sacerdotum extra-

Capitulare Theodulfi cap. 12.

neæ mulieri qualibet collatione aut familiaritate jungatur, & non solùm in domo illius femina non accedat, sed nec ipse frequentandi domum feminæ habeat potestatem, nec in cellarium vel in secretum ancillam aut libertam seu quamcunque feminam intromittat. Si quis verò Presbyter crimine fornicationis de quacunque femina suspicatus post primam & secundam admonitionem inveniatur fabulari cum ea vel aliquo modo conversari, noverit se à sacerdotii honore & ab officio removendum, nulla ei prorsus recuperationis consolatione relicta.

CAP. XVII. *Ut nullus Presbyter Ecclesiam alterius subripere audeat.*

Capitulare Theodulfi cap. 16.

Lib. 7. Capitular. cap. 206.

Lib. 1. Capitular. cap. 150.

Si quis Presbyter inventus fuerit alicui clerico aut laico munera dare aut dedisse aut ullo modo quibuslibet factionibus vel fraudibus seu dolositatibus publicè vel occultè attentare ut Ecclesiam alterius Presbyteri subripiat, sciat se pro hac rapina & sæva cupiditate aut gradum amissurum aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agendo detinendum. Statuimus quoque ut nullus sacerdos pro accepta Ecclesia munera dare præsumat. Et hoc juxta canonum decreta seu gloriosissimorum Karoli scilicet ac Ludovici decernimus ut unusquisque Presbyter res quas post diem consecrationis acquisierit ad propriam relinquat Ecclesiam.

CAP. XVIII. *Ut pro baptizandis sive pro sepeliendis fidelibus sive pro pœnitentia danda aut pro sacramentis in Ecclesia faciendis nulla pretia exigantur.*

Lib. 5. Capitular. c. 172. & l. 6. cap. 106. 183.

Audivimus quosdam sacerdotes maligno instinctu agitatos pro baptismatis gratia sive pro sepulturæ loco pretia injusta à nonnullis accepisse. quod

nefandissimum facinus in cunctis majorum institutis novimus prohibitum. Gratis enim datur, & gratis dari jubetur. Et ideo nihil deinceps, quia gratis est datum, pro baptizandis sive sepeliendis hominibus pretii exigere præsumant; sed eos quos corporis valitudo sociat saluti, temporibus constitutis sponte baptizent;* & si in fine mortis constituti fuerint, eos absque aliqua dilatione sine alicujus pretii munere ad regenerationis baptismum admittant. Cùm verò ab hac vita recesserint, cum psalmis & canticis diligenter ad sepulchrum illos deferant, nullum exinde pretium requirentes, nisi ipsi aut parentes eorum seu eleemosynarii sponte aliquid tribuant. Similiter de pœnitentia danda & de sacramento in Ecclesia faciendo ecclesiastica vetat auctoritas nullum prorsus exquirere donum. Pœnitentiam autem quærentibus citò succurrendum est. Et jurantibus ne in perjurium incidant prædicandum. Peccantes autem ut ad pœnitentiam redeant omni sollicitudine invitandi. Et jurantes ut crimen non incurrant omnimodis suadendi sunt. Quoniam frequenter nonnulli paupertate cogente deterriti baptismum differunt, & absque baptismatis gratia filios suos mori permittunt. Alii quoque juramenti pretium, quod ab illis inlicitè à sacerdotibus exigitur, metuentes, perjurium perpetrare non formidant. Si quis verò sacerdotum hæc prohibita deprehensus fuerit admisisse, vel commissa potiùs spontanea voluntate citiùs non correxerit, proprii honoris inrecuperabiliter periculo subjacebit.

Capitula Karoli Calvi tit. 7. cap. 2. S. Gregor. lib. 7. indict. 2. ep. 55.

Cap. XIX. *A quibus inlicitis Presbyteri maximè se cohibere debeant.*

Observandum est sacerdotibus ut ab ebrietate se abstineant, quoniam secundùm scripturam ebrietas nullum vitium excusat. Et Apostolus commo-

Capitulare Theodulfi cap. 13.

net dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et neque per tabernas eant bibendo aut comedendo, neque domos aut villas curiositate qualibet peragrent, aut cum feminis vel quibuslibet impuris personis convivia exerceant; neque comessationibus & cæteris pestibus ad gastrimargiam pertinentibus deserviant, & ad forum vel mercatum nullatenus vadant, neque ad sæculare judicium pergant, nisi fortè ut pauperibus succurrant, aut de verbo Dei judices admoneant ut justa judicia judicent. Si verò eorum propria causa agenda est, cum licentia Episcopi & cum advocato pergant.

Lib. 5. Capitular. cap. 315. Prohibemus autem omnimodis ut Presbyteri villici & conductores seniorum non fiant, nec cartas scribant, nec ad nuptias pergant, nec arma assumant, nec fidejussores existant. Carnis quoque voluptates & negotia sæcularia & vanas hujus mundi delitias, impudica convivia, vana spectacula, mortiferas hujus sæculi pompas, obscœna jocorum verba, risus inutiles, venationem cum avibus vel canibus, usuras, negotiationes inlicitas, pondera iniqua, placita sæcularia, munera injusta, & omnia mortalia peccata, & si qua sunt similia, monemus ut refugiant: quoniam secundùm Apostolum *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus ut ei placeat cui se probavit.* Cæteros itaque ad Ecclesiam Christi pertinentes piè & justè prævidere & regere debent tanquam Christi milites, bene agendo & prædicando juxta Domini sententiam, qui ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant vestra bona opera & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.*

CAP. XX. *Quòd statutis diebus & in vicis baptisma celebretur. Et de infirmis baptizandis.*

Baptismum certis temporibus celebrari antiqui

patres sanxerunt, Pascha scilicet & Pentecosten. Aliis verò temporibus quempiam baptizari canonica vetat auctoritas, præter eum quem in periculo mortis constitutum necessitas summa constringit. His itaque duobus temporibus, Pascha scilicet & Pentecosten, omnes sacerdotes ex cellis ad vicos convenire debent, & ibi officio peracto, cum summa diligentia baptizandos quosque baptizent. Et tunc ad proprias Ecclesias cum baptizatis suis & cæteris subjectis remeantes Missarum solemnia persolvant, & baptizati, & qui eos à fonte baptismatis susceperunt, omnes excommunicent. Et quandiu in albis sunt, cotidie à patrinis ad Ecclesiam cum luminaribus deducantur, & corpus & sanguinem Christi usque in diem octavum æquali jure cuncti percipere studeant. Si autem parvulus ægrotans ad quemlibet Presbyterum quocunque tempore vel hora baptismi gratia de cujuslibet parrochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus absque baptismatis gratia mortuus fuerit, noverit se ille qui eum non baptizavit pro ejus anima rationem redditurum.

CAP. XXI. *De decimis à fidelibus dandis.*

Decimas de omnibus rebus juxta modum à beatis patribus constitutum à cuncto populo cum omni devotione Dei Ecclesiis reddendas esse monemus, ut sacerdotes, qui per sacras eorum orationes & oblationes pro pace, pro totius populi Christiani salute, pro frugibus terræ, pro infirmis quoque & defunctis omnipotentis Dei misericordiam implorant, victum & vestimentum & cætera quæ in eis sunt necessaria habeant, & ut hospitibus & peregrinis, orphanis & viduis, debilibus & ægrotis solatium præbere valeant. Sunt præterea qui-

dam qui decimas suas dare ad Ecclesias suas negligunt, ubi & ipsi & eorum servi Missas audiunt. Proinde decrevimus ut omnes ibi decimas dent ubi infantes eorum baptizantur, & ubi Missas audiunt, & ubi res ipsæ convenire videntur, juxta proprii Episcopi decretum. Presbyteri verò ab his qui decimas non dant wadios nunquam accipiant. Sed qui post crebras admonitiones & prædicationes eas dare neglexerint excommunicentur. Juramento autem propter periculum perjurii constringi eos nolumus.

Concil. Cabilon. II. cap. 19.

Capitula excerpta ex lege Longobardor. cap. 41.

CAP. XXII. *De oratione dominica & symbolo. Et de spiritalibus patribus & filiolis.*

Commonendi sunt fideles ut omnes generaliter à minimo usque ad maximum orationem dominicam & symbolum discant. Et dicendum eis quòd in his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit. Et nisi quis has duas sententias & memoriter tenuerit & ex toto corde crediderit, & in oratione sæpissime frequentaverit, catholicus esse non poterit. Constitutum namque est ut nullus chrismetur, neque baptizetur, neque à lavacro fontis alium suscipiat, neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum & orationem dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minimè perduxit. Patrini autem eos quos de fonte lavacri suscipiunt erudire summopere studeant; & orationem dominicam & symbolum illis insinuent, quoniam eos Domino genuerunt, & pro eis fidejussores existunt. Qui verò in publica pœnitentia sunt constituti, aut criminali peccato tenentur obnoxii, neminem à lavacro fontis suscipere neque coram Episcopo ad confirmationem tenere præsumant usquequo pœnitentia perac-

Lib. 2. Capitular. cap. 46.

Lib. 6. Capitular. cap. 182.

ra satisfactionem condignam percipere mereantur.

CAP. XXIII. *De honore parentum, & dominis subditorum admonendis.*

Admonendi sunt fideles sanctæ Dei Ecclesiæ ut filios suos & filias suas doceant parentibus obedientiam exhibere, dicente Domino: *Fili, honorifica patrem tuum & matrem tuam.* Nam & ipsi parentes erga filios suos ac filias modestè debent agere, dicente Apostolo: *Et vos, parentes, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Nam & hoc dicendum est eis ut si illi tali affectu parcere velint injuriis filiorum, non hos impune Dominus sinit, nisi fortè digni pœnitentiæ exhibeant: quia levius est filios parentum quælibet flagella suscipere quàm Dei iram incurrere. Admonendi sunt etiam domini subditorum ut circa subjectos piè & misericorditer agant, nec eos qualibet injusta occasione condemnent, nec eos opprimant, nec illorum substantiolas injustè tollant, nec ipsa debita quæ à subditis reddenda sunt impiè ac crudeliter exigant. Quia ergo constat in Ecclesia diversarum conditionum homines esse, ut sint nobiles & ignobiles, servi, coloni, inquilini, & cætera hujusmodi nomina, oportet ut quicunque eis prælati sunt, clerici sive laici, clementer erga eos agant & misericorditer eos tractent, sive in exigendis ab eis operibus, sive in accipiendis tributis vel quibusdam debitis; sciantque eos fratres suos esse & unum secum patrem se habere Deum, cui clamant, *Pater noster, qui es in cælis*, & unam matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis utero gignit. Disciplina igitur eis misericordissima & gubernatio opportuna adhibenda est; disciplina, ne indisciplinatè vivendo auctorem suum offendant; gubernatio, ne in cotidianis vitæ commeatibus prælatorum adminiculo destituti fatescant.

Lib. 1. Capitular. cap. 65.

Lib 1. Capitular. cap. 44.

Lib. 1. Capitular. cap. 41.

CAP. XXIV. *Quòd non sit personarum acceptio apud Deum.*

Concil. Cabilon. II. cap. 34. Quia igitur, Apostolo testante, non est personarum acceptio apud Deum, & in omnibus judiciis cavendum est, multò magis in hoc pœnitentiæ judicio præcaveri debet ut nullus sacerdotum unquam aut gratia aut odio alicujus personæ secus judicet quàm quod in canonibus sacris invenerit, aut quod illi secundùm sanctarum scripturarum auctoritatem & ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Si ergo medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cujuslibet acceptionem his quos sanare cupiunt cauterio aut ferro aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt, multò magis his observandum est qui non corporum sed animarum medici existunt. Neque enim pensanda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis & mortificatione corporis. Cor autem contritum & humiliatum Deus non spernit.

CAP. XXV. *De discordantibus.*

Vide Notas ad Reginonem pag. 550. Addit. IV. Capitular. cap. 50. Oblationes diffidentium fratrum neque in sacrario neque in gazophylacio recipiantur. Placuit etiam ut sicut plerunque fit, illi qui odio aut longinqua inter se lite discesserint, & ad pacem redire diuturna intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur quoadusque ad caritatem, quæ cooperit multitudinem peccatorum, venire festinent.

CAP. XXVI. *Qualiter dies dominicus observetur.*

Lib. 1. Capitular. cap. 75 lib. 6. cap 380 & lib. 7. cap. 276. Diem dominicum Apostoli ideo religiosa sanxerunt solemnitate quia in eodem die redemptor noster à mortuis resurrexit. Quique ideo dominicus appellatur ut in eo à terrenis operibus & à mundi inlecebris abstinentes, tantùm divinis cul-

tibus serviamus. Nam sicut ipse Dominus Jesus Christus & salvator noster tertia die resurrexit à mortuis, ita & nos resurrecturos in novissimo sæculo speramus. Unde etiam in dominica die stantes oramus. quod est signum futuræ resurrectionis. Hoc agit universa Ecclesia quæ in peregrinatione mortalitatis inventa est, expectans in finem sæculi quod in Domini nostri Jesu Christi corpore præmonstratum est, qui est primogenitus mortuorum. Dies autem dominicus à Christianis post resurrectionem Domini celebratus est, & ex illo cœpit habere festivitatem suam. Tanta ergo hujus diei debet esse observantia ut præter orationes & Missarum solemnia & ea quæ ad vescendum pertinent nihil aliud fiat. Videlicet ut nec opera servilia in eo agantur, nec viri ruralia exerceant, nec vineas colant, nec campos arent, nec messem metant, nec fœnum secent, nec sepem ponant, nec silvas stirpent, nec arbores cædant, nec in petris laborent, nec domos construant, nec hortum faciant, nec terram moveant, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant, nisi tantùm cibi vel frigoris necessitate. Item feminæ opera textrilia non faciant, nec vestimenta capulent, nec consuant, nec vestimenta lavent, nec liniant, nec linum battant, nec lanam carpere præsumant, nec berbices tondeant, ut omnimodis bonorum requies die dominico persolvatur. Ipse est enim primus dies sæculi. In ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt angeli, in eo manna de cælo datum est, in eo redemptor humani generis à mortuis resurrexit, in eo spiritus sanctus super discipulos descendit. Conveniendum est sabbato die cum luminaribus ad Ecclesiam, conveniendum est ad vigilias sive ad matutinum officium, concurrendum est etiam cum oblationibus ad Mis-

ſarum ſolemnia. Et dum convenitur, nulla jurgia ſunt habenda; ſed tota die tantùm Deo vacandum eſt, & non in crapula & ebrietate vel in luxuriis & jocularibus verbis, ſed in Dei laudibus &, eleemoſynis cum amicis, proximis, & peregrinis ſpiritaliter epulandum.

CAP. XXVII. *De diebus feſtis anni.*

Lib. 2. Capitular. cap. 35. Regino lib. 1. cap. 377.

Feſtos dies in anno celebrare ſanximus, hoc eſt, diem dominicum Paſchæ cum omni honore & ſobrietate venerari, ſimili modo totam hebdomadam illam obſervare decrevimus, diem aſcenſionis Domini pleniter celebrare. In Pentecoſten ſimiliter ut in Paſcha, nativitatem ſancti Johannis Baptiſtæ, Petri & Pauli diem unum, ſancti Laurentii, aſſumptionem ſanctæ Mariæ, dedicationem ſancti Michaëlis, natalem ſancti Martini, ſancti Andreæ, & omnium Apoſtolorum. In nativitate Domini dies quatuor, octavas Domini, Epiphania, purificationem ſanctæ Mariæ, natalem ſancti Urſicini & ſancti Auſtregiſili & ſancti Sulpitii. Et illas feſtivitates ſanctorum obſervare decrevimus quorum in unaquaque parrochia ſancta corpora requieſcunt vel reliquiæ venerantur. His prædictis diebus ab operibus quieſcendum eſſe diximus. Cæteras feſtivitates ſanctorum Apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, atque virginum congruo honore celebrandas eſſe cenſemus.

CAP. XXVIII. *Qualiter fideles in Miſſarum ſolemniis offerre debeant vel communicare.*

Sacrificium quod à Chriſtianis Deo offertur primùm Chriſtus Dominus noſter & magiſter inſtituit quando commendavit Apoſtolis corpus & ſanguinem ſuum priùs quam traderetur. Sic enim legitur. *Accepit*, inquit, *Jeſus panem & calicem, & benedicens dedit eis.* Dicunt aliqui, niſi aliquo

intercedente

intercedente peccato, euchariſtiam cotidie accipiendam. Hunc enim panem dari nobis cotidie jubente Domino poſtulamus dicentes: *Panem noſtrum cotidianum da nobis hodie.* Quod quidem bene dicunt, ſi hoc cum religione & devotione & humilitate ſuſcipiunt, nec fidendo de juſtitia, ſuperba præſumptione id faciant. Cæterùm ſi talia ſunt peccata quæ quaſi mortuum ab altario removeant, priùs agenda eſt pœnitentia; ac ſi deinde hoc ſalutiferum medicamentum ſuſcipiendum, juxta Apoſtolum probare ſe debet homo & ſic de pane illo manducare & de calice bibere. Si verò indiſcretè accipitur, timendum eſt illud quod ait idem Apoſtolus: *Qui manducat & bibit indignè judicium ſibi manducat & bibit.* Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore quis accipiat quo debet habere pœnitentiam. Quòd ſi tanta non ſunt peccata ut excommunicandus quiſque judicetur, non ſe debet à medicina dominici corporis ſeparare, ne dum nimium in longum differtur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Conjugatis autem abſtinendum eſt à coitu aliquot diebus, orationique vacandum, ut ad tantum accedere purificati valeant ſacramentum. Relegant regnorum libros, & invenient ſacerdotem Abimelech de panibus propoſitionis noluiſſe priùs dare David & pueris ejus antequam interrogaret utrum mundi eſſent pueri à mulieribus, non utique ab alienis, ſed à propriis conjugibus; & niſi eos audiſſet ab heri & nudius tertius vacaſſe ab opere conjugali, nunquam panes ſanctos ad comedendum conceſſiſſet. Quapropter eligendi ſunt aliqui dies quibus priùs homo continentiùs vivat, quo ad tantum ſacramentum dignus accedere poſſit. Similiter & eos

Regino lib. 1. cap. 194.

Lib. 2. Capitular. cap. 40.

qui in Missarum solemniis panem & vinum sacerdotibus ad altare offerunt, à conjugibus aliquandiu abstinere oportet, & postea aqua loti, & vestimentis ablutis, pro suis suorumque erratibus oblationes Deo offerant, & si velint, communicent. Quibus autem sacrificii sumtus negatur, offerendi facultas non tribuitur.

CAP. XXIX. *De jejunio quadragesimali.*

Dies autem quadragesimales cum summa observatione custodiendi sunt, ut jejunium in eis præter dies dominicos, qui ab abstinentia substracti sunt, nullatenus solvatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni nostri, quos cum omni religione & sanctitate transigere debemus. Nulla enim in his occasio sit resolvendi jejunii; quia alio tempore solet jejunium caritatis causa dissolvi. Isto verò nunquam debet, & in alio tempore jejunare præmium adquirere est. In hoc verò, præter infirmos aut parvulos, quisquis non jejunat, pœnam sibi adquirit, quia eosdem dies Dominus & per Moysen & per Heliam & per semetipsum sacro jejunio consecravit. Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus à conjugibus, quia penè nihil valet jejunium quod conjugali opere polluitur. Ab omnibus ergo fidelibus singulis dominicis diebus in quadragesima, præter eos qui pro crimine mortali excommunicati sunt, sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt, & in cœna Domini, & in Parasceve, & vigilia Paschæ, & in die resurrectionis Domini penitùs communicandum est. Et ipsi dies paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt.

Capitulare Theodulfi cap. 37.

Idem cap. 41.

Idem cap. 41.

CAP. XXX. *De cæteris jejuniis institutis.*

De jejunio in quatuor anni temporibus conservando, quando lectiones duodecim in sabbato leguntur, statutum est à sanctis patribus ut in

Lib. 5. Capitular, cap. 151.

primo mense in prima hebdomada, in Junio in secunda hebdomada, in Septembrio in tertia hebdomada, in Decembrio in quarta hebdomada, tribus diebus, id est quarta & sexta & septima feria, omnes, exceptis infantibus & infirmis, usque ad nonam jejunent & abstineant se à carne. Eodem modo in diebus rogationum jejunandum est, & à carne triduo abstinendum est. Jejunia verò à sacerdotibus indicta sine necessitate rationabili solvenda non sunt. In diebus itaque jejunii eleemosyna facienda est, & cibum & potum quo quisque uti vellet, si non jejunaret, pauperibus eroget; quia jejunare & cibos prandii ad cœnam reservare non mercedis sed ciborum est incrementum. *Capitulare Theodulfi cap 38.*

CAP. XXXI. *De observationibus jejuniorum.*

Abstinentia in diebus jejunii pénè omnium deliitiarum esse debet, & sobriè & castè vivendum, ut sanctificato corde & corpore ipsi sancti dies transigantur. *Capitulare Theodulfi cap. 40.* Denuntiandum est etiam ministris reipublicæ ut à quatta feria ante initium quadragesimæ, nec in ipsa quarta feria, usque post octavas Paschæ, mallum vel placitum publicum nisi de concordiâ & pacificatione discordantium tenere præsumant. *Capitula Karoli calvi tit. 38, cap. 8.* Similiter à quarta feria ante nativitatem Domini usque post consecratos dies observent, necnon & in jejuniis quatuor temporum & in rogationibus & in cæteris jejuniis constitutis simili observatione eosdem feriatos dies venerari omnimodis studeant. In his autem jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus & in opere necessario persistendum. *Capitulare Theodulfi cap. 42.* Arguit enim eos qui contentiones & lites jejunii tempore exercent, & qui debita à debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens : *Ecce in die jejunii vestri inveniuntur voluntates vestræ, &*

omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè.

CAP. XXXII. *De pœnitentia fidelibus danda.*

Capitulare Theodulfi cap. 36.

Hebdomada una ante initium quadragesimæ confessiones sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, & omnia jurgia sedanda; & dimittere debent debita invicem de cordibus suis, ut liberiùs dicant: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et sic ingredientes in beatæ quadragesimæ tempus mundis & purificatis mentibus ad sanctum Pascha accedant, & per pœnitentiam se renovent; quæ est secundus baptismus. Confessiones verò dandæ sunt de omnibus peccatis quæ sive in opere sive in cogitatione perpetrantur. Octo sunt vitia principalia sine quibus vix ullus inveniri potest. Est enim primum gastrimargia, hoc est, ventris ingluvies, secundum fornicatio, tertium accidia sive tristitia, quartum avaritia, quintum vana gloria, sextum invidia, septimum ira, octavum superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri quomodo aut qua occasione peccatum perpetraverit quod peregisse confitetur, & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei persuaderi ut de perversis cogitationibus faciat confessionem. Debet ei etiam injungi ut de octo vitiis principalibus faciat confessionem. Et nominatim debet ei sacerdos unumquodque vitium dicere & suam de eo confessionem accipere.

Capitulare Theodulfi cap. 31.

CAP. XXXIII. *De modis pœnitentiæ vel remediis.*

Concil. Cabilon. II. cap. 38.

Modus autem pœnitentiæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet, re-

pudiatis ac penitùs eliminatis libellis quos pœnitentiales vocant; quorum ſunt certi errores, incerti auctores, de quibus rectè dici poteſt. *Mortificabant animas quæ non moriebantur, & vivificabant animas quæ non vivebant.* Qui dum pro peccatis gravibus leves quoſdam & inuſitatos imponunt pœnitentiæ modos, conſuunt pulvillos, ſecundùm propheticum ſermonem, ſub omni cubito manus & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Sicut enim baptiſmus peccata, ita & pœnitentia purgat. Septem enim modis peccata dimitti ſcriptura ſancta demonſtrat. Primò in baptiſmate, ſecundò per martyrium, tertiò per eleemoſynam, juxta illud evangelicum: *Veruntamen date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Quartò ſi remittat quis peccanti in ſe peccata ſua, juxta illud: *Dimittite & dimittetur vobis.* Quintò ſi per prædicationem quis & bonorum operum exercitium alios ab errore ſuo convertat, juxta illud Apoſtoli: *quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte.* Sextò per caritatem, juxta illud: *Caritas Domini cooperit multitudinem peccatorum.* Septimò per pœnitentiam, juxta quod ait David: *Converſus ſum in ærumna dum configitur ſpina.* His ergo ſeptem modis & remiſſio datur & æternæ retributionis præmium adquiritur.

CAP. XXXIV. *De publica pœnitentia.*

Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum inſtitutionem in pleriſque locis ab uſu receſſit, & neque excommunicandi neque reconciliandi antiqui moris ordo ſervatur. Et ideo qui publicè peccat publica multetur pœnitentia & ſecundùm ordinem canonum pro merito ſuo excommunicetur & reconcilietur. Non enim licitum eſt Presbyteris publicam dare pœnitentiam, ſed publicè peccan- *Concil. Cabilon. II. cap. 25.*

tes oportet ut juxta antiquorum canonum decreta per episcopale ministerium publica Deum studeant satisfactione placare.

CAP. XXXV. *De usuris & fœnore.*

Oportet sacerdotes & omnes in commune fideles ut si quando fruges vel quosdam redditus terræ congregant & protelant, non ideo hoc faciant ut carius vendant & thesauros congregent, sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant; nec ad usuram aliquid dent, quoniam ab ipso Domino in lege omnibus interdictum est ad usuram aliquid dare. Usura est ubi amplius requiritur quàm datur. Verbi gratia, si dederis solidos decem & amplius requisieris, vel si dederis modios frumenti aut vini, & iterum super aliquid quacunque occasione vel quocunque modo exegeris. Quicunque enim tempore messis, vel tempore vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem, comparat annonam aut vinum, & servat usque dum cariùs venundare possit, hoc turpe lucrum esse dicimus. Fœnus autem exercet qui aliquid præstat. Nam justum fœnus est qui amplius non requirit nisi quantum præstat.

Lib. 1. Capitular. cap. 119.

Lib. 1. Capitular. cap. 124. 125.

CAP. XXXVI. *De perjurio & falso testimonio.*

Capitulare Theodulfi cap. 26. 27.

Prædicandum est ut perjurium fideles caveant & ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse & in lege & prophetis sive evangelio prohibitum. Audivimus enim quosdam parvi pendere hoc scelus & levem quodam modo perjuris pœnitentiæ modum imponere. Qui nosse debent talem de perjurio pœnitentiam imponere debere qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio, & de cæteris criminalibus vitiis: quoniam in lege Domino præcipiente habemus: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, & ne assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

Dicendum eſt etiam eis ut à falſo teſtimonio ſe abſtineant, ſcientes & hoc graviſſimum ſcelus eſſe & ab ipſo Domino in monte Sinaï prohibitum, dicente eodem Domino: *Non falſum teſtimonium dixeris*, ſive *teſtis falſus non erit impunitus*. Sciat ſe etiam quiſquis hoc perpetraverit tali pœnitentia purgandum ut ſuperiùs dictum eſt de perjurio. Dicendumque eſt illis quòd ſumma, non dicam ſtultitiæ, ſed nequitia eſt pro cupiditate auri & argenti aut veſtimentorum aut cujuſlibet rei, aut quod creberrimè contingere ſolet, propter ebrietatem, in tam grande ſcelus corruere, ut aut ſeptem annis in arcta ærumna ſit, aut ab Eccleſia ſit repulſus, dicente Domino: *Quid prodeſt homini, ſi lucretur totum mundum, & animæ ſuæ detrimentum faciat.* Quippe cùm aliis videatur pius exiſtere, ſibimet crudelis exiſtat. Si quis verò perpetrato perjurio, aut falſo teſtimonio, vel quolibet criminali peccato, timens pœnitentiæ longam ærumnam, ad confeſſionem venire noluerit, ab Eccleſia repellendus eſt, ſive à communione & conſortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in ſua domo eum recipiat.

CAP. XXXVII. *De perjurio, furto, & rapina.*

Quicunque ſciens perjurium perpetraverit, annis ſeptem ſe pœnitentiæ ſubdat, & ita deinceps ad communionem revertatur. Qui verò cupiditate captus furtum fecerit, quod abſtulerit reddat & annis quinque pœnitentiam agat. Similiter & qui per rapinam alterius res injuſtè abſtulerit, & hoc quod vi inlicitè extorſit reſtauret, & totidem annis, id eſt quinque, reatum ſuum pœnitentiæ jejuniis diluat. Si autem neſcit cui damnum intulit, aut non valet reddere quod violenter ſubrepſit, aſperiori pœnitentiæ ſe ſubmittat & poſt ſeptem annos perfectionem plenam conſequatur acta legitima pœnitentia.

CAP. XXXVIII. *De observationibus vanitatum.*

Vide Notas ad Capitular. 1038.

Quicunque fidelium auguria & auspicia sive somnia vel divinationes quaslibet more gentilium observaverint, sive sortes quas mentiuntur esse sanctorum, quæ clerici vel laici detecti fuerint vel consulere vel docere, aut in domos suas hujusmodi homines introduxerint exquirendi aliquid arte malefica, aut domos suas lustraverint, ab Ecclesia quinquennio habeantur extranei, pœnitentiam agentes secundùm antiquas regulas constitutas. Non enim licet Christianis traditiones gentilium observare vel colere elementa aut lunas aut stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda vel segete vel arboribus plantandis vel conjugiis sociandis. Scriptum est enim: *Omnia quæcunque facitis in nomine Domini facite.* Nec licet in collectionibus herbarum aliquas observationes vel incantationes adtendere, nisi tantùm cum symbolo divino & oratione dominica. Similiter nec Christianas mulieres licet vanitatem in suis lanificiis observare, sed Deum invocent adjutorem, qui eis sapientiam texendi donavit, ut in omnibus honorificetur Deus.

CAP. XXXIX. *De homicidiis sponte commissis & non sponte commissis.*

De his qui voluntariè homicidium faciunt gravis sententia in scripturis sacris est, dicente Apostolo: *Qui templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Quicunque ergo voluntariè homicidium fecerit, ab Ecclesia Dei est repellendus & à consortio fidelium sequestrandus juxta canonum instituta, ubi ita scriptum reperitur: *Qui voluntariè homicidium fecerit, pœnitentiæ quidem jugiter se submittat, perfectionem verò circa exitum vitæ consequatur.* Et item *Si*

quis voluntariè homicidium fecerit, ad januam Ecclesiæ catholicæ semper jaceat, & communionem in exitu vitæ suæ recipiat. Si autem non voluntate, sed casu aliquo, homicidium fuerit factum, prior canon septem annis agi pœnitentiam jussit, secundus canon quinque mandavit. Conc. Ancyr. c. 22. 23.
Et alibi: *De homicidiis non sponte commissis prior quidem definitio post septem annos pœnitentiæ perfectionem consequi præcepit. Secunda verò quinquennii tempus explere.*

CAP. XL. *De homicidiis diversis occasionibus perpetratis.*

Si quis servum proprium, licèt criminibus multis approbatum, sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emendabit. Si verò domina furore zeli accensa flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut infra diem tertium animam cruciatu effundat, & quòd incertum si voluntate per septem annos, si in casu occiderit, per quinquennii tempora à communione placuit abstineri. Quòd si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem. Placuit etiam ut hi qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo violenter inferunt mortem, nulla illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Similiter & de his placuit qui pro suis sceleribus puniuntur.

CAP. XLI. *De feminis quæ partus suos necant, & cum duobus fratribus fornicantur.*

Si qua mulier fornicaverit, & infantem qui exinde natus fuerit occiderit, & quæ studuerit abortum facere & quod est conceptum necare, aut certè ut non concipiat elaborat, sive ex adulterio, sive ex legitimo matrimonio, has tales mulieres in Conc. Ancyr. cap. 21.

morte non recipere communionem priores canones decreverunt. Nos tamen pro misericordia sive tales sive conscias ipsarum decem annos agere pœnitentiam judicavimus. Et si qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit, à communione se abstineant usque ad mortem, in morte autem eis communio pro misericordia detur. Si verò supervixerint communione accepta, & de infirmitate convaluerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto, & hoc secundùm antiquam definitionem. Humaniùs autem nunc definimus ut eis decem annorum tempus pœnitentiæ tribuatur, ita tamen ut omni tempore vitæ suæ fletibus & humilitati insistant.

CAP. XLII. *De adulterio.*

Conc. Ancyr. c. 20. Si cujus uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi secundùm pristinos gradus. Si verò uxorem habens concubinam habuerit, non communicet, donec desinat ab ea & ad pœnitentiam revertatur. Quòd si conscio marito uxor fuerit mœchata, usque in finem non communicet. Si autem eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem.

CAP. XLIII. *De his qui fornicantur inrationabiliter.*

Conc. Ancyr. cap. 16. De his qui inrationabiliter versati sunt sive versantur, id est, qui se miscent pecoribus aut cum masculis polluuntur, si quis ante vicesimum annum tale crimen commiserit, quindecim annis exactis in pœnitentia communionem orationis mereatur, deinde quinquennio in hac communione durans, tunc demum oblationis sacramenta contingat. Discutiatur autem & vita eorum qualis tempore pœnitudinis extiterit, & ita misericordiam cònsequantur. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate uxores

habentes in hoc peccatum prolapsi sunt, viginti quinque annis pœnitudinem gerentes in communione suscipiantur orationum: in qua quinquennio perdurantes tunc demum oblationis sacramenta percipiant. Quòd si & uxores habentes & transcendentes quinquagesimum annum ætatis ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

CAP. XLIV. *De satisfactione & reconciliatione pœnitentium.*

Satisfactio autem est causas peccatorum & suggestiones excludere & ultra peccatum non iterare. Reconciliatio verò est quæ post complementum pœnitentiæ adhibetur. Nam sicut conciliamur Deo quando primùm per baptismum à gentilitate convertimur, ita reconciliamur quando post peccatum pœnitendo regredimur. Quorum autem peccata in publico sunt, in publico debet esse pœnitentia per tempora quæ Episcopi arbitrio pœnitentibus secundùm differentiam peccatorum decernuntur; eorumque reconciliatio esse debet ab Episcopo sive à Presbyteris, jussu tamen Episcoporum, sicut canones Africani concilii testantur, ubi ita scriptum est. *Cujuscunque pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est quod universam Ecclesiam commoverit, ante absidam ei manus imponatur.* Si verò pœnitens mortis periculum incurrerit, per Episcopi licentiàm à Presbytero reconcilietur & communionis gratia muniatur, ne desperationis fune ligatus ad æternum pertrahatur interitum. Nulli ergo fidelium ultima pœnitentia vel reconciliatio sive corporis & sanguinis Christi perceptio neganda est. Quorum autem peccata occulta sunt & spontanea confessione soli tantummodo Presbytero ab eis fuerint revelata, horum occulta debet esse pœnitentia secundùm Presbyteri judicium cui confessi sunt, ne infirmi in Ecclesia scandalizentur videntes eorum

Lib. 5. Capitular. cap. 137.

pœnas quorum penitùs ignorant causas. Quali autem tempore pœnitentium reconciliatio fieri debeat ostendunt decreta Innocentii Papæ, ubi ita scriptum reperitur: *De pœnitentibus autem qui sive ex gravioribus commissis sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla intervenerit ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum esse Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterùm de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem & ad fletus atque lacrymas pœnitentis, ac tunc potest dimitti cum viderit congruam satisfactionem. Sanè si quis in ægritudinem inciderit, ei est ante Pascha relaxandum, ne de hoc sæculo absque communione discedat.* Hoc ergo ante omnia cavendum est, ne in extremis pœnitenti pœnitentia & reconciliatio denegetur, ne in desperatione pereat. Perdidisset enim latro in cruce ad dextram Christi pendens præmium, si illum unius horæ pœnitentia non juvasset. Vera ergo ad Dominum conversio in ultimis positorum mente potiùs est æstimanda quàm tempore, propheta asserente: *Cùm conversus*, inquit, *ingemueris, tunc salvus eris.*

Innoc. I. in epistola ad Decentium.

CAP. XLV. *De pollutionibus nocturnis.*

Quærendum est utrum post illusionem quæ per somnium solet accidere corpus & sanguinem Domini quislibet accipere valeat, aut si Sacerdos sacra mysteria celebrare debeat an non. Ad hæc respondendum est quoniam in veteri testamento pollutum nisi priùs lotum aqua usque ad vesperum intrare in Ecclesiam non conceditur. Quod tamen aliter populus spiritalis intelligens sub eodem intellectu accipit, quia quasi per somnium illuditur qui tentatus vanis imaginibus immunditiæ in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat. Et nisi priùs ignis tentationis recesserit, reum se usque ad vesperum re-

S. Gregor. epist. ad S. Augustinū cap. II.

cognoſcat. Sed eſt in eadem illuſione neceſſaria valde diſcretio, quæ ſubtiliter penſare debeat ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, id eſt, ex nimio cibo vel potu, aliquando ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cùm ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illuſio non eſt timenda; ſed ille qui pertulit, ſe ipſum ac veſtimenta ſua aquis emundans, licitè miniſterium peragat & ad ſacra myſteria devotus accedat. Cùm verò ultra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen uſque ad prohibitionem percipiendi ſacri myſterii vel Miſſarum ſolemnia celebrandi, cùm fortaſſe aut feſtus dies exigit, aut exhiberi myſterium, pro eo quòd Sacerdos alius in loco deeſt, ipſa neceſſitas compellit. Nam ſi adſunt alii qui implere illud officium valeant, illuſio per crapulam facta à perceptione ſacramenti prohibere non debet, ſed ab immolatione ſacri myſterii abſtinere, ut arbitror, humiliter debet, ſi tamen dormientem turpis imaginatio non concuſſerit. Nam ſunt quibus plerunque ita illuſio naſcitur ut eorum animus etiam in ſomno corporis poſitus turpibus imaginationibus non fœdetur. Si verò ex turpi cogitatione vigilantis oritur illuſio, mentem dormientis radix fœdat coinquinationis. Quia quod cogitavit ſciens hoc pertulit neſciens. Iſte talis non debet accedere ad percipiendum vel conſecrandum corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum quouſque pœnitentiæ & abſtinentiæ biduana vel triduana ſatisfactione purgatus & aqua ablutus mundetur, & ſumente corpore purus ad tam ſacratiſſimum myſterii munus accedere feſtinet immunis.

EXPLICIUNT CAPITULA.

BREVIS
HISTORIA
LIBERATIONIS MESSINÆ

à Sarracenorum dominatu per Comitem Rogerium Normannum factæ à Messanensibus vocatum.

ADAMANTINO scribenda essent stylo, smaragdis, atque in tabulis aureis quæ per nobiles tres Messanenses nostra tempestate gesta fuere, quorum strenuitate ac sagacitate, ingenio atque viribus, duce Rogerio Comite recuperata extitisse liquet; quinimmo orthodoxa Christiana fides per ducentos & triginta ferè annos jam mortua suscitata floret, libertas bonaque cuncta atque honor Siculis concessa sunt. Quamquam Messanenses libertate sola privati, cuncta tamen eorum bona pace tranquilla possidebant, quod adversa fortuna omnibus Siculis denegabatur. Cùmque Siculorum respectu tam leve jugum diù tollere non potuissent, mirifica ausi sunt hæc agere. Quamobrem ad eorum egregiam perexcellentemque memoriam scriptis non quidem, sed aureis statuis memorandi & decorandi sunt, quia sicuti tres ipsi soli tantorum beneficiorum totius Trinacriæ auctores fuere, ità decens est ut in quolibet ipsius insulæ angulo eorum unusquisque aurea statua bene meritus erigatur & extollatur, ut perpetuò vivant ad eorum perpetuam famam, honorem posteritatis, & gloriam prosapiæ.

Dominantibus Mauris per ducentos & triginta

ferè annos & subditam detinentibus Siciliam, licèt ante dictum tempus eam tenuissent, ante quos etiam Maurorum floruisset imperium, & ante ipsos Christiani dominati fuissent, & per denos satis annos etiam alii barbari & infideles eam possedissent, eorum imperiis titubantibus & vicissim variantibus per multa temporum curricula usque ad dictum tempus (ut Deo placuit) sexto mensis Augusti à virgineo partu anno millesimo sexagesimo, exist .... Sicilia sub dominio quinque Maurorum, quorum unus Raxdis nominabatur, qui Messanæ residebat & Tauromenium usque ad Tindaridum suum possidebat imperium. A Tauromenio Syracusas usque alius regebat, & alius à Syracusis usque Drepanum, à Drepano verò ad Panhormum alius, & à Panhormo ad Pactas alius. Licèt hi omnes sic Siciliam occupatam tenerent, tamen inter se discordes erant. Nec tacebo in primis quòd tempore quo fuit Sicilia expugnata, ut vetusta pandit historia, sola Mamertina civitas omnium postrema fuit sub conditione capta. Nam cùm acriter diù resistendo pugnasset, & ex eo quamplurimos orco misisset Mauros, tandem cùm periculosa assiduaque pugna diù noctùque vires deficerent, agnoscensque in vanum diù posse resistere, quippe quia totam insulam jam sub jugo detinebant, ulla neque spes erat qua pium subsidium expectare posset, sub hoc enim fœdere deditam se fecit: primò quòd vexillum civitatis, quo aurea crux in rubeo campo depicta cernebatur, suis à locis non amoveretur, quinimmo ut singuli eorum bona in pace possiderent. Nam firmissimè decreverant potiùs mortem subire quàm vexillum sanctæ crucis amittere, & quod tanto antecessorum sanguine acquisiverant posteritas ipsa ignominiosè mortis terrore perdidisset. Quam

induratam pertinaciam cùm perſpexiſſent Mauri, his aſſentire potiùs voluere quàm ambiguam de Mamertinis expectare victoriam. Tali itaque firmato fœdere civitatem obtinuere, & aliis in locis æreum extollentes vexillum pacificè ex illo tunc ſubditam totam inſulam detinuerunt, tyrannidem exercentes. Hanc cùm & Meſſanæ exercere voluiſſent, prædicti nobiles Mamertini, Anſaldus de Pactis, Nicolaus Camulia, & Jacobinus Saccanus, cùm hæc in animo volutarent, & mutuis ſuſpiriis hæc ſecum loquerentur, ut ſecretiùs de his meliùs loquendi daretur facultas, dicto die ſexto Auguſti ad inſulam S. Jacinti portus civitatis ſe contulerunt. Cùmque de civitate & eorum ſtatu mutuò diverſa diſcuterent, & fluctuantis animi procellas fugandi gratia non ſine lacrymarum profluxu plura ſubloquia facerent, verſis oculis ad ipſam civitatem, & patriam nobiliſſimam conſiderantes, atque in quanta infortunia ipſa civitas eſſet devoluta, amaris ſingultibus conquerebantur. Inſuper & crudeliſſimas Siculorum ærumnas jugiter memorabant & miſerabantur; ſed miſerabiliter Mamertinæ patriæ gloriam & ipſius tot ampliſſima privilegia, quæ multimoda ſanguinis effuſione acquiſita fuerant, amarè deplorabant. Cùm autem quippiam medicaminis tam ærumnoſæ calamitati minimè adhuc excogitare poſſent, Nicolaus Camulia, divino favente ſpiritu, in hæc verba primùm prorupit. Anſalde & Jacobine, ea quæ nunc excogitavi & referam ex Deo certa ſunt, quia non niſi modò in mentem venerunt. Lætamini, quoniam hodie jam nobis aperta via eſt ad has fugiendas ærumnas, pluit ſuper nos gratia divina. Gaudete, quia hodie ex inſperato & immerito miſertus eſt nobis & patriæ omnipotens Deus, & noſtras audivit voces & lamentationes,

tiones, atque preces exaudivit. Nonne audivimus Comitem Rogerium Normandum Rubertumque Apuliæ Ducem cum sanctissimo Papa Miletum Calabriæ oppidum adventasse, ipsumque Comitem strenuissimum Principem esse, ætate juvenem, sed prudentia & regimine satis maturum, ac super omnia piissimum, & ad omne Dei servitium promptissimum semper præ se tulisse, qui in præsentiarum in ipso Mileto oppido Ecclesiam miræ pulcritudinis sanctissimæ trinitati dicatam erigendam curavit? Securè ad eum illuc accedamus, eidemque animosè totam Trinacriæ insulam tradamus. Hoc onus fideliter humeris nostris imponamus pro fide Christiana, pro patria, & totius Siciliæ libertate assequenda, & pro honore perpetuo mortem spernamus, ac pro tanti negotii expeditione nullis parcamus sumptibus ac laboribus., atque universa bona cum caris filiis igni exponamus. Quid sentitis enuntiate mihi, & vestras aperite mentes, & quicquid melius vobis videbitur & expedierit mandetis agendum. Quod enim à vobis mandabitur firmiter à me fore polliceor exequendum. Quæ verba avidè Saccanus & Pactis animo percipientes, ac agnoscentes vera esse omnia, remque aggrediendo fore ad exitum perducturos, statim ambo ad collum Nicolai se projicientes, amplexati ac millies deosculati sunt eum summo gaudio, profusisque lacrymis sic responderunt concorditer. Frater amantissime, istud quod modò nobis dedisti consilium verè cognoscimus à Deo ortum esse. Idcirco ipsi Deo priùs gratias agamus, deinde tibi, colendissime frater, quia sic affatim nobis rem tantam ac tanta laude dignam breviter aperuisti; tuumque sanctum consilium approbamus, & tecum omnes lætanter pro patria, fide, libertatéque communi civium adipiscenda mori perop-

tamus. Multa viciſſim multoque ſpatio ſuper hac re verba facientes, ac viam omnemque modum ſubtiliter exquirentes per totum vagati ſunt diem. Demùm civitatem ingreſſi, in ſecretum amicis & conſanguineis convocatis, omnia quæ inter eos ratiocinati ſunt, firmataque fuerant, ad aperiunt. Demum quodam die omnes in angulo ſecretiſſimæ domus ſequeſtrati, tanti negotii amplitudinem acutiſſimè penſitantes, ipſis de Pactis, Camuglia, & Saccano, ut tanti negotii auctoribus, omnium rerum curam de communi conſenſu committere decrevere. His itaque concluſis ſolemnitatem quandam præſtolabantur quam Mauri ſingulis annis domibus duodecim diebus incluſi celebrabant. Adveniente autem ſolemnitate prædicta nobiles viri propriis veſtibus exuti ſub ſimulato indumento Drepanum versùs ire ſimulantes ſcapham quandam aſcenderunt, nocturnoque tempore Calabriæ litus attigerunt. Inde iter incœptum ſecundo fortunæ flatu molientes, Miletum ſe contulerunt. Palatium ingreſſi, ubi Pontifex erat, cujus pedes poſtquàm fuerunt oſculati, eos Papa quinam eſſent, & qua cauſa veniſſent, percontatus eſt. Cui Anſaldus de Pactis ita reſpondit. Chriſtiani Siculi ſumus. Ex Meſſana urbe ad Comitem Rogerium legati miſſi ſumus. Ad hoc Papa quidnam cum Rogerio vellent diligenter perquirens, hujuſmodi à Nicolao Camuglia reſponſum accepit: Beatiſſime Pater, nos jurejurando ea quorum cauſa iter huc direximus explicare nequimus. Unum pro modo ſciat ſanctitas veſtra, nos pro augmento Chriſtianæ fidei huc veniſſe. Tuæ idcirco placeat ſanctitati ut nos Comitem Rogerium hujus rei cauſa conveniamus. Mox tanti negotii præſtantia te non latebit. Tunc Papa aditum omnem eis liberum patere permiſit. Illinc verò aulam Comitis ingreſſi,

eundem flexis genibus coram beata virgine orantem invenerunt. Quos cùm ille piis intueretur oculis, adventus causam perquirens, ad verba præbuit attentas aures. Tunc generosi Mamertini, verbum priùs quàm exprimere possent unum ex nimia cordis abundantia ad multa propalanda, continere se non potuerunt quin lacrymas perabundè funderent, assiduisque lacrymis ad tantam pietatem Comitis viscera commoverunt ut his placidissimis verbis eos Comes fuerit alloquutus. Quicunque estis, boni viri & fratres, vestris compulsus lacrymis negare non possum quin vobis non compatiar, & pro quacunque vestra petitione quæcunque remedia præstare promitto, atque me offero. Vestras retinete lacrymas, & vobis ipsis jam parcite, & ad singultus tempus ne perdatis, causasque omnes quæ vos huc accedere impulerunt securiùs enunriate. Tunc Jacobinus Saccanus, quippe qui vir erat pietate præstantior ac eloquentia facundior, hujusmodi explicuit legationem. Nos, Comes invictissime, legati sumus Messanæ urbis Siciliæ ad tuam destinati præsentiam. De tua mirum in modum confisa virtute Messana civitas insulæ Siciliæ caput & vetustissima te suppliciter exorat ut eam adjuvare digneris. Nam, ut cunctis notum est, Mauris ipsa civitas cum tota Sicilia subdita est, & quod crudelius, per ducentos triginta ferè annos Christi fides per totam insulam quasi mortua jacet impiorum Maurorum tyrannidi, sub immani quorum imperio tot ærumnis, calamitatibus, & doloribus affligimur, quæ si sigillatim enumerare vellemus, nimis prolixa tibi nostra esset oratio, nimiumque tibi tædium esset allatura. Præsta igitur auxilium justa petentibus, affer opem, quia hac causa ad te venimus. Messana te vocat, Messana te in dominum eligit pro sua

libertate, tuoque sub dominio Messana mori desiderat, ut te victore fides Christi exaltetur. Surge ad adjuvandum, surge, surge, Christianissime Comes, surge, & arma capesse, accelera, quia videre te cupit alacriter Mamertina civitas, summoque gaudio te populus Messanensis expectat, quia te duce ab immani barbarorum imperio ac jugo se eximet servitutis, totiusque deinde Siciliæ potieris. Præterea in sola Messana tota vis, velim scias, totumque robur consistit. Quod verò attinet ad tuam victoriam, pro Dei servitio proque fide Christi augenda tuique dominii amplitudine propaganda vires nervosque omnes adhibere ac sanguinem cum ipsa vita cuncti Messanenses effundere se hilariter offerunt & jurejurando promittunt. Ut sis & esse debeas ex nunc Messanæ dominus, se tuo Messanenses subjiciunt imperio, teque ante tuos prostrati pedes in eorum dominum recognoscunt, & neminem alium. Cape igitur realem ac indubitatam possessionem, qua mediante totius Trinacriæ insulæ victor eris. In signum cujus veræ possessionis nos humiliter prostrati tuos deosculamur pedes. Ad cujus pedes deosculandos accedentibus Rogerius non permisit, ejus tantùm deosculari manus concessit invitus. Rursus suam prosequens orationem Saccanus ait: Et si pro Messanæ & Siciliæ libertate tua non commovebitur dignitas, totque nostras non compatietur ærumnas, moveat cor tuum hoc humani generis redemptoris vexillum, hac cruce tuæ pietatis viscera pro ejus liberatione pungantur, in qua pependit ille per quem salvati & liberati sumus. Scias velim, Dux invictissime, hanc sacratissimam crucem tuæ Messanæ vexillum esse, quod ab Arcadio Imperatore invictissimo olim Thessalonicæ à suis proditoribus obsesso, ejusque imperio à

Messanensibus restituto, suscepit; ab ipsomet, inquam, Imperatore Messana civitas, tanquam de eodem optimè benemerita, ejusdem fuit sacratæ crucis dono decorata. Ad hanc te rogat eadem civitas exaltandam occurras, ut te victore, te duce, quilibet eam reverenter adoret, & si propter barbariem quasi sepulta Christi fides existat, te suscitante resurgat. His Jacobinus Saccanus fletu maximo prolatis, tandem orationi suæ finem imposuit. Ad quem sic Rogerius hilari humanissimoque vultu respondit. Sit vester adventus felix, legationis vestræ causas nimio cordis affectu suscepimus, miserias, ærumnas, atque calamitates totius insulæ multoties audivimus, & est jam diu quòd nostra viscera penetrarunt. Si à Deo hæc sunt, Deus nobiscum erit, & nobis vobisque ad ejus divinam voluntatem exequendam vires, victricesque manus ad expugnandum, & penitùs à suis sanctis locis Christianæ fidei teterrimum hostem viriliter expellendum. Qua responsione facta, & singulis legatorum nominibus adnotatis, aulam summi Pontificis ingressus, legationem ut audietat suæ sanctitati coram sex Cardinalibus retulit seriatim, quinimo suam aperuit voluntatem, seque primùm Siciliam versùs copias classemque directurum, & pro Christiana fide & recuperatione Trinacriæ ab impiis Maurorum manibus, præcedentibus priùs consilio & auxilio suæ sanctitatis, omnem opem conatumque omnem adhibiturum. Quibus sanctissimis dictis per piissimum Pontificem ita responsum est. Rogeri Comes, benedicte fili, tecum sit rerum omnium opifex Deus, tuamque mentem illuminare dignetur, suaque divina te benedictione sanctificet. Quantum jucunditatis hac hora suscepi, ex quo ad hanc hostilem catholicæ fidei sectam expellendam Dux invictissimus effectus

es, ipsámque Trinacriam insulam ab infidelibus immanissimis tot annis sub durissimæ servitutis jugo conculcatam temet duce liberandam enarrare nullo modo possim. Equidem pro tanto bono consequendo quicquid à me petieris omnino consequeris. Tecum sit Deus optimus maximus, & felici.celerique pede ad rem tantam pergas peragendam, cum benedictione patris & filii & spiritus sancti. Hoc unum à te summopere peto, quòd promittas, manendo in Dei obsequio, postquàm divina permittente gratia victoriam fueris consequutus, insulæ dominatum acceperis, Deo te obtemperantem exhibeas, & quod suum est eidem impertias, ac de tota victoria tres efficias portiones, partem unam in extruendis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, abbatiis, & prælatiis, ad honorem cultumque divinum exhibeas, alteram militibus qui tecum in hac expeditione præliabuntur munificenter impertias, tertiam verò tuæ necessitati subministres. Quo peracto, Deus tecum erit omnipotens in omnibus viis tuis, semperque in tua protectione commorabitur. Ad hæc autem Rogerius lætanter annuit, motuque proprio uti summus Pontifex proposuit omnia jurejurando firmavit. Lætus ex his Pontifex pluribus cum replevit benedictionibus. Inde petita venia Rogerius discedens ad legatos in aula commorantes revertitur, quibus quæ cum summo Pontifice firmata fuerant pandit. Illi verò hilari vultu omnia percipientes summopere Rogerio congratulabantur. Mox quicquid erat agendum, cuique providendum, secum deliberant. De qua re latissimè ratiocinando vagarunt, tum de modo tenendi bellandique, qua via, ordine, tum etiam qua comitiva. Quibus omnibus ad plenum perquàm diligenter excussis & examinatis, legatos sic est Rogerius allocutus.

Fratres cariſſimi, firmiter tenete hinc ad paucos dies Deo adjuvante Trinacriam versùs me iter facturum, quin etiam collecta navigiorum multitudine ſecundùm temporis exigentiam quæ modò præſtolatur, comparatoque navali exercitu, priùs Parmis oppido totam claſſem trajiciam. Vos interim, accepta priùs à ſummo Pontifice benedictione, iter capeſſite, conſumptoque ſpatio dierum octo ſocios veſtros convenite, eiſque omnia quæ nobiſcum peracta & firmata ſunt ſecuriùs enucleate. Inſuper fidem meam timere fingite. Interim domibus veſtris crucis ſignum affigite, quo tuti eſſe poſſitis ab incurſu militum bellatorumque impreſſu. Statuto enim die vos à parte interiori ſumma vi confiſi, noſque ab exteriori bellicis inſtrumentis præliantes facilè victoriam conſequemur. His concluſis, ad ſummum Pontificem iverunt, acceptaque ab eo latiſſima benedictione, iterum ad Comitem reverſi ſunt. Ad quem Anſaldus de Pactis dixit : Rogeri Domine, iterum ſuper omnia te rogamus advertere ne à latere tuo vexillum ſanctæ crucis amoveas quouſque Meſſanam Deo maximo permittente pervenias, ibidemque victoriam adeptus, illud manibus propriis feliciter civitati reddas.

Accepta itaque promiſſione, atque licentia Comitis impetrata, læti diſcedentes, Rhegium pervenerunt, ex quo piſcatoria cymba tranſvecti Meſſanam reverſi ſunt, & in domibus occultè permiſcentes cum amicis omnibuſque conſanguineis & ſecretiſſimis viris quæ cum generoſiſſimo Comite Rogerio concluſa ſigillatim aperiunt, modumque victoriæ conſequendæ machinantur. Dum hæc inter ipſos legatos & reliquos civitatis proceres bene examinantur & diſcutiuntur, dies ceſſit oc-

tavus. Ecce Comitis adventus ubique circumsonat, Rogerii numerosum agmen ad capessendam insulam venturum publicè audiebatur. Qua de re se nimio pavore perterritos satis simulant Mamertini, uti Comes instruxerat. Mauri verò cùm omnia adverterent, lubricosas montium vias atque vallium, ut tutiùs fugerent, quæritabant. Christianis Rogerius interim per totam Calabriam edicto mandare præcepit ut omnes se Rhegium usque comitarentur. Mora octo dierum spatio mille & septingenti viri ex improviso præsto fuerunt. Tunc Rogerius Comes veste recenti sanctæ crucis impresso charactere se lætanter induit, & præcedente vexillo crucis civitatis Messanæ à legatis commendato magna omnium jucunditate cunctis videntibus ventis vela dedit, Parmam versùs iter tenens. Cujus ad littora cùm applicuisset, fundatis anchoris, equos circiter ducentos, quos illuc conveniri mandaverat, navigiis transvexit, deinde tribus diebus Rhegium advenit. Illic diebus ferè commorans quindecim, quotidie milites equitesque suos blandiloquio demulcebat exercebatque quibuscum plurimùm de futura victoria disceptaret, tandem manè satis ante diluculum cum triremibus, tribus longè à Messana milliariis, omnium primus è triremibus exiliens, Siculam tellurem primus voluit pedibus apprehendere. Mox cæteri milites eum sequuntur. Ipse tamen Rogerius vexillum sanctæ crucis civitatis Messanæ manibus strictè tenens ita suos affatur milites. Viri strenui & spectatæ fidei, vestrum si quis est qui Rogerii nomen amore prosequitur, strenuè bellando hodie se ostendat, in nostra manu est victoria. Ecce Deus nobiscum est. Justam enim fovemus causam. Christi milites sumus, & pro suo servitio huc bellaturi nos venimus. Ecce

sanctissima crux, sola ipsa dux omnium est. Ipsam prosequimini, & in ea firmiter sperate, quia in ipsa nostra est verè salus & victoria. Deinde oculis in cælum elevatis, coram omnibus genibus flexis sic reverenter oravit. Piissime Domine Jesu Christe mundi redemptor, qui non spernis pauperum preces, suscipe quæso indigni famuli tui preces, & concede ut fidei tuæ victoriam adeptus, hoc quod manibus teneo sanctissimæ crucis tuæ vexillum, in qua pro humani generis redemptione suspendi ac mori dignatus es, in civitate Messanæ, in altiori fastigio domus tuæ figere valeam, ut nomen tuum ubique gentium denominetur. His dictis Goffredum fratrem suum strenuum Ducem accersiri jubet, mandatque ut cum classe portum ingrediatur, & ipsius civitatis portas atque mœnia diruat, quia semitas terrestres occupabit ipse. Cui Goffredus sic respondit. Mi Domine invictissime, conducibilius mihi videtur ut me pedestrem exercitum ducente armata classe festinanter ipsum portum velit tua dignitas occupare: quia congruum est ut itineris labor à me suscipiatur. Tua enim præsentia classis magis decorabitur, magisque omnes perterriti fient, & faciliùs capientur. Sic utrinque præliabimur. Quibus verbis Comes Rogerius assentiens, [cum XXVI.] triremibus portum versùs navigat. Goffredus acie ordinata & militibus equestribus celeriter suum peragit iter. Cùm autem Rogerius insulam sancti Jacinti portus civitatis Messanæ attigisset (ita enim vocatur promontorium illud) navalem exercitum foras eduxit, ibidemque terrestrem apparatum aperiens Mamertinæ urbis amœnitate nimia lætitia oblectabatur. In eo enim loco cisterna erat aquæ, prope quam erant furcæ, in quibus XII. Christiani ob suspicionem

proditionis suspensi videbantur. Quod spectaculum Rogerius ferre non potuit quin tanta miseratione commotus lacrymas non emitteret, & suspensorum strage suspecta, Deo vovit se eodem in loco ad honorem salvatoris suique sancti nominis templum ædificaturum. Dum hæc secum in animo volutaret, ecce Goffredus prædictus pugnæ dux strenuus advenit. Quo adveniente, subitò datis signis, buccinisque sonantibus, statim momento mari terræque bellum viriliter inceptum est. Mauri Messanenses, quamvis pauci, cum ipsis uxoribus armatis turres & mœnia strenuissimè defendebant. At Christiani, qui quidem occultè sciebant adventum Comitis Rogerii, ut rapidi leones, quoscunque Maurorum inveniunt partim trucidant, orcoque mittunt, partimque pluribus afficiunt vulneribus. Patent undique januæ, ubique strages ac præda videtur, non cessatur, nec aliquis fugæ Mauris salvationis locus conceditur. Truculentissimè Christiani Mamertini Maurorum ulciscuntur, totusque tam maritimus quàm terrestris exercitus crudeli cæde grassatur. Rogerius verò tutam sortitus victoriam, quippe qui clemens erat, miseratione motus, ne ulteriùs cædes progrediatur, placidissimè imperavit ut vivos caperent & pro servis Mauros quosque detinerent. Quinetiam per præconem mandavit ut si Christiani fieri vellent, vitæ ac servitutis impunitatem acquirerent. Qua re audita, quamplures ex illis aqua baptismatis abluti Christiani sunt effecti, & duarum horarum spatio tota civitas infidelibus spoliata in Christi fide ac libertate coruscavit. Dictus exercitus ad episcopatus Ecclesiam se contulit, non sine ingenti totius civitatis tripudio summaque lætitia, Deo primitus gratias agendo. Postmodum Comes tres promtos

equites legatos ad se accersiri jussit, quos lætanter sic affatur. Animosi equites & omni laude digni, quorum causa hæc civitas patria vestra libertatem obtinuit, & concedente Domino etiam tota insula Siciliæ à Maurorum sævo dominatu liberabitur, ecce sacrum vexillum sanctæ crucis hujus civitatis felicissima insignia, quod mihi in Mileto commendastis, propriisque manibus huc attuli, ut promisi, ipsum propriis manibus accipite, pro arbitrio judicioque vestro ubi vultis collocate ad Dei summi honorem & perennem hujus civitatis laudem atque gloriam. Qui præfati legati cum tota Messanensium acie præ nimia lætitia collacrymantes Deo summo ac Rogerio, qui eos ab impiis manibus liberarunt, ingentes gratias egere, & magna omnium lætitia vexillum in turri quæ nunc est campanile Ecclesiæ sancti Nicolai episcopatus extulere. Inde verò ad Comitem recedentes, multis blandisque verbis ultro citroque habitis, non parvum tempus transegere. Exinde tunc Mamertini Rogerium semper ut dominum habuerunt. Tunc Comes Rogerius ipsos præfatos milites Mamertinos pluribus muneribus munificenter donavit, cæterisque militibus suis & civitati etiam parem munificentiam ostendit. Mox pacato civitatis statu, rebusque omnibus compositis, auxiliantibus copiis & Messanensium comitiva totam insulam paulatim in suam redegit potestatem, & ubique pace composita, quæ cum summo Pontifice de tripartienda victoria, unam Ecclesiis dando, militibus alteram, sibique tertiam juxta votum quod promiserat humanissimè adimplevit. Hanc Comes Rogerius cùm annorum esse XXIX. felicissimam est potitus victoriam, Messanamque urbem perenni laude decoravit.

In nomine Dei æterni & salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Rogerius divina favente clementia primus Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Optimè statuit provida moderatione vetustas ut sua recipiant præmia laborantes, præcipuè qui publicis utilitatibus obsecundant, ne quis præteritus reputetur, qui probabili fuerat actione laudandus. Novimus itaque narratione scripturaque vetusta pariter & moderna quot labores, damna, & prælia sustinuerit nobilis & laudanda civitas Messanæ & ejus cives ut Christianum dominium expulsis Agarenis in Sicilia præfulgeret. Nam magnificum quondam patrem nostrum ad illam capessendam introduxerunt, ipsum ope & opere præiverunt cum maxima substantiæ & sanguinis effusione, in ipsa magnifici patris nostri dominium Siculis infidelibus fuit tranquilla serenitate pacatum, & nobis etiam in cunctis necessitatibus suam ostendit virtutem. Propter quod debitè astringimur ipsam civitatem & cives antiquis prærogativis & honoribus præservare, nec minus de novo concedere, & in remunerationis præmium tribuere. Et quoniam authenticis scripturis indicantibus ea civitas velut regni caput semper extitit præhonorata, non solùm Romani & Græcorum imperii tempore, sed etiam dum esset sub eisdem Agarenis oppressa, dignum arbitramur ideo ut nunc quod ejus labore juvante colitur, ibi sancta religio Christiana meritis, prærogativis, & immunitatibus extollatur. Igitur perpetuò statuimus ut in eadem civitate sit in capite regia curia principalis, in quaque sint Annales, Stratigotus, & Judices ordinarii tam Græci quàm Latini, ubi, & non alibi, in primis judiciis cives & habitatores Messanæ tam intra se quàm ab

aliis conveniant & conveniantur, incusent & incusentur, tam de civilibus quàm de criminalibus, magnis & parvis, publicis & privatis, præter si status perversio tractaretur. Ex tunc, si decreverit mandatum regium, per officiales hoc immane delictum puniatur ibidem. Qui Stratigotus de se vel ejus arbitrio nihil consequatur, nullamque capiat mercedem, pœnam, nec solutionem, nisi quantum Judices mediante justitia mandabunt. Erit itaque solùm justitiæ notabilis exequutor. Quæ curia præsit omnibus civitatibus, terris, & locis quæ sunt à Leontino usque ad Pactas & ipsarum habitatoribus, & ejus Officiales visitent & corripiant eosdem cives & habitatores ipsorumque Officiales. Et si civem Messanæ contigerit criminaliter incusari, in eodem judicio comparere juret sine malitia incusare, incusationem prosequatur usque ad sententiam & exequutionem, & quotiens ulteriùs prosequi noluerit, judicium protinus extinguatur. Quòdque sacci regii Quæstor nec aliquis Officialis regius contra ipsos cives & habitatores causas moveat, nec motas accipiat, ubi lis & accusatio est particularium vel esse debet. Sed si ex commissis per eos aliquid regio competat sacco, illud juridicè exigatur in curia supradicta, postquàm fuerit per ultimam sententiam judicatum, quòdque solus audiatur incusans qui suam vel suorum prosequetur injuriam. Statuimus etiam quòd ibidem & in ipsos cives ubique perpetuò justitia præservetur, ita quòd non sit locus injustitiæ, nec acceptatio personarum. Etiam si regia potestas seu persona vel ejus Officialis auctoritatis cujuscunque litigaverit cum cive vel habitatore Messanæ, nullius favore legis neque privilegii præponatur, sed justitia communiter mi-

niſtretur, & à ſuo prædicto foro non poſſit illum extrahere, aut alibi conveniat illum vel incuſet. Et ſi regium prætorium aut alius Officialis civem vel habitatorem Meſſanæ incuſaverit pro re quacunque in judicio, & ſuccubuerit, ſibi damna reſarciat & expenſas; & ſi fuerit de crimine, ea lugeat pœna quam meruiſſet incuſatus. Adjicimus etiam quòd regia auctoritas non utatur ibidem nec contra eoſdem abſoluta poteſtate, ſed legibus ordinata, quam ex nunc legibus & juſtitia moderamus. Quòdque nunquam fiat ordinatio, mandatum, vel ſcriptura quæ ſit contra jus, ſtatuta, conſtitutiones, mores, conſuetudines & privilegia dictæ civitatis, & ſi fieri contingat nulli exequutioni mandetur donec fuerit per juſtitiam moderatum, nec unquam in eadem novi ſtatuantur Officiales, ſeu de novo, & omnes officiales ſtatuendi à regia ſerenitate, ſive ad vitam, ad tempus, vel ad beneplacitum, pro quacunque juriſdictione vel exercitio, ſint cives ejuſdem, non ſuſpecti, nec infeſti populo, aut moleſti. Inſuper quòd omnes civitates & loca quæ ſunt à Leontino uſque ad Pactas jurare teneantur manutenere honorem Meſſanæ, pro qua & civium vindicta ad ejuſdem civitatis mandatum facere teneantur armatam per mare vel terra, exequendo quæ eis dicta civitas mandabit, regia fidelitate præſalva. Et quia caput eſt regni, & regiam continet poteſtatem, ordinamus quòd Rex qui fuerit ad tempus ad ipſius civitatis honorem ſemper ſit & reputetur civis coronatus in eadem. In qua regia ſtatus regni & regiminis omnia conſerventur exempla, ſitque præ aliis regni civitatibus honorata, & in regiis aliiſque convocationibus & ſynodis ſedem primam & locum primum obtineat principalem.

In qua etiam totius dominii nostri pecunia aurea, argentea, & ærea cudatur, & Officiales siclæ ipsius cognoscant de qualitate & pondere ipsius monetæ quæ per omne regni dominium expendetur. Decernimus præterea quòd præsint in eadem curia maris Consules per navigiorum primates & mercatores eligendi, qui cognoscant de marinis negotiis, quibusvis mercantiis & earum naturam sapientibus. Qui Consules de usibus marinis & modo regendi curiam valeant capitula statuere. Volumus etiam quòd ubicunque mercatores navigiorum dominio civitatis prædictæ fuerint adunati, è tribus unum possint Consulem eligere & statuere confirmandum per Consules antedictos. Qui Consul & nullus alius infra regium dominium audiat, cognoscat, & decidat causas ipsorum civium quascunque magnas & parvas, civiles & criminales; & quòd nullus alius Officialis audeat manus in causis iisdem immittere, nec contra dictos cives & eorum bona aliquid intentare. Si verò causa fuerit de crimine, vel à solidis aureis viginti ultra, & dictus civis elegerit causam suam in eadem civitate tractari, quòd cautè coram eodem Consule secundùm quantitatem negotii & personæ ipsum ad dictam civitatem litigaturum transmittat, & si crimen tale fuerit, sub fida custodia & diligentia. Coram verò Consule per eosdem extra nostrum dominium eligendo, omnes de nostra & successorum nostrorum potestate se conveniant & accusent, & conveniantur & incusentur, & non alibi. Nec aliquis de subditis Regis Siciliæ extra dictum dominium valeat Consulem eligere nec statuere. Nam hoc præmium eidem civitati concessimus ad ejus honorem. Præterea cives & habitatores prædictos liberos facimus perpetuò per

totum noſtrum dominium quod nunc habemus & favore divino nos vel cæteri Siciliæ Reges habebunt in poſterum de omnibus & ſingulis gabellis, dohanis, & aliis ſolutionibus quibuſcunque tam de magnis rebus & mercibus quàm de parvis, mobilibus & ſtabilibus in mari & in terra, tam in terris regiis quàm in Ducalibus, eccleſiaſticis, Comitum, & Baronum. Adjungimus etiam quòd nullo unquam tempore in eadem civitate & extra per ſuas villas & rura quæ ſunt à rupe Agro uſque ad Babuſium incluſivè tallia, collecta, angaria, parangaria, echioma, gabella; mutuum, extorſio jaciatur, imponatur, nec colligatur, etiamſi Rex quacunque neceſſitate productus contra regni ſtatuta vel ſecandum collectaret, peteret, aut cæteros cogeret pro re quantacunque neceſſaria, liberi ſint, dum cauſaverint ſeu convenerint à trino pro cento, proque rebus communibus & publicis, ac negotiis civitatis, nec ad regii epiſtagmatis jura nec exemplorum cogantur ſolutionem, & nunquam ullo tempore gabella de novo nec impoſitio quomodolibet apponatur in rebus quibuſcunque nec mercibus, tam in rebus quæ fuerint in civitate quàm quæ portantur ab extra, etiamſi eſſent res inventæ de novo. Mineræ, aquæ, & ſimilia, quæ in locis civium inveniuntur, ſint civium ipſorum, præter eas quæ in præſidiis regiis conceſſis ipſis civibus reperientur. Præterea quòd per omnia maria piſcari valeant abſque aliqua ſolutione, & quòd ipſorum neceſſaria capere poſſint à terrenis littoribuſque propinquis, nec minus pro uſu ipſorum ligna capere vel capi facere à nemore quocunque & pro navigiis ipſorum civium conſtruendis aut reparandis, nulla ſolutione præeunte. Addimus etiam quòd nullus civis

civis Messanæ ad stolum vel armatam quamcunque regalem nec aliàs per mare seu terram ire cogatur invitus, præter ad hoc opus munere aut stipendiis sublimatus. Civis verus erit &, velut oriundus tractabitur qui illic per annum, mensem, hebdomadam, & diem habitaverit, nec alibi domicilium habuerit. Et quoties statuetur exercitus aut stolus in eadem civitate, & ex eisdem civibus armetur galea cum qua regia persona transfretabit. Quæ galea cum signis regiis & civitatis ab omnibus aliis honorabitur & præponetur. Cùm pro statu civitatis consilium celebrabitur, Stratigotus, Judices, cæteri Officiales & cives vocati adire & consulere teneantur. Civis recusans, si non fuerit excusatus justè, per Consilium mulctetur, sed pœna solidum auri non excedat. Jubemus quòd cives Messanæ, & ab eis descendentes, qui extra civitatem prædictam habitaverint, gaudeant eis immunitatibus & exemptionibus & prærogativis quibus intus civitatem commorantes, quoties ejusdem civitatis se voluerint titulo prætueri. Decrevimus etiam quòd omnes exteri tam nobis & nostris successoribus subditi quàm non ibidem ea libertate tractentur, tam in dohana quàm in aliis regiis juribus, qua cives & habitatores eosdem in suis patriis tractaverunt. Supradictis immunitatibus & gratiis gaudebunt Judæi simul cum Christianis. Cives eosdem volumus in regiis officiis majoribus & aliis promoveri. Regium Consilium continuò ipsorum civium consultatione muniri. Demum præcipimus & mandamus omnibus successoribus nostris quòd præsens nostrum exemplar eisdem civitati & civibus observent, & perpetua firmitate custodiant, faciantque ab universis effectualiter observari. Datum est hoc exemplar originale de nostri

mandato Petro de Camuglia, Aloysio de Trano Militibus, Johanni de Columna juristæ, & Philippo de Bursa philosopho Syndicis dictæ civitatis per Jacobum de Mariscalco Militem de Messana, in lingua Græca atque Latina peritum, nostrarum scripturarum correctorem, in urbe Panhormi felici, in solennitate nostræ coronationis, die quintodecimo Maii, sub anno incarnati Verbi MCXXIX. astantibus reverendis Domino Rogerio Beneventano, Johanne Salernitano, & Philippo Capuano Præsulibus, Ricardo Gaetano Duce Salerni, Anselmo Piperio Comite de sancta Flore, Petro de sancto Severo domino Marturani, & quampluribus aliis.

In nomine Dei æterni & salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Wlielmus divina favente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Condignum arbitramur nostrorum subditorum quæ virtutibus acquisiverunt augendo confirmare. Fecimus itaque Messanensibus privilegium, concedens eis aliquas gratias speciales. Datum in urbe felici Panhormi per manus Riccardi Syracusani electi anno dominicæ incarnationis MCLX. mense Maii, indictione IX. Dumque Messanæ personaliter essemus, ex parte universorum hominum civitatis ipsius fuit nobis exhibitum exemplar originale magnifici Domini patris nostri requiescentis in pace, datum in urbe prædicta Panhormi die XV. Maii sub anno incarnati Verbi MCXXIX in solennitate coronationis ejusdem, aliaque Romanorum chirographa, per quæ plenè accepimus istam civitatem ulteriora mereri quàm sibi nostra munificentia fuit largita. Certi propterea cives ipsos, cùm opus fuerit, nobis similia præstituros, ante nostra lumina discernentes quæ pro nostra magnitudine præstiterunt atque præstare non desinunt, eisdem

civibus & civitati propter eorum merita omnia & singula privilegia, gratias, & munera, prædictæ civitati concessas, præcipuè dictum privilegium in exemplari originali contentum excellentis Domini patris nostri, ut jacet, per nos inspectum atque visum confirmamus, roboramus, ipsisque ex nobis concedimus de novo, proque civium ipsorum meritis unà cum infra ponendis gratiis elargimur. Cui civitati & civibus etiam libertatem in dicto privilegio declaratam specificè in sancta urbe Hierusalem omnibus & singulis aliis civitatibus, terris, & locis Agarenorum, & aliorum infidelium quas nobis subjecimus & Domini brachio subjiciemus, etiam in civitate Acri, concedimus, damus, & volumus observari, in quibus dicti cives logias ubicunque voluerint ædificare, Consulem statuere cum plena auctoritate velut in eodem privilegio declaratur. Si verò curiæ fuerit solum, nihil solvant; si privatum, à dominis emant illud volentibus alienare, ita quòd per excessivum logiæ ædificium loci non deformetur aspectus. Portus & portas omnes nostri domanii & dominii præsentis & futuri, Ecclesiarum, Comitum, & Baronum, pro victualibus aliisque comestibilibus pro usu civium & civitatis ipsius eidem concedimus civitati cum omni mera libertate & illa quam de aliis mercibus & rebus habent, secundùm dictamen supradicti privilegii. Nec ad impositionem aliquam forsan super iisdem victualibus & comestibilibus per Universitates, Prælatos, Comites, aut Barones addictam teneantur vel solvere cogantur. Ad hujus autem concessionis & munificentiæ nostræ memoriam ac perpetuò stabile firmamentum præsens hoc privilegium nostrum per manus Mathæi nostri notarii scribi jussimus, nostroque quo utimur epistagmate roboratum. Da-

tum in eadem civitate Meſſanæ per manus Riccardi Syracuſani electi, anno dominicæ incarnationis MCLX. vigeſimo Auguſti, indict. IX. regni verò Domini Wlielmi Dei gratia magnifici & glorioſiſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno XI. feliciter. Amen.



SALLAS MALASPINÆ

LIBRI VI.

RERUM SICULARUM

Ab anno Christi MCCL. usque ad annum MCCLXXVI.

HONORABILI cœtui & reverendæ universitati officialium curiæ Domini Papæ ac metuendorum virorum procuratorum in audientia Sallas Malaspine Decanus Militensis ejusdem Domini Papæ scriptor cum promptitudine serviendi se totum. Opus transmitto vobis quod forsan magis posteris quàm modernis erit ad aliquod oblectamen, in eo quòd nuper, ne segnis otiositas præsentis vacationis indictæ lubricum quid sub silentio pariat & quæ antiqui hostis sunt arma pro hebetibus animabus illudendis & captivandis contra quietum spiritum muniant sedulum humani generis inimicum, volui seriosè opportuna otia voluntariis levare laboribus & pigritantis de more sensum, qui plerunque levibus oneribus expergiscitur, dictationis eloquio experiri. Cùmque non semper eorum quæ dicuntur terminus quærat laudem, sed nec colonum excitatum ad operas culturæ virentis gloria refocillet, nemo improbè credat linguam & calamum tam citò ad laudis gloriam licentiatos ut currant, sed ut quædam gesta Regum Siciliæ memorata recenseant, & memoriæ recensita commendent. Placuit ergo sine verbosæ digressionis anfrac-

tibus à primis Manfredi natalibus usque ad tempora Karoli filii Ludovici catholici Regis Franciæ gesta retexere nec ambages inserere aut incredibilia immiscere, sed vera vel similia quæ aut vidi aut videre potui vel audivi communibus divulgata sermonibus stilo prosaico sub ordine contexta narrare. Hæc quidem etsi forsitan usquequaque non prosint pro eo quòd non semper ex dictis quibuslibet profectus exquiritur, sique etiam superstites non delectet aut non alliciat animos modernorum, ex eo videlicet quòd eorum fortassis adhuc tanquam recentium memoriam retinent, sequentium tamen oriendorumve posteritas aliquid sibi quod delectet inveniet in legendo. Consuevit enim ratio naturalis vestigare in rememoratione præterita & antiqua digna veneratione prǽcolere vestigata. In assumpti ergo præsentis operis auxilium non deos alienos aut antiquos superos invoco ut assistant, sed illius primordialiter omnipotentiam trinitatis peto suppliciter assistricem, quam unit absque divisione divinitas & trinus complet numerus personarum. Flagito etiam & vos mihi fore propitios & exhibitores favoris, quorum volo ut in opere sit laus & gloria, & non mihi, & quibus sum ego minimus, nec dignus vocari socius, sed singulorum servitor, quibus & subesse volo & subjici & placere, cùm eorum cujuslibet non sufficiam calciamentorum solvere cingulum aut vestimentorum fimbriam contrectare. Parcite adhuc quæso defectibus, & tales mei operis estote precor interpretes ut sub vestri promotione consilii non pereat vel negligatur res perquisita laboribus, sed perenni memoria observetur.

I. Olim de semine Frederici Lombardi quadam parturiente Manfredum prona hominum ad credendum quæque relata tenet opinio quòd formæ

geminæ mulierum super Tusciam in aëre nubigero comparuerunt humanis obtutibus pendentes ut nebula super terram, quarum nomina vox magni tonitrui quasi rauca concavitate crepitantis verisimiliter confundebat. Sed non vanè hominum conjiciunt intellectus alteram, secundùm quod discerni potuit, vocari posse Gebelliam, alteram verò Guelfam. Eæ, ut aiunt, junctis brachiis invicem colluctantes alterna corpora mutuò perurgebant, & dum ab auroræ rutilo usquequò sol tenuit in medio axe iter durante duello manuali pugna concertant, nunc illa desubtus ignominiosè depellitur, nunc eadem rediviva compulsu alteram premens pedibus victoriosa eminet & læta triumphat. Modò illa videtur resupino corpore ruere, modò hæc eadem facie accensa resultans caput gaudet secundæ conterere frequentium inculcatione pugnorum. Sicque variatur utriusque victoria & mutuus denuo nutat ascensus, neutra diù subest alteri conculcata, & altera alteri prælata vicissim in eminentiori stat modicum. Evanescunt alternatim metus & gloria victricis & victæ, ac alterius ascensus & casus habet subsistentiam momentalem. Et adeo videntur victoriæ vices æquæ, quòd qui vidit colluctationes hujus impulsus, & repulsus alternos pari potuit dinumeratione metiri. Sed licèt prædictus Manfredus, tanquam ex damnato coitu derivatus, defectum natalium patiatur, nobilis tamen naturæ, decus utriusque parentis, qua ortus ejus esse meruerat generosus, maculam ferè defectus hujus expiabat; ac decor tantus erat infantis quòd non ex ancilla secundùm carnem, sed per repromissionem allegoricè natus videbatur ex libera; crescensque forma præstabili, & continua bonitatis recipiens incrementa, meruit accuratè ab Augusto tractari & custodiri pariter sicut filius legitimus diligendus.

Profecit nimirum in liberalibus artibus, ac virtute magna & moribus magnificatus est inter nobiles, tanquam summis fuisset gymnasiis eruditus. Incomparabilem emit sedulo labore scientiam, & morum erudimenta non segnis attenta sollicitudine comparavit. Hunc jam adultum persona dotibusque personæ grandævum Fredericus ejus genitor, antè quàm fieret anathema, priùs quàm esset etiam irrefragabili depositione percussus, filiis præferens, eum tandem principatu Tarentino donavit, in quo nomen & decus Principis studebat laudabiliter promereri. Tradiditque sibi uxorem nobilem mulierem natam Amedei Comitis Sabaudiæ nomine Beatricem.

II. Postquam verò coruscationes suas sedes apostolica coruscavit ut dissiparet Cæsarem omnesque vitis ejus palmites obtruncaret, ac misit sagittas præpetes cum maledictionis suæ violentia ut perenniter totam posteritatem Cæsaream conturbaret, cordibus Frederici totiusque familiæ variis contra Ecclesiam inebriatis erroribus, erynnis sæva, quæ est furia infernalis, cum sororibus baccatrix irrepsit, eumque antiqua serpentis latiùs momordit astutia, & propensiùs fraus diabolica circumvenit. Adeo enim præconcepto veneno & fermento solitæ malitiæ ac nequitiæ totam infecit Italiam quòd votis ubique omnium divisis in partes, quicunque in terra propria poterat aliquid, necessariò de parte imperii aut de parte nominatim Ecclesiæ censebatur. Divisionis igitur error per universam Italiam cœpit paulatim succrescere, & partium vitiosa dissensio in qualibet adeo provincia inolevit quòd sub Gebellinitatis pallio sub favore partis imperii cœca pullulabat hæresis & fœda infidelitas germinabat. Et si quando saltus harum vulpium & cavernas sagax religiosorum industria per sedem

apostolicam contra hujusmodi pessimos Christianos electa volebat industriosè perquirere ipsarumque vestigia perscrutari, nonnulli credentes & pravitatis tam insanæ fautores aut latitantia tantæ iniquitatis germina inoffensa fovebant, aut compertam frequenter sub latebris & ambulantem sub tenebris & umbra mortis superstitiositatis hujusmodi nequitiam defendebant, sicque sine cujusquam repressionis obice undique suos errores disseminabant hæretici & diffundebant impunè venena. Verùm ut ars præcipitii de suo triumpharet actore, Dominus Innocentius Papa IV. in generali Concilio apud Lugdunum contra Fredericum Imperatorem, penes quem nulla salutis proficiebant consilia nec conatus apostolici studii proderat, tanta erat ejus execrabilis pertinacia pravitatis, justæ damnationis sententiam eodem appróbante Concilio promulgavit. Innocentio verò Italiam repetente & mandante contra Fredericum prædicari publicè verbum crucis, Fredericum prædictum apud quoddam castrum quod Florentinum dicitur prope Luceriam Sarracenorum mors inopinata momordit, & omnes ejus semitas sive diversoria in arto concludens, lubrica ejus vestigia decurtavit. Sed auditu mirabile, iste Cæsar, qui fuerat in orbe Monarcha, & per universa mundi climata gloriosiùs cœperat venerari, credens fortassis suam cum superis per artis experientiam mathematicæ coæquare naturam, qui mores ante lapsum erroris cum magnis æquarat, studuit rerum opiniones sollicita curiositate perquirere ac profundè cælestia perscrutari; sicque dum subtili indagatione naturalia vestigabat, astrologos & nigromanticos adeo venerabatur & auspices quòd eorum divinationibus & auspiciis Frederici velocissima cogitatio ad similitudinem venti motu celeri denuo vagabatur. Cùmque hu-

Vide lib. I. Miscellan. pag. 475.

jusmodi aruspices dixissent se arte sortilega comperisse quòd Fredericus debebat sub flore marcescere, per eorundem interpretationes Fredericus prædictus desiderans fieri contra naturam corporis immortalis, Florentiam & Florentinum in Campania quantum potuit evitavit. Sed dum frustra locum mortis evitat, qui nec tempus prævidere nec mortis terminum fugere poterat, quantalibet adjectione remedii lapsus est in laqueum improvisum qui omnem finaliter illaqueat creaturam.

III. Postmodum autem, licèt regnum Siciliæ foret ad dispositionem Ecclesiæ Romanæ, cujus juris & proprietatis extitit, liberè devolutum, Rex Corradus ejusdem Frederici filius regnum ipsum occupans, eo, non tanquam alieno, sed velut re patrimoniali, quem sibi credebat ex paterna successione competere, cœpit uti. Et dum inter hæc civitas Neapolitana, quam reddit amœnus loci situs & civium copiosa multitudo nobilium super omnes terræ Laboris metropoles generosam, non immemor sententiæ depositionis & irrefragabilis privationis edicti contra Fredericum & successores suos per sedem apostolicam promulgatæ, Corradum prædictum recipere tanquam Ecclesiæ devota contemneret, ac in hujusmodi proposito inviolabiliter perduraret, spectans denuo sibi per sedem apostolicam potenti subsidio subveniri, augustata per mare ingenti navigio & per terram exercitu copioso, tamdiu Corrado prædicto parere agresti resistentia recusavit quandiu defensoribus victualia duraverunt; quibus omnino deficientibus, aliquandiu ad carnes morticinas animalium hebetum, quas palatus naturaliter aspernatur humanus, necnon ad herbas neglectibiles, quibus vix brutum pascitur animal, urticas videlicet atque malvas, frondesque ficuum & aliorum arborum ora fame-

lica converterunt. Iis autem poſtmodum, cùm longa terræ vaſtatione conſumptis nullum civitati prædictæ ſede apoſtolica deſtinante ſubſidium, urgenti jugo colla neceſſariò fatigata ſubmiſit, antiquis mœnibus & muris altiſſimis funditus interdum propter hujuſmodi pertinaciam deſolata. Tandem idem Corradus in regno prædicto plenum per violentiam & per amicitiam etiam ſine obice principatum cœpit in olla paternæ nequitiæ veneno ebulliente ferveſcere, ac ſuccedens vitioſè vitio genitoris complices & fautores quondam Cæſaris ſtuduit excitare ſepultos, & factos jam hebetes perdito capite contra redivivam Eccleſiam provocare; totamque partem Gebellinam adeo niſus eſt diverſorum ſubſidiorum fovere vigore ac relevare qui ceciderant penè ſuperbos quòd nec in patrimonio Eccleſiæ abſque perſecutionis duræ jaculis ſummus Pontifex morari tutè valebat nec apud Italicos pro publicæ ſalutis emolumento aliquid exercere. Unde Dominus Innocentius prædictus videns ex tempeſtatis tantæ procella ſentinam apoſtolicæ naviculæ aqua amaritudinis plenam Peruſium naufragus uſque perrexit; ibique, Rege Corrado agente in Apulia, morabatur. Sanè Manfredo in fraterna gratia perſiſtente, quem nondum ſuæ ſortis fortuna tetigerat, ſed necdum excogitatæ in fratrem fraudis fomite revelato, Corradus prædictus in regali pompa deliciis affluens cum eodem Manfredo multiſque proceribus Alamannis & regni Baronibus & nobilibus aliis in pacis tranquillitate ſaluberrima regni temperatione perfruitur, oculorum in rerum varietate grata ſpeculatione depaſcitur, ſonoris delectatur auditibus, & harmonicis delectationibus inæſtimabili modulatione pacatur, ſuaviſſimis jocundatur odoribus, & epulatione guſtui neceſſaria delinitur. Favet Manfredo

affectione fraterna, & eum honorat adeo ac si ambos unus uterus peperisset. Manfredus enim respectivè lucifer dici poterat in tota posteritate Cæsarea, tum quia præstabili forma decorus & literaturæ dotibus redimitus alios meritis excellebat, tum etiam quia se industriosè omnibus reddebat amabilem & Baronum sensus blandimentis noverat placibilibus demulcere & cæterorum se moribus conformare.

IV. Sed jam benivolentiæ omnium placibilitatis studio coaptatus, fraternæ factus impatiens dignitatis, cœpit intrinsecus latentis invidiæ nutrire fomenta & livoris occulti fervorem ptæalti cordis magnitudine, machinationis igne supposito, detractionis flamma & oblocutricis murmurationis pruna succendere ac fovere, ita quòd fraterna nulla consideratione hujus fuit invidia quando primi urbis muri fraterno sanguine maduerunt, sed nec alia quæ insidiata est fratri offerenti manipulum pinguiorem. Nihilominus tamen Manfredus fratri quantum poterat gtato famulari nitebatur obsequio & obsequiositatis sedulo studio complacere, ita quòd quotiescunque Corradus equitare volebat, Manfredus promptus & agilis currebat ad scansilem seu streugam, ac modis aliis famulatus fratri tanquam præcellenti adulari didicerat & blandiri, hac consideratione commonitus quòd cùm semper cresceret in gratia & amore majorum, potissimè illorum de regno, cavebat sibi vehementer ne frater in eum manus sævas extenderet & vel occultè vel per fraudem vel dolum aut publicè per potentiam mortem ejus crudeliter intentaret. Corradus enim non advertens quòd in actorem sui consuevit fraus conversa plerunque redire pluties dixerat in propatulo verba ista. Princeps iste adeo se nobis obsequiosum exhibet & se adeo reddit gratum, sicque nostræ novit

voluntati blandiri, quòd eum nec offendere possumus, nec aliquod præsumimus facere sibi malum. Postremò Rex Corradus in Apulia juxta montes focarios prope Melfiam & Venusium cum infinito exercitu castrametatus existens in campis, quatenus terram aliquam obsideret, dies suos in solatio transcurrebat, convenientibus ibi cum ipso ferè omnibus regni Baronibus; inter quos Manfredus cum pulchra militum comitiva convenit, cui similis nulla loco convenerat in eodem. Corradus itaque in tentorio suo in campis sub autumnali tempore febrili cœpit accessione gravari. Et cùm febres hujus temporis consueverint esse longævæ ac ægrotantem diù sub invalitudinis labore tenere frequenter, idem Corradus convalescentiæ metas attingens recidivabat regiminis per errorem. Custodiebatur exacta diligentia ne qua manus medicinis aut comestibilibus posset apponere aliquid nocivum; & ne sorbile aliquid lurida possent aconita fœdare, quamplures fuerant rerum prægustatores quarumlibet deputati, ita quòd per gustum non poterat veneno palatus infici nec venter. Verùm dum in longum protrahitur ægritudo, nonnulli Manfredi complices magis ardebant ipsum per viam aliquam toxicare. Et volentes Manfredo adulari fallaciter invicem susurrabant. Et alii in tantum demissos susurros comprimebant in vocem quòd Manfredus vel audiebat vel debebat audire. O, aiunt, utinam Rex de invasione præsentis infirmitatis oecumbat. Velit Deus quòd nunquam de cætero convalescat, sed protinus moriatur. Nam Manfredum inungeremus in Regem, qui est longè dignior quàm Corradus. Iste diligeret nobiles, iste remuneraret obsequia. Est enim liberalior & humanior tota posteritate Cæsarea. Unde firmiter sua industria & magnanimitate totum sibi

ſubigeret orbem terræ. Audiens ſanè Manfredus quæ fallax Baronum regni ſuſurrabat opinio, in necem fraternam plus ſolito aſpirabat. Sicque quidam Salernitanus phyſicus, qui erat ad curam Corradi, quem Manfredus pluries ad dilectionis ſuæ gratiam verborum humilium blandimentis illexerat, fuit inſtantiſſimè per Manfredum & quoſdam ſuos amatores inveteratos diebus malis ſub ſigillo pœnitentiæ requiſitus ut cùm per guſtum Corradus venenari non poſſet, aliam excogitaret fraudis viam per quam idem Corradus omnino mortis diſcrimini traderetur. Salernitanus igitur prædictus, ut fertur, tritum adamantem cum pulvere dyagridii in aqua clyſteris immiſcuit & illa ventrem ſtipticum intrinſecus irrigavit. Adamas enim violentiſſimè fertur eſſe nec ſine ponderoſitatis fortitudine penetrando fortia quæque frangens. Dyagridium verò, quod aliàs dicitur ſcamonea, reſolvit omne quod tangit. Sicque violentia utriuſque Corradus prædictus emiſit laniata particulariter viſcera per ſeceſſum, corporis & animæ fœdere diſſoluto. Conſtituit tamen bajulum in regno pro ſuo unigenito Corradino quendam Marchionem de Alemannia conſanguineum uxoris ſuæ: quæ cùm eſſet de ſtipite Frederici de ſtupha in Alemannia remanſerat cum Corradino filio ſuo nondum pubere.

Manfredus verò, cui favebant utplurimùm regnicolæ Comites & Lombardi, attendens quòd multitudo nobilium Theutonicorum qui cum Corrado fuerat adhærebat bajulo Corradini, cùm nonnulli & Barones ex hujuſmodi multitudine ipſi Corradino tum per paternam tum per maternam lineam attinerent, qui dabant operam ad conſervationem regni, ut in eo poſſet Corradinus ſuo tempore dominari, & conſiderans etiam quòd ut

regnaret nondum venerat hora ejus, non est tunc ausus quod conceperat aggredi & quod desideraverat attentare, sed in odium Theuronicorum excogitavit se beneplacitis apostolicæ sedis adeo coaptare, adeo se humiliter Ecclesiæ Romanæ committere gremio quòd enervaret omnino vires consanguineorum nepotis in regno & eorum potentiam cum favore ipsius Ecclesiæ annullaret. Perveniente inter hæc rumore de obitu Corradi ad Dominum Innocentium, qui Perusii residens tanquam infra murorum ambitum circumseptus undique inimicis, cùm jam factus in suo statu perplexus quòd inde se in fugam accingeret ubi se numerus hostium brevior ingerebat, statim novi gaudii lætitia nova respersus versùs regnum dieris continuatis accessit, & Anagniæ aliquandiu substitit, expectans certos de regnicolarum conversione recipere nuntios, per quos sibi regnicolis è vicino jam posito civitates & loca regni signa devotionis & fidei debeant demonstrare. Eo igitur Anagniæ cum tota curia sub expectato tranquillitatis tempore respirante, Manfredus, Marchio bajulus regni, & nonnullæ communitates & Barones parituri præcisè mandatis summi Pontificis cum innumera multitudine accesserunt. Marchio verò in manibus Domini Papæ bajulatui & Corradini tutelæ cessit in totum, sed gratiæ sedis apostolicæ absentem recommendavit infantulum, eum & totam hereditatem suam protectioni Romanæ Ecclesiæ supponendo, & rogando suppliciter quòd innocens infans non puniatur de avita & paterna malitia nec de eorum excessibus pœnam reportet per eosdem contra Ecclesiam perpetratis. Dominus verò Innocentius omnes venientes ad gratiam apostolicæ benignitatis brachiis apertis admisit, omniumque studebat animos quadam paterna mansue-

tudine demulcere. Manfredus ſanè, qui propriis meritis electorum regni conſortium videbatur æquare, immo cunctorum mores excellere omneſque præire in ſpiritu & virtute paterna, ante omnia meruit à ſententia excommunicationis qua tenebatur abſolvi. Et quia omnia facta Cæſaris annullarat Eccleſia & ſucceſſionem damnaverat filiorum, dictus Manfredus abſque nova ſedis apoſtolicæ conceſſione non poterat principatum Tarentinum licitè retinere, unde benignitas Eccleſiæ, quæ devotos & humiles promovere propenſiùs conſuevit, non obſtante ſenſentia depoſitionis Frederici & natorum à ſucceſſione privationis, ratificavit & confirmavit dicto Principi omnem donationem ſibi factam per patrem ante ſuam depoſitionem prædictam, conceſſitque ſibi honorem montis ſancti Angeli, & eum in Apulia Capitaneum pro Eccleſia ſtabilivit. Repetit ergo Manfredus Apuliam grandibus ab Eccleſiæ liberalitate beneficiis honoratus. Qui licèt quantum ad communem opinionem in ſuſcepto capitaneæ officio nomen Eccleſiæ profiteretur & omen, & verbo ſe officialem Eccleſiæ appellaret, nihilominus tamen Apulorum corda, quæ mobili ſemper rotatione vertuntur, ad devotionem & amicitiam ſuam quantum poterat attrahebat, in amore Sarracenorum de Luceria, qui judicia fidelium Eccleſiæ mente ſemper dubia formidabant, potiſſimè ſe involvens, quorum voluntates in ſui nominis devotione roborare toto non deſes ſtudii laboravit affectu. Hic adeo gratioſus creſcebat in oculis Apulorum quòd nonnulli dicebant eo audiente frequenter: Nolumus alium Regem, nec alterius dominium niſi iſtius Principis affectamus. Iſte & nullus alius Rex proculdubio noſter erit. Deus conſervet eum pro libertate noſtra. Non enim nobis compe-

tit

tit clericorum dominium. Sufficiant Ecclesiæ Romanæ spiritualia. Principi autem nato Imperatoris temporalia libera derelinquat.

V. Interea Dominus Innocentius quendam de genere suo Capitaneum præmittit Neapolim. Ipse verò apud sanctum Germanum cum curia tota venit; ibique per Comites & Barones, qui sibi obviam tanquam regni domino occurrebant, reverenter & venerabiliter extitit visitatus. Cum quibusdam Baronibus quidam de majoribus ex iis nomine B. de Augione convenerat, qui vivente Corrado de ortu Manfredi ejusque defectu in contumeliosa improperia contumeliosè proruperat. Contra hunc sanè Manfredus habens animum conturbatum inimicitiæ jaculum, quo eum opportunitate captata posset offendere, denuo gestabat occultum. Occurrens ergo Manfredus summo Pontifici prælibato, quadam vice prope sanctum Germanum B. de Augione prædictum inermem habuit obvium, ut volebat, & opprobriorum non immemor, sed ex eorum memoria cordis dolore tactus intrinsecus, suis illico armigeris quòd in dictum B. irruerent gladiis eumque ignominiosè tractarent. Occubuit ergo Manfredinorum gladiis nobilis memoratus; & Manfredus judicium formidans Ecclesiæ in hac parte fugit Acerras. Dominus verò Innocentius accessit usque Neapolim; ibique fuit ex Manfredi parte diversorum tractatuum sollicitatus instantiis, & quòd sub certis pactis Manfredum ad sua mandata reciperet requisitus. Sed quia excessus gravitas magna erat tam ratione occisi, qui erat de primatibus regni unus, tum etiam ratione ejus quòd in conspectu Romani Papæ fuerat tantum maleficium perpetratum, necnon quia si facti tam gravis enormitas non sortiretur media justitia pœ-

Odor. Raynald anni 1254. §. 67.

nam suam, magnæ turbationis scandalum inter regni majores, quibus ferè omnibus dictus B. consanguinitatis vel affinitatis linea attinebat, oriri poterat & moveri, Dominus Innocentius præfatum Manfredum sub conditione vel pacto recipere noluit ad mandata, sed in hoc semper proposito firmabatur ut Manfredus prædictus Marescalli sui mandata præcisè faceret ac de commisso facinore juri pareret omnino. Tractatus & tractus hinc inde fuit eximius. Sed Manfredus judicium fugiens noluit stare juri. Dubitabat enim se sine pactis Marescalli Papæ committere potestati. Cùmque Manfredus non posset in terra Laboris tutè propter Ecclesiæ potentiam remanere, animusque suus semper ad gaudia tenderet, qui nec ad humile flecti poterat, nec in humili remanere didicerat, in Apuliam sua continuavit effugia. Ubi cùm nulla civitas vellet ipsum contra Ecclesiam receptare, nec posset etiam tutus in aliqua remanere, quia sunt imbecillia corda ferè omnium Apulorum, consultè petiit Sarracenorum tutamina, quorum audaciam formidolosa illorum de ducatu Apuliæ consuevit segnities formidare. Fuit ergo per eos in Luceria receptatus & Frederici veneratus ut heres. Cùm enim Sarraceni, potissimè qui sunt in civitate prædicta, imperiales esse dicantur, quique aliàs de ritus more abhorrent Ecclesiam, quæ consuevit & debet eos exacto sollicitudinis studio persequi & omnino delere, cogitare meritò poterant quòd si regnum, sicut credebatur, ad manus Ecclesiæ pervenisset, vastasset eorum in Apulia proculdubio incolatum, & eos tanquam proditionis filios dispersisset. Et ideo causam nimirum exquisitè quærebant qua se qualitercunque possent ab Ecclesiæ potestate subducere & se sub alicujus dissimulatæ fictionis colore alterius subjicere ditioni. Postquàm igitur Man-

fredus contra Ecclesiam erecto inobedientiæ & rebellionis calcaneo se pervertit & sua cum Sarracenis fœdera roboravit, nonnulla loca & quamplures nobiles Apulos ad se convertit aut spontaneos aut coactos. Dominus enim Innocentius, qui tam contra eundem Manfredum quàm contra receptatores & complices ejus exercitum indixerat per contradam, morte præventus, votum Ecclesiæ adimplere non potuit; sicque eo mortis morsibus apud Neapolim expirante, sedis apostolicæ propositum expiravit. Dilatat ergo Manfredus sicut infernus os suum, & distentat suas per Apuliam phylaterias, Barones & terras callida seductione sollicitat. Volat audax aquila, quæ nondum ætate plenè cœperat adulta pennescere, & rapaces ungulas assuefacit ad prædas, suarumque alarum robore Apuliam totam concutit, quorum jam sentiebat strepitum principatus.

Sed mira illius potentia cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, quæ licet permittat Ecclesiam temporalibus aliquando turbationibus affici & ventosis quassari plerunque procellis, ejus tamen naufragium omnino non patitur, adeo tunc fratrum cita concordia unoque conciliavit affectu quòd sine magnæ moræ præter morem dispendio Dominum R. Ostiensem Episcopum natione Campanum, oriundum de quodam castro quod Genua dicitur Anagninæ diocesis, in summum Pontificem concorditer assumpserunt. Et ut nova de more nominis impositio sequeretur beatitudinis tantæ fastigia ipsum nomen ad litteram æquaret sua interpretatione, præcellentiæ tantæ omen vocari meruit Alexander. Hic namque post assumptionem suam ductus saniori consilio, volens anchoram regendæ naviculæ in tuti portus statione locare & rudentem mandatorum suorum ad terram VI.

firmam extendere, ut per hoc suo & Ecclesiæ discrimini præcaveret, quod propter volubilitatem illorum de regno & frequentem variationem votorum poterat in regno non immeritò formidare, amotis à quibusdam officiis Lombardis, & eorum Campanis loco præfectis, Anagniam retrocessit. Interea verò Dominum Octovianum de Ubaldinis sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem constituit in regno Legatum, cui prædicandi contra Manfredum & Sarracenos publicè verbum crucis plenam tradidit auctoritate sedis apostolicæ potestatem. Congregavit ergo Dominus Octovianus gentes innumeras, & copiosum exercitum apud Fogiam congregavit, cujus major & melior pars Tusci dicebantur, qui maximè obtentu Cardinalis ejusdem signo crucis assumpto convenerant & stipendiis etiamque nummis receptis, ut non propriis expendiis in Ecclesiæ Romanæ servitiis militarent Campani quoque cum iis quos sub ejusdem stipendiis in regnum destinaverat Dominus Alexander. Cùm ergo exercitus pomposus Ecclesiæ in magna bellatorum multitudine totam contratam Fogiæ complevisset, & crederetur omnino quòd posset ac deberet juxta Luceriam obsidionis validæ castra firmare, Manfredus, qui omnino gentibus inæqualis & viribus impar erat, associatis sibi Sarracenis, Theutonicis, & regnicolis quibusdam suis complicibus, juxta Fogiam posuit se in campis; & discrimina nondum bellorum expertus, eos in bellis, quod modò obsidione paucorum militum circumdedit, à quibus debebat & poterat obsideri. Verùm quidam Comites & nobiles Tusci & Campani, qui erant agminibus exercitus præsidentes, dum attenderent Manfredinos viribus & numero pauciores, ardebant inire bellum & cum propinquis hostibus concertare. Immo extranea inter se furiæ

concitatione fremebant præ nimio affectu confligendi & pugnam attentandi cum adversariis manualem. Sed jussu Cardinalis, qui conflictum animo detestabatur & verbo, accensas magnanimitatibus in adversarios voluntates prohibentur contra tantam hostium audaciam experiri. Demum verò sine pugna prævalentibus hostibus sola fortunali præsumptionis audacia, quæ contra ecclesiasticos vigoris cotidie plus habebat, Cardinalis prædictus sponte vertit terga Manfredo, & Apulia derelicta, usque Beneventum fuga continuata perrexit. Manfredus verò insequebatur denuo è vestigio fugientes. Sed eo appropinquante finibus Beneventi, Cardinalis fugam resumpsit versùs Aliphium properando. Cùm enim arma non sedeant humeris clericorum, nec expediebat nec tutum erat quòd præferretur in tanto negotio Cardinalis gentibus bellicosis & quòd præesset exercitui bellatori. Clericus quidem nec se potest ad pugnam nec alios animare, cujus exercitium liber est tantùm. Et ideo imprudenter capitaniæ recipit præsidium, & minùs providè sibi militia regenda committitur. Quòd si quandoque talibus quorum usus spiritualia & iis annexa censentur subjiciatur regendus exercitus, non est mirum si sub eorum magistratu multitudo fiat debilis industriis animationis vocibus non adjuta, & tanquam exanimis & imbecillitate regentis occumbat & corruat paucitati. Verùm adhuc habet relatio plurimorum & quorundam divulgata opinio quòd quando Manfredus Romanam curiam visitavit, Dominus Octovianus propter plura merita quibus Manfredus alios præcellebat in ejus adeo exarsit amorem quòd pro eodem ardua studuisset liberaliter exercere. Unde asseritur quòd illius amoris instantia quem in eo conceperat & dilectionis etiam instigatus quam domus

Cardinalis prædicti ad Fredericum habuerat, cui ſub Gebellinitatis nomine quantum poterat adhærebat, idem Cardinalis ſtatum Manfredi affectans ad ſublime tranſcendere, ſibi ceſſit in regno, & cùm potuiſſet proculdubio feliciter habuiſſe triumphum, ſi congregationem tantam fidelium cum gente Manfredi permiſiſſet pariter commiſceri, regnum demum & fines regni Manfredo ſpontanea liberalitate dimiſit, rediitque in Campaniam quaſi victus. Manfredus ſanè, ut de ejus generoſitate, quæ per ſuperiora patet, jam calamus conquieſcat, fuit in ſui ſtatu benignus, cujus forma decora eum benignum neceſſariò demonſtrabat. Fuit etiam virtuoſus. Nam moribus & ſcientia decorare ſtuduit animum antè quàm eum regni cupido perverteret ac orbaret. Fuitque magnanimus. Quod evidenter apparet ex eo quòd tantum negotium eſt aggreſſus. Nec minùs ſe familiaribus exhibuit gratioſum, qui gratiarum erat in ſe dotibus circumfultus. Unde tot perſonæ ſuæ meritis propenſatis, ut fertur, Dominus Octovianus volens ardua præſumere pro eodem, cauſam dedit propter quam, exercitu Eccleſiæ cedente Manfredo, Manfredus ipſe totius regni dominus remaneret. Sed ut cedat opinio veritati, ſanius eſt credere quòd idem Cardinalis potiùs ex ſui exercitus debilitate diffiſus, attendens ſuorum armatorum numero ſemper detrahi, exercitum verò Manfredi continuè adaugeri, dimiſſo regno cum incolumitate ſuorum ceſſerit Manfredinis quàm ſimulata fuga, ut Manfredi conditionem erigeret, regno abſceſſerit fraudulenter. Iniquum eſt enim quod aliena vi conſtat impoſitum trahere ad delictum, & quòd homini vitio deputetur quod ejus voluntate non regitur, ac illud periclitanti quis imputet unde evadere rarò detur.

Manfredus igitur ex tam amicæ prosperitatis arrisu, affluentibus undique commodis, lætabatur. Sed cùm ejus tanta prosperitas recens esset, nec haberet Corradino superstite colorem aliquem sub cujus saltem fictitio tegumento assumptum ad dominandum toti regno animum occultaret, se tutorem nepotis sui Corradini esse confinxit & hereditatis suæ legitimum protectorem. Prætendens igitur sibi, quo nullus de genere paterno supererat propinquior Corradino, hujus tutelæ curam inesse ac protectionis ejusdem onera suis scapulis imminere, Siciliam & Calabriam regnumque totum, cujus incolas ut cogitationes conceptas ..... explicaret quando posset semper agitat motu arundineo mobilitas naturalis, sub alarum suarum invalescenti jugiter principatu sine dispendio bellicoso & absque sumptuoso labore conclusit. Nondum enim dolum quem sub tenebrosis fraudibus gestabat interiùs, & quem studebat providè tegere sub coloratæ imagine speciei, simulata pietas propalarat, sed mentita Corradini protectione tutoria universa deludens ut regnicolarum corda fragilia concitaret ad desideria promissorum libertatis & munerum inderentur præmia promittebat. Verùm totius jam difficultatis in regno cacumine deplanato, sumpta inhumaniter audacia malignandi, non servavit postmodum congruentiam nec modum, sed totam regni nobilitatem tyrannide furibunda depressit. Et dum in eo temperantia mediatrix denuo prophanam carnis suspicabatur offensam, nec ejus delectationes illicitas nec voluptates fervidas potuit refrenare, nec moderata dominatio adversùs libidinem alios non rectos impetus animi compescere potuit nec motus ejus. Namque invalescente sævitia sanguinis atrocitas & libidinis incentivum jam eidem adimere cœperant quicquid stu-

diosus virtutibus compararat; & à se ipso priore vita & moribus diffidens, virumque mutatus in alterum, universos regni magnates in quorum animis ecclesiastica fervere devotio credebatur aut perpetuo relegavit exilio aut horribilibus mortis pœnis tum per insidias clandestinas maceravit, tum aliis sævis & apertis debacchationibus interemit. Sed nec pepercit illis qui erga factum infantis zelo pietatis accensi & eum in Alemannia feliciter vivere ipsumque regni fore legitimum successorem quoquo modo prætendere videbantur. Hos enim non solùm infra regni fines sed etiam ubicunque usque persequi ad fata exitialia nisus fuit. Nam Comitem Petrum de Calabria, virum olim in curia Corradi & Frederici etiam præpotentem, qui Corradini aliquandiu cœperat administrare tutelam, apud Terracinensem civitatem exilio profugum, per quendam Petrum de Castellionata civem Salernitanum Domicellum & familiarem ejusdem Comitis procuravit interfici, & fratrem ipsius Comitis Jordanum Rubeum nomine oculorum amissione confecit. Civem verò prædictum confugientem ad eum nece sui domini tam crudeliter perpetrata militiæ cingulo decoravit. Deinde per totum regnum mandavit edictum generale proponi quòd nullus Corradinum de cætero nominaret, sed Manfredum ipsum omnis regni prædicarent heredem & hereditatis paternæ pariter successorem, & qui contra faceret esset sibi meritò proditione suspectus & ut suus proditor puniretur. Sicque frequenter fecit litteras in personis aliquorum nobilium de Alemannia fabricari, quarum simulata relatio præteritum proximè obitum mentiebatur infantis; quas litteras tanquam certissima nuntiantes faciebat denuo in civitatibus divulgari. Cùm autem erronea regnicolarum cre-

dulitas fictam mortem Corradini supponeret esse veram, totamque regni nobilitatem sæva tyrannidis astutia momordisset, immo diris excidiorum faucibus sorbuisset comitatus, baronias, & feuda exulum & occisorum, Lombardis quampluribus, quorum quosdam extrema paupertas devehebat in regnum, nonnullos verò proscriptos à propriis partialis dissensio impellebat, liberaliter distribuit & dispersit. Sed non mansit propterea ejus justitia in æternum. Advocavit etiam hujus largificæ dispersionis in sortem quosdam de Sicilia de domo illorum de Malecta, & alios quamplures de regno, quos nova devotio vel actus pestifer & nefandus sibi gratos & familiares effecerat, ab ejusdem liberalitatis participio non exclusit. Verùm Lombardi præcipuè sub consanguinitatis & affinitatis imagine ultionei ad Manfredum elationis assumptæ fastigio gloriantem in paupertatis habitu confluebant. Sed dum civitates & loca Tusciæ & Lombardiæ quæ Frederico & Corrado jam mortuis viribus tepescebant, & quas felix fortuna Manfredi sola fama calefecerat, à remotis per nuntios & litteras ipsi Manfredo signa fidelitatis & devotionis offerrent, & contra viciniam inimicam ab eo militum subsidia flagitarent, Manfredus ipse non ad subveniendum exteris nec ad offendendum loca extra regnum intendere voluit, sed curiosè cœpit de coronatione sua indefessæ sollicitudinis studio cogitare. Hæc enim erat curarum cura, quæ ferventer suo pectori inhærebat, & arduo cogitatu fluctuantem in successionibus placidis spiritum coartabat. Interea verò Domino Alexandro Anagniæ commorante, cùm jam per universa mundi climata firmiter crederetur quòd Manfredi felicitas odiosa nimiùm facta esset Ecclesiæ ac infesta, ex parte Corradini agentis sub annis in Aleman-

nia pubertatis. duo nobiles Alemanni, quorum unus Croccus, alter Bonscianus vocabatur, ad ejusdem Domini Alexandri præsentiam imploraturi pro Corradino veniam hereditatis avitæ mittuntur. Ecclesia namque tunc, pro eo quòd Manfredus eidem plurimùm reddiderat se ingratum, & ejus beneficia minimè recognoscens, eam privignali odio cœperat lacessere, regnum Siciliæ fideli cuiquam potenti pro ipsius Manfredi exterminio concessisset. Sanè de fine prædictorum Crocci & Bonsciani libenter ulteriora non dicerem, ne forsitan patrium crimen detegam quod deceret mente silentiosa, currente ad reliqua calamo, pertransire. Sed ordo accurrentium rerum instat ut labia parata sermonibus, quæ subsequentium series cupit esse rectiloqua, concivium notoria scelera veridica locutione depingant, ne fortè major vero volans ad longinquos ut plurimùm infamia referatur. Erat igitur Romæ quidam nobilis de domo Surdorum nomine Raulus. Hic profectò more Romano magnanimus & strenuus putabatur. Sed cùm jam ferè sibi tota proprietatis substantia defecisset, eum aliena sequi necessariò oportebat. Plus enim præter Romanum morem in suis voluptatibus expendebat quàm possent bonorum suorum redditus sustinere. Fuerat quippe sub multa lubricæ delectationis libertate nutritus, & ex eo maximè quòd nepos erat Domini Richardi de Aniballis sancti Angeli Diaconi Cardinalis, cujus industria penè in urbe sibi vendicaverat inter omnes nobiles primatiam. Luxuriabat excessibus, & ex avunculi potentia sumpto vigore vitam agebat protinus dissolutam. Hunc autem Manfredus, qui eum audierat fore præsumptuosum pariter & audacem, postquam multos de urbe nobiles pro interficiendis dictis nuntiis Corradini ad ampla præmia invitarat, ex-

citavit contra eosdem nuntios pollicitatione solemni magna munera offerendo. Memoratis ergo nuntiis versùs Anagniam ad Dominum Alexandrum prosequentibus iter suum, prælibatus Raulus inter castrum Molariæ & silvam Algiari, quorum tenementa & districtus dicti Domini Richardi & nullius alterius existebant, eosdem nuntios invasione subita intercepit inermes, quibus aliàs Romæ spoponderat liberaliter auxilium personale. Croccus ergo improviso Rauli gladio periit, & Bonscianus fuit letaliter vulneratus. Sicque factum Corradini cum Ecclesia nuntiorum impedimento suspensum, deficientibus tractatoribus & internuntiis, ulteriùs non processit. Raulus adhuc maleficus, qui sub tempore pacis dictis nobilibus Alemannis cladem tantæ crudelitatis intulerat, ad recipiendum pretium sanguinis versùs Manfredum diffugio continuato perrexit. Cui Manfredus in remunerationem ejus quod sub suorum egerat audenter obedientia mandatorum comitatum tradidit Catacensem. Sed nec ipsum nec alios quos ad comitatuum excellentiam evocaverat potuit per vexillum, ut moris est, de ipsis comitatibus investire, cùm nondum unctionem & coronam recepisset. Indicit ergo diem coronationis suæ, quam apud civitatem Panormitanam Regum Siciliæ sequens vestigia promulgaverat celebrandam. Ad cujus tantæ celebritatis honorem non solùm nobiles, sed Archiepiscopos & Episcopos, aliosque Prælatos, & viros famosos è regno jussit die ac loco præfixis absque ullo excusationis suffugio congregari. Demum adveniente die coronationis indictæ magnates omnes apud Panormum cum Manfredo unanimes convenerunt. Sed de Prælatis quidam promptè, minùs tamen providè, ad coronationem prædictam maturis gressibus properarunt, alii præ-

tensa excusationis causa in propriis Ecclesiis substiterunt. Nonnulli verò iter veniendi Panormum continuaverunt usque Messanam, qui aut lentè aut pedetentim pergebant ut fieret coronatio sine eis, aut in aliquo loco de Sicilia, confingentes se fatigatos in itinere ac defectos, quæsita requie remanebant. Aliqui verò in die coronationis hujusmodi simulabant Panormi alicujus mole discrasiæ se gravatos, ut saltem Missam coronationis & horam unctionis regiæ evitarent. Ac quilibet Prælatus regni secundùm quod magis minùsve conscientiosus erat & devotus Ecclesiæ se solemnitatis illius obsequiis remissiùs aut promptiùs ingerebat. In Ecclesia tandem Panormitana, quam Regum Siciliæ porphyrea & anabastrica monumenta materia & arte pretiosa decorant, in Regem Siciliæ per quosdam Præsules Manfredus inungitur, & per regni Barones assistentes Prælatis regali diademate coronatur. In testimonium autem unctionis & coronationis hujusmodi jussit chirographum confici rhetorico stilo contextum sub sigillis & subscriptionibus Præsulum & Baronum qui solemuitatis illius festiva gaudia fuerant comitati.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

I. DIGNITATIS regiæ celebriter honore suscepto novus Rex partes Apuliæ feliciter repetit. Et cùm ubique per regnum seditio tumultuosa quiesceret, & spes jam probabilis quietis gratæ delitias propinaret, generale colloquium Baronum celebravit, multis ibi per eum decoratis honore militiæ, & nonnullis per investituram vexilli ad comitatus excellentiam sublevatis. Post hæc solemnem curiam apud Fogiam universis citra por-

tum Rosseti nobilibus & locorum nuntiis convocatis indixit; ubi, ad honoris regii clarificanda fastigia, tam de conservatione justitiæ quàm de aliis publici boni compendiis statutis utilibus publicatis, de diversis partibus diversorum generum gaudia festiva conveniunt, ludentium choros & agmina distinctio purpurata lætificat. Quamplures ibi regenerantur honore militiæ, nonnulli magnificantur excellentium fascibus dignitatum. Dies totus solemniter agitur; & post diei cursum flammificis facibus hinc inde lucentibus, ponderosa ceræ coacervata compagine, in agone ludentium convertitur nox in diem. Ne autem quietis & pacis longis laboribus quæsita compendia occasio potentatus exterioris infringeret, Rex Manfredus curas exercituales aggrediens, cum magnifico & præpotenti exercitu versùs regni confinia consilio deliberato procedit. Erat in extremis regni partibus olim Rege Corrado favente civitas Aquilæ in odium Baronum de illa contrata per ipsorum villanos de novo constructa, in qua de diversis castrorum circum adjacentium incolis, non absque quamplurium ex provincialium jactura nobilium & prædictorum Baronum, rusticorum adunata congeries in tantam jam multitudinem populosa concreverat quòd de suarum virium temeritate superbiens se vicinis exhibebat horribilem & dominantis in regno dominio suis operibus indevotam, quin potiùs velut pars universo non congruens generalibus regni statutis reputabat indecens colla submittere, & singulares sibi vivendi formulas conficere præsumebat. Sperabat enim in præsumptæ libertatis statu contra eorum dominos apostolicæ sedis auxilio confoveri. Et ideo contra Manfredum etiam post suæ coronationis tempora pertinax in rebellione jam facta, sub velamine devotionis Ecclesiæ Re-

gi parere contumaciter contemnebat. Ad rusticorum inquam domandam proterviam & per hæc restituenda læsis quampluribus jura sua Manfredus victoriosus accingitur. Sed antè quàm civitatis mœnibus ejus se vicinaret exercitus, tanquam populorum difformibus erecta particulis maceria ruinosa dispergitur, & dum volare super vicinos nititur, aquila plumis nudata solo deprimitur, universis habitatoribus, quibus tutelæ veniam in personis & rebus clementia regalis indulsit, subitò vacuata deseritur, & quæ dudum plena populo stare nesciebat, in combustionem & cibum ignis illico tradita sola sedet. Ea sic itaque redacta in nihilum, Rex Manfredus in Apuliam exercitu dissoluto revertitur, ut membra bellicis fatigata laboribus quietis gratæ dulcedine placidisque solatiis restauraret.

II. Interea Regis Manfredi animum imperialis sanguinis fastigiis conjunctum & à primis naturæ vestibulis assuefactum desiderare magnalia, de remotis partibus honoris & gloriæ cupido sollicitat, aut semper plus appetens noxius appetitus quo humana quies atteritur, & bonum libertatis pulcherrimæ sugillatur, inducit eum ut plura cupiat quo plus habet. Nam cùm posset ejus affectibus tam nobilis regni blandiri possessio & copiosa tantarum rerum opulentia delectare, ad curas negotiorum Italiæ, ubi quondam dignitatis paternæ præfulsit auctoritas, mentis suæ dirigit intellectum. Qui utinam terras Ecclesiæ non vexasset. Extendit enim potentiæ suæ robur ad Ligures, fimbrias dilatat ad Tuscos, & vicinitate suarum virium miserabiles concutit Marchianos. Per universas namque provincias de antiqua & erronea consuetudine à temporibus Frederici votis hominum divisis in partes, remanserat in Liguria Ubertus Marchio Pala-

vicinus, vir utique prudens & nobilis, quamquam Gebellinus & partis Ecclesiæ persecutor. Qui propter fidem imperialem & sua servitia Cæsari quondam impensa de Frederici munificentia beneficia multa receperat, & Augusti quoad vixit ac posterorum suorum honorem prompta cordis affectione zelabat. Remanserat etiam in Tuscia pars Gebellinorum, & civitas Senensis præcipuè, quæ cum tempore senescens Gebellinitatis in fide semper erga Imperatorem & heredes suos in servitiis innumeris & devota manebat, ac è contrario sedi apostolicæ indevota. Erat quoque in Marchia Anconitana partium obstinata dissensio, quæ, dum hæc unum, illa verò aliud appetunt, inter se rediviva semper altercatione concertant. Ab istarum itaque regionum partibus tam ob fidem imperii quam erga Fredericum habuisse prætendunt, tam ad ultionem injuriarum quam de suorum hostium depressione concipiunt, Rex Manfredus instanter requiritur. Offertur sibi per nutios eorum antiqua devotio, & vires auxiliares ipsius ad regionum earundem regimina postulantur. Favet iis inter diversa consilia Regis affectus, ut successorem se paternæ dilectionis exhibeat, & ne oblatæ sibi victoriæ gloriam negligenter abnuere videatur, ad provincias ipsas vires suas porrigit in suorum subsidia devotorum. Habita itaque deliberatione consilii prædictum Marchionem Palavicinum in Lombardia Capitaneum & magistrum Gebellinorum statuit, Jordanum de Anglano consanguineum suum, cui comitatum sancti Severini concesserat exulante Rogerio Comite comitatus ejusdem, transmisit in Tusciam, Percivallum de Oria affinem & familiarem suum in Marchiam, generales loco sui vicarios destinavit, deputata eorum cuilibet equitum quantitate non modica, quibus stipendia menf-

trua providit assiduè de ærarii sui sumptibus eroganda. Sub horumque vicariorum manibus & arduis præfecturis cœpit continuè Regis honor augeri & Ecclesiæ injuria crescere ac Guelforum depressio augmentari. Crescebat etiam favor Gebellinorum & Regis ejusdem, & rumores prosperi successivè de singulis cor Regis exhilarant & potentiæ suæ vires illustrant. In Marchia namque cùm sola civitas Camerinensis aliquandiu dicto Percivallo parere pertinaciter recusasset, ac per districtum suum, quem collium & montium inaccessibilium quoad equites prærupta convallant, Theutonicorum & Sarracenorum agmina frequenter currentia per contratam graviter offendisset, tandem assumpto in Potestatem quodam nobili de Camerinensi districtu nomine Raynerio Hugolini, qui à popularibus civitatis ejusdem dispendiosè aliquando fuerat provocatus, Percivallum prædictum cum tota ejus militia civitas ipsa recepit. Verùm incolæ, qui & Percivallum & nobiles vicinos offensis innumeris non expaverant lacessere, illico post Theutonicorum ingressum plurimùm expavescere, forsitan meritò, inceperunt. Et dum vicarius Regis prædictus quosdam archipopulares & protorusticos ad se vocari fecisset, qui tam deformis populi ductores & capita dicebantur, modò ille, modò alius, secundùm quod credebat se quis magis dictum vicarium & vicinos nobiles offendisse, interdum omnes subita fuga succincti velut examen apum quod valido vento dispergitur, civitate relicta, per diversa convallium loca & montium cacumina disperguntur. Hanc itaque civitatem, quam solam populus suus sponte dimiserat, dictus Percivallus redegit protinus in ruinam. In Lombardia quoque sub Marchione prædicto magnificentiæ regiæ viribus ampliatis, sic ejus

ejus arrisit prospera fortuna successibus quòd in eodem quoque loco ubi olim Parmensis audacia imperialia castra combusserat ignominiosæ cladis exitia amissione carrocii & expugnationisvalidæ pertulit detrimenta. Sicque vindicata viriliter injuria patris à filio, locus ille, qui nominatus nominatione victoriæ visus fuerat Imperatori illusisse, grandem Regi prædicto de hostibus gloriam victoriæ reservavit. Civitates etiam Cremonæ, Papiæ, Placentiæ, Brixiæ, & plures aliæ sibi reverenter obediunt, & nomen ejus ultra quàm credi posset triumphabiliter exaltatur.

Sub ejus quoque felicitate fortunæ cecidit pestifer ille tyrannus Azolinus de Romangia quolibet severo crudelior; cujus impietatis rigidæ, severitatis horridæ, & vindictæ inexorabilis acta describere longum per se tempus exigerent, magnique complexu voluminis indigerent. Sed primò necessarium videretur pectus armare duritia quàm rebus tam asperis, tam nephandis, tam tristibus apponere calamum vel auditorum animos applicare. Hic siquidem ab Imperatore Frederico ditatus & promotus in altum, cujus nutibus tota ferè Teruisina Marchia serviebat, post infinita & inusitata pœnarum genera, quorum narrari potest à posteris nephandæ crudelitatis exemplum, jam Regi Manfredo devotionis solitæ signa non exhibens, dum collectis undique viribus contra Mediolanenses infestis auguriis processisset, prope castrum Cassani in manibus Cremonensium, qui sub præsidatu Marchionis prædicti in auxilium Mediolanensium potenter exierant, prope flumen Adæ miserabiliter incidit; ubi lethaliter vulneratus, ductusque Sintinum, morti succubuit, qui raptor fuerat vitæ meliorum. III.

Odor. Raynald. ann. 1259. §. 2.

Eodem quoque tempore civitas Florentina cum IV.

P

parte Guelforum non minùs vitiis quàm delitiis affluens sic superstitiosa jam cœperat tam multitudine populi quàm superbiæ vento plena consurgere quòd de suarum virium temeritate lasciviens,& de elati spiritus superfluitate confidens, dedignabatur parificare se aliis, quæ suppeditare sibi vicinos multipliciter satagebat; ac in tantam jam venerat arrogantiæ inflaturam quòd aliquando cogitare non metuit usque ad Romanos sui alas extendere potentatus. Hujusmodi itaque temeritas actibus fastuosis incumbens, nec futuros eventus debita circumspectione præmeditans, suis omnibus fautorum suorum & complicum viribus congregatis ab obsidionem civitatis Senensis, commorante ibi memorato Jordano Comite cum stipiendiariis regiis, viriliter attentavit accedere ; factaque ibi mora quam voluit, & usque ad civitatis ejusdem mœnia depopulatione peracta, exercitu dissoluto recessit. Cùmque post modicum temporis Florentinorum ipsorum audacia cum Lucensibus, Placentinis, Pistoriensibus , & aliis complicibus suis de Tuscia, quos in contumaciam suam non minùs coactos quàm spontaneos attrahebant, cum exercitu numeroso, qui armatorum triginta millia continebat, ad muniendum castrum Montis Alcini victualibus & aliis opportunis, quod Florentini prædicti tunc in eorum potestate tenebant, per territorium Senarum prope civitatem eandem ad duo ferè milliaria superbè procederent, qui per aliam tutiorem viam illuc indemnes accedere potuissent, contigit quòd dictus Jordanus Comes cum Theutonicis secum morantibus & Senensibus populis cum parte Gebellinorum sub felicibus Regis auspiciis in Florentinos eosdem & fautores eorum viriliter irruentes, ipsos commissis hinc inde conflictibus expugnarunt. In cujus expugnationis even-

tu ſic Florentinorum potentia deſlorata commarcuit quòd ex eis eorumque complicibus, præter occiſos gladio, quorum non fuit numerus præfinitus, captivorum ſolummodo quos Senenſis carcer aſtrinxit quindecim millia & ultra numero computantur. Verſi ſunt inquam ſubitò dies ſolemnitatis ejus in luctum, ſallia in opprobrium, honores in nihilum, ita quòd eorum ſuperſtitione depoſita, qui dum in honore eſſent non intellexerunt, jam ſumentes à vexationis jaculis intellectum, Regis Manfredi mandata devotè ſuſcipiunt, & reverenter ejuſdem placitis colla ſubmittunt. Igitur Regina Beatrice naturæ debitum perſolvente, Rex cum Vatazo viro in Græcia magnificò & illuſtri habens de parentela tractatum, tandem M. filiam ejuſdem Vatazi, puellam jam nubilem, in annis tamen juvenilibus, illuſtrem & prudentem, ſuis nuptiis adoptavit, ex qua poſtmodum filios ſuſcepit & filias, ex quibus non niſi una filia ſupervixit.

Medio autem tempore, papali curia morante Viterbii, ibique Alexandro IV. ſummo Pontifice viam univerſæ carnis ingreſſo, dum collegium Cardinalium, in quibus velut in montibus ſanctis Eccleſiæ fundamenta ſunt poſita, habere inciperet de paſtoris ſubſtitutione tractatum, & inter eos vertiginis ſpiritu & invidiæ livore ſuffuſo, non poſſent in aliquem de gremio convenire, contigit quòd Hieroſolymitanus Patriarcha natione Burgundus, qui tunc ad curiam ipſam pro Eccleſiæ ſuæ negotiis promovendis acceſſerat, concorditer eſt ad apicem apoſtolicæ dignitatis aſſumptus. Sic itaque factus de petitore conceſſor, de ſubdito dominus, de filio pater patrum, Urbanus IV. meruit nominari. Cùmque poſt hæc viderentur jam omnia regni negotia ſic firmiter, ſic tutè diſpoſita

ut ex nullo videretur angulo dubitandum, Rex Manfredus deliberato consilio Fredericum Malecta Comitem Bizani consanguineum suum cum quadam quantitate Theutonicorum ad gubernandam Siciliam Capitaneum destinavit. Qui dum in partibus illis contingentià quælibet prudenter & cautè disponeret, dum se versùs montem Trapani, de cujus habitatoribus aliquid fortè contrarium fama referente præsenserat, se cum sua familia vicinaret ac moraretur in campis, accidit quòd descendentibus ad eundem Comitem decem viris ex incolis dictæ terræ, qui pro parte totius universitatis verba devotionis offerrent, cùm ex longa sed vitiosa potiùs consuetudine nullius officialis ad montem incolæ libenter paterentur ascensum, dum Comes ipse familiaris inimicitiæ, qua nulla pestis occurrit proclivior ad nocendum, præcavere non posset insidias, quidam insolens juvenis nomine Goblus natione Theutonicus, qui Marchionis Bertholdi familiaris & intimus quondam fuerat, quem etiam dictus Comes Comestabulum Theutonicorum ex confidentia multa præfecerat, & in familiarium negotiorum consortium admittebat, nacta tunc forsitan occasione qua posset præconceptum malitiæ suæ votum in actum producere, proditoria temeritate tentatus, cum quibusdam sequacibus suis in eundem Comitem sub tentorii velo jacentem inopinatus insiliit, ipsumque temerarius interemit. De cujus obitu cùm rumor veniret in publicum, homicida prædictus & complices ejus ad montis ejusdem excelsa unà cum prædictis nuntiis confugerunt, frustra credentes inter eos commissi facinoris invenire tutelam. Sicque montis ejusdem habitatoribus in suæ rebellionis malignitate detectis, ne scelus hujusmodi remaneret inultum, & montis perversitas in sua ulteriùs obstinatione persiste-

ret, Fredericus Lancea Comes Squillacii, qui insolentias regionis ejusdem ab experto calcare prænoverat, de beneplacito Regis Manfredi Capitaneus in Sicilia subrogatur. Qui sub fortuna regia viribus instauratis perurgens obsidionis instantia superbiam montis ejusdem per extremæ desolationis & exhabitationis excidium potenter edomuit, & ejusdem facinoris patrarores cruenti supplicii qua dignè meruerant cæde confecit. De cujus minutis incolis jussit Rex construi civitatem novam quæ vocatur regalis prope Bonreparium, in loco videlicet ubi veteris civitatis Apollinis vestigia subsistebant.

Jam tota Sicilia in pacis reformatione disposita, & Frederico prædicto domesticis restituto solatiis, Richardus Filaugerius Comes Marsici ad ejusdem regimen deliberatione provida destinatur. Dum autem Richardus idem officii sui partes impleret, & Rex Manfredus in Apulia feliciter ageret, credens sic omnia in regno disposita ut ex nulla timeri posset parte turbatio, novus & inopinatus in Siciliæ partibus ignaviæ morbus invaluit & erroris mirabilis stupor irrepsit. Dum enim quidam pauper Johannes de Cocleria nomine infimæ conditionis & abjectæ fortunæ mole depressus ac inopiæ squalore mendicus per civitates & loca cotidianum sibi victum ostiatim quærendo discurreret, ex concordibus forsitan vultus & ætatis indiciis, per quæ fallax opinio in uno eodemque subjecto diversas plerunque formas similitudinis conformitate mentitur, audivit pauper ab aliquibus obviis qui eleemosynarum sibi suffragia porrigebant Imperatori præmortuo se fore consimilem. Cùmque videret in opinantium ore verba crebrescere, mutavit repentè mendicus animum, & quæsitus eatenus super iis responsa negativa dissimulabat, VI.

quatenus verisimilia faciat quæ dicuntur. Oritur ex ejus negatione suspicio; & cùm nitatur hominis appetitus in vetitum, eo magis insurgebat de ipsius ambiguitate credulitas quo major inficientia tradebatur. Jam rumor de verbo in verbum mutua confabulatione dispergitur. Discedit pauper à frequentia hominum, barbam nutrit; & ut concepta liberiùs valeat fabricare mendacia, loca petit vicina silvestria, firmat in monte Gibellio, qui aliàs Æthna dicitur, dolosè latibulum, & imperiales sibi mores & verba quæ veritas & natura non dabant adultera fictione componit. Jam falsus per Siciliam rumor increbuit. Visitatur pauper in tenebris, honoratur plus solito, & rerum victualium, quarum pressus priùs inopia fuerat, copiosa per aliquos opportunitate fulcitur. Adhuc plures exules, quos perfidiæ aut invidiæ macula de naturalibus terris vicinis ejecerat & in nemoribus latitabant, præcipuè Bartholomæus de Mileto & fratres nepotes quondam veteris Petri de Calabria Comitis apud Tarracenam perempti, ad simulachrum audito rumore concurrunt, falsitatis causas explorant, quæsitas inveniunt, & velut qui fluminis impetu prolabentes apprehensa jam stipula turgidas credunt undas evadere, adhæserunt exules monstro mendacii, & quas solus fortè formare non poterat, jam plures sibi additi fomites falsas roborant fictiones. Ecce jam plenum falsitate portentum Imperatorem intitulant, colunt ut præsidem, reverentur ut dominum. Et ut securiora dent incrementa principiis, excelsum montem Conturbii, quem olim exhabitari fecerat Imperator, pro tutiori statione conscendunt; per quos imperiali sigillo vitiosè conflato sub consueto titulo Cæsaris litteras per diversas partes Imperator phantasticus subdola formatione conscribit. Et ut faciliùs au-

dlentium animos novæ fraudis adinventione corrumperet, indicat se olim habitu simulato ac divinæ permissionis oraculo ad expianda delicta nonum annum in peregrinationis exercitio peregisse. Sicque plures regni civitates & nobiles de fidelitate sollicitat, & sub isto colore requirere non formidat. Hoc quippe fraudis & erroris involucro multa confinia loca Siciliæ callida machinatione corrupta; necnon & remota etiam, nisi necessarium prævenisset antidotum, surrepens morbus occiduus infecisset, cùm essent quamplures quos ad credendum simplicitas incauta conduceret, & nonnulli quos, si super hoc scientia certa non falleret, simulantes se tamen nescire quod noverant, ad aliorum sequelam violatæ jam mentis contra Regem Manfredum invidia trahebantur. Cùmque super hoc Regis ejusdem aures relatio inopinata perstreperet, & ad longinquas quoque provincias figmenti hujus novitas pervenisset, ad subvertendum idolum & cultores ejus dictus Richardus præses provinciæ instanter accingitur. Et cùm ad summitatem montis ipsius, in quo jam Domini Regis æmulorum quantitas convenerat, tum ex præruptis saxosæ rupis objectibus, tum ex viarum artissimis intervallis, sibi & suis impugnare volentibus facilis non pateret ascensus, obsidionem ibi satis urgente exercitu congregato firmavit, inclusosque coërcuit, ut nulla victualium quantitas quibus miseram regere possent inediam ad eos more solito portaretur. Cùm autem nimis esset inelegans, nec etiam regia fortuna permitteret ut ejusdem rei perniciosa temeritas, quæ turpe nimis habuerat in sui fictione principium, non absque multorum jactura concresceret, & horridi figmenti convicium ulteriùs transfire inultum, contigit quòd dum senex ille versutus apud Castrum Johannis

cum suorum comitiva sequacium per devia fruteta procederet & honorificè fuisset à civibus in illa vana pompositate receptus, dum frustra crederet suis tempus inantea servire versutiis, dictus R. Comes illuc cum suorum equitum comitiva procedens, conspirantibus contra senem prædictum postmodum tanto errore detecto Guillelmo Malacocina & Andrea de Bartholucio habitatoribus castri prædicti, conflictu cum hostibus violento præhabito, præfatos senem & complices ejus ibidem prudenter & strenuè intercipi procuravit. De quorum captionis eventu Rege consulto, licet in spectaculum servari res opprobriosa potuerit, quia tamen dignus non erat vitæ residuo, qui tam sibi quàm pluribus aliis fuerat causa mortis, pœnas dignè sortitur quas justè meruerat, furcarum patibulo suspensus interiit; & sequaces suos numero undecim, quos figmenti participes & officiorum jam assumptorum collegas habuerat, ejusdem supplicii non dimisit expertes. Ad hæc Rex Manfredus firmato consilio post supplicia prædictorum partes Siciliæ personaliter repetit ut provinciam ipsam ab omni contagio perversitatis expurget & in statu pacifico suæ præsentiæ visitatione confoveat. Veniensque Messanam, ante omnia prædictos Guillelmum & Andream, quorum proditione Imperator ille phantasticus & sui collegæ capti fuerant in conflictu, ultimo supplicio, priùs oculis evulsis, affecit, ut eis de cætero perniciosæ proditionis innata nequitia, quam ferè uno eodemque tempore tam contra honorem Regis quàm postea contra præfatum senem miserabilem exercuerant, non prosit ad tutamina personarum. Apud Panormum verò multa Regi & varia donaria præsentantur. Sed in uno exenio potissimè hominum admirabantur obtutus. Henricus enim de Albe vir dives agri & auri ac

abundans pecoribus in villa Mazariæ centum mulos singulos singulis insidentibus centum sclavis in suæ naturalis nigredinis deformitate formosis Regi Manfredo pro devotionis & fidelitatis pignore præsentavit. Sic igitur regione ipsa disposita, Rex Manfredus ad consueta solatia lacus pensulis, quæ copiosa venationis habilitas, originalium fontium amœna frigiditas & placidi situs numerosa temperies grata reddunt, æstate succedente revertitur. Dumque toto jam regno in statu tranquillo salubriter stabilito Regem ipsum de remotis & exteris ad quæ jam suarum virium habenas extenderat studium debitæ curiositatis accingeret, parentelam cum Rege Arragonum tractatus hinc inde per nuntios præmisso primordio contrahit, & filiam suam Constantiam, quam ex prima consorte sua Beatrice filia quondam A. Comitis Sabaudiæ Imperatore vivente susceperat, Domino Petro primogenito dicti Regis Arragonum solemni matrimonio copulavit.

Post hæc Rex ipse Manfredus, quem papalis curia, etsi per se calcare non valeat, diffamare propter ingratitudinem meritò lacessita contendit, cui etiam temporis & rerum eventus invidiæ zelum cotidie sua crescente felicitate concumulant, citatur ad præsentiam Domini Urbani summi Pontificis, citatione videlicet publica, ut est moris, quæ alloquio tantùm papalis prædicationis expressa & inscripta cedulis affixis præ foribus majoris Ecclesiæ Urbis veteris, ubi tunc sedes apostolica morabatur, ad eundem Regem nec litterarum nec nuntii alicujus, cùm non consueverit hoc Ecclesia facere, visione pervenit. Cùmque nollet Rex ipse super hoc de arrogantiæ seu contumaciæ culpa videri culpabilis, quem papalis curia temporis opportunitate captata satagebat in quantum pote- VII.

rat & debebat infamiæ nota laceſſere, nuntios ſuos ad ſedem apoſtolicam conſulta deliberatione præmiſit. Et quia jam Eccleſia tractatum cum Karolo filio Regis Franciæ Provinciæ Comite per idoneos nuntios de concedendo ſibi regnum habuerat, Rex Manfredus credens præcavere futura, præter mores quibus erat imbutus ab ipſis cunabulis, ſe humilians, per nominatos nuntios fecit ſummo Pontifici ſupplicari ut ex quo ipſe Rex perſonaliter jubebatur accedere, de ſecuro & habili loco, in quo cum familia & gente ſua poſſet commodè juxta ſuæ dignitatis exigentiam hoſpitari, benignè ſibi pater apoſtolicus provideret. Paravit tamen ſe Rex ipſe magnificè, ut, ſi expediret, non ſolùm curiales, ſed & poſſet terrigenas caſu accidente viribus ſuperare ac uſque ad regni confinia cum maxima equitum & peditum comitiva proceſſit, conſiderans quòd ex vicinitate locorum poterat habiliùs ſuper iis nuntiorum expectare reſponſa & ibi de ulteriori proceſſu vel mora quod ſibi meliùs expediret conſulta deliberatione penſare. Cùmque non deceret Eccleſiam quæ proceſſerant de labiis ſummi Pontificis irritare, qui cum Comite Provinciæ conceſſionis regni oblatione præambula, cui ſuper hoc non expediebat illudi, ſolemnem per nuntios faciebat teneri tractatum, excuſantium prædictorum allegationes pro Rege idem ſummus Pontifex non admiſit: quia dum Eccleſia voluit, idemque Rex potuit ſedi ſe reconciliare prædictæ, conſilio & ſuaſione quorundam Comitum, quos ipſe Rex bonis nobilium exulum non jure præfecerat, quibus exulibus reſtitui per Regem integrè bona ſua inter alia pacta Eccleſia contendebat, Rex prædictus ipſius Eccleſiæ beneplacita parvi pendit, nec annuit poſtulatis. Cùm autem poſtmodum viſus eſt velle ſub exquiſitis cum omni diligentia pactis ſe-

dis ejusdem se subjicere voluntati, ejus humilitatem tunc repudiavit Ecclesia, quæ se sibi tempore congruo humiliare nequivit. Sicque ipsum Regem, quem novorum Comitum reddebant non recta consilia pertinacem, tanquam jam præscitum ad malum summus Pontifex excommunicationis vinculo innodavit. Cùm igitur super hoc nihil sibi devotio simulata prodesset, quem de cætero nitebatur Ecclesia omni qua posset impugnatione concutere, repetit Rex fremens contra Ecclesiam partes Apuliæ sic ligatus, ut circa alia negotiorum suorum studia & circa demoliendam Ecclesiam curas liberiùs suæ provisionis impendat.

Interea Corradus de Antiochia Comes Albæ Regis ejusdem nepos, qui pro Capitaneo fuerat destinatus in Marchiam, dum ad castrum Monticuli habitatorum copia & montuosi situs eminentia communitum sub confidentia solita & spe securitatis accederet, fuit ibi cum aliquibus familiaribus suis per incolas loci subita & inopinata proditione detentus. In cujus subsidium ad mandatum Regis magno & præpotenti exercitu congregato Galvanus Lancea Comes Principatus & Fundorum Marescallus regni socer ejusdem Corradi, cujus cordis intrinseca gravi captio violenta pupugerat, pluribus aliis Comitibus aliisque regni nobilibus sociatus accessit; sicque per eum juxta castrum Monticuli exercitus obsidione firmata, & ingenti depopulatione peracta, ibique protracta mora usque ad urgentissimam hyemis instantiam tempestatis, dimissa quoque in Macerata magna equitum comitiva ad impugnationem Monticuli, & captis quampluribus ipsius regionis nobilibus, qui factionis ejusdem capita dicebantur, dictus Galvanus & alii de comitiva sua soluto exercitu, cùm castrum ipsum habere non posset, nec mora sua esset ulteriùs VIII.

utilis, revertuntur. Contigit autem quòd idem Corradus, quem proditores sui ante depopulationis illatæ dispendia liberare noluerunt, procurante solertia quorundam devotorum suorum qui circa ejus custodiam assistebant, somno vinoque sepultis excubiis, intempestæ noctis silentio de carcere compeditus evasit, & fugientibus custodibus cum eodem, restitutus est beneficio libertatis.

IX. Dum Regi prædicto undique ad votum universa succederent, Dominus Richardus de Aniballis sancti Angeli Diaconus Cardinalis, natione Romanus, nescitur quo spiritu ductus, quave intentione commotus, indefessæ sollicitudinis studio vehementer instabat quòd prædictus Comes Provinciæ negotium regni contra Regem eundem mora qualibet aggrederetur abjecta, offerens magna de suo peculio pro expensis dicti Comitis mutuare. Sed in eo mirari quis poterat quòd cùm tota domus Cardinalis ejusdem nomen Gebellinitatis ab antiquo sortita Regi jamdicto studeret sincera devotione placere, idem Cardinalis, quo animo discute lector, adventum præfati Comitis procurabat, quasi suorum venaretur excidia, quorum periculosa dispendia sub ejusdem Comitis secutura felicitate prævidere poterat & tueri. Hujus igitur Cardinalis pars Guelfa urbis sedulum vel potiùs subdolum præsentiens studium, exclusis pro majori parte nobilibus Gebellinis ab urbe, de quorum numero quidam ipsius Cardinalis nepotes erant, procuraverunt sagaciter & providè ordinarunt quòd populus urbis, quem ex hoc in illud exilis quandoque versat occasio, quique frequenter consuevit illius modicæ libertatis reliquias quas in eum proscripta veterum transfudit auctoritas prodigaliter ac impudicè distrahere, prædictum Provinciæ Comitem elegerunt in Dominum, & Senatorem urbis

perpetuum vocarunt. Hunc etiam Comitem dictus summus Pontifex, ut habeat operarium per quem temporalem gladium seculariter exerceat, non absque Gebellinorum jactura multorum Regi prædicto procurabat opponere. Nam frequenter eidem Comiti regni Siciliæ, cujus ipse Rex pacifica, licèt violenta, possessione gaudebat, certas per apostolica scripta & per nuntios etiam direxerat sponsiones.

Interea dictus Karolus ad requisitionem & instantiam Guelforum de urbe vicarium suum misit ad regnum Romanorum, qui civitatem ipsam in ipsius absentia regat & dirigat loco sui. Cùm autem vicarius ipse rector in urbe præesset, & nobilibus quos ejectos invenerat civitatis ipsius introitum denegaret, nobilis quidam urbis Proconsul nomine Petrus de Vico, qui in maritimæ partibus urbi vicinis & alibi per districtum urbis plura castra tenebat, & qui Regi Manfredo jamdudum ex zelo devotionis inhæserat, guerram cum quibusdam adversariis suis & specialiter cum Pandulfo Comite Anguillariæ cotidianis conflictibus agitabat. Hujus autem Comitis pater multùm fuerat Imperatori Frederico devotus quandiu Fredericus ipse in Ecclesiæ gratia perstitit. Sed hic Comes paternam devotionem non sequens quoad Regis prædicti personam, quem Frederici legitimum non reputabat heredem, cùm adhuc Corradinus Corradi filius superesset, Regi Manfredo præfato consideratione sedis apostolicæ, cui totus adhærebat, signa reverentiæ, per quæ fortè multa vitasset dispendia, non ostendit. Illis quoque diebus Jordanus Comes prædictus exercebat in Marchia pro parte Regis officium vicariæ, & cum agminibus illorum Theutonicorum qui secum contra Florentinos fuerant conflictu habito, cum eisdem potenter in obsidione Monticuli existebat. Post paucos autem dies ad X.

petitionem & instantiam dicti Petri provisio regia; quæ Gebellinis proximis & remotis opportuna de more porrigere suffragia nitebatur, quandam quantitatem ex prædictis Theutonicis sub capitanea cujusdam nobilis familiaris sui nomine Francisci Trigisii in ejusdem Petri subsidium destinavit. Cùm autem dictus Petrus tam gentis illius auxilio quàm partis suæ favore confisus contra hostes suos animum roboraffet, civitatem Sutrinam, cujus idem Petrus majorem partem tunc habere videbatur, violenter intravit, eamque dominio regio subdidit, ac fidelitatis fecit juramenta præstare. Medio autem tempore Rex, intermissis solatiis suis, profectus est in terram Laboris, ut de negotiis spectantibus ad pacificum statum regni, tam de resistendo viriliter Comiti Provinciæ, si veniendi per eum, sicut communis tenebat opinio, casus incideret, quàm de obstando quibuslibet aliis qui regni vellent turbare quietem deliberationis debitæ consilio provideret. Generali ergo propterea apud Neapolim celebrato colloquio Comitum & Baronum aliorumque regni nobilium animos & vires examinat, & servitium quod eorum quilibet debet & posset singulari discussione requirit, jam notatis singulorum servitiis & feudatariis omnibus apparatis, provida deliberatione statuit ut Percivallus de Oria familiaris & affinis Regis ad partes Ducatus cum magna militum & arceriorum quantitate procedat.

Infrà pag. 141. vocatur Trevisius.

XI. Interea vicarius urbis populusque Romanus pro recuperanda civitate Sutrina communiter exeunt, & cùm civitatis mœnibus appropinquant, priùs quàm ad impugnationis & conflictus signa perveniant, civitatem ipsam propter subitam revolutionem civium, quorum magna pars erat Guelfa, quæ statim Romanis venientibus contra Theutonicos vi-

goris sumpsit audaciam, ad manus suas & urbis dominium revocarunt, exeuntibus exinde per fugæ subsidium dicto Petro & aliis de comitiva sua, qui non potuerunt sic omnes illæsi discedere quin plures ex Theutonicis fuissent equis spoliati & armis, & quin plures ex eis in Sutrinorum manibus remansissent. Deinde castrum Vici, quod est ejusdem Petri; ad quod Theutonici se receptaverant, cum eodem populus Romanus urgenti obsidione circumdat, & machinis, caveis, aliisque impugnationis modis valida perurget instantia & molestat. Cùmque Rege Manfredo morante Capuæ, hæc omnia ad ipsius notitiam pervenissent, mutato consilio in continenti memoratum Percevallum de Oria, qui versùs partes Ducatus gressus direxerat cum exercitu suo versùs Vicum in ejusdem Petri subsidium, properè mandavit accedere, aliumque exercitum in regni confinibus sub magistratu Richardi Philangerii jussit illico congregari, ut Romanis eisdem, nisi à prædicti castri obsidione discederent, omni quo posset hinc inde conamine detrimenta continuæ offensionis inferrent. Romani longa obsidione fatigati, cùm recolligendarum frugum tempus instaret, audito quòd tantus succursus Petro de Vico contra eos ibat, & Rex Manfredus etiam famosè dicebatur iturus, usi consilio saniori, ab ejusdem castri obsidione discedunt & in urbem properè revertùntur. Eorum etiam obstinata dissensio & natura semper invicem ad dissentiendum proclivior, quam nunquam commune commodum sed proprium duntaxat affectat, dum jam expugnationis & devictionis ipsius castri hora procul dubio appropinquat, dum obsidentium animi nutare incipiunt & jam in vota contraria dividi, rei tam viriliter cœptæ ac votivæ depopulationi paratæ non expectat eventum. Vicarius enim urbis, Jacobus videlicet de Gancel-

mo, de Provincia oriundus, qui secundus Karoli Comitis prædicti vicarius erat, primo, qui Gallicus fuerat, naturæ debitum persolvente, præsentiens vota exercitus multa divisione nutare & majoris partis ejusdem exercitus animos, qui ad finalem dicti Petri exterminium nolebant operam exhibere, sic intra se perpendens quadam seditiosa machinatione corruptos quòd Theutonicis infra septa burgi ejusdem castri morantibus de se videbantur victoriam polliceri, generalem populo dedit licentiam discedendi, & reditum militaribus catervis indulsit. Sicque hujusmodi exercitu dissoluto & obsidione dimissa, versùs urbem populus & vicarius revertuntur.

XII. Deinde cùm de mandato Regis Percivallus præfatus gressus suos versùs partes Ducatus repeteret ut loca fidelium Romanæ Ecclesiæ totis inquietaret viribus & sedem apostolicam usque ad extremos suæ receptationis angulos molestaret, & apostolatu etiam juxta posse privaret eandem, contigit illo volente qui tandem depressit obstinatam superbiæ malitiam Pharaonis quòd dum ad cujusdam aquæ transitum quæ dicitur Nigra de Narco prope castrum Arronis tempore invadoso idem Percivallus cum infinito exercitu Sarracenorum & peditum & equitum excommunicatorum concitatus contra ipsam Ecclesiam pervenisset, in ipsius aquæ passagio, quam multitudo gentis præviæ illæsa transierat, cujusdam præcedentis alterius relevare volens occasum, fuit ipse solus equo succumbente submersus, substituto sibi statim in capitaneæ officio juxta Regis edictum Johanne de Manerio ut eidem exercitui præsideret. Sed cùm ex inopinato casu dicti Percivalli totus exercitus fuerit terrore concussus, & Dominus Urbanus multos fideles quos apud Urbem veterem cruce signaverat contra Percivallum

rivallum & exercitum supradictos illuc obviam jam misisset, dictus Johannes & exercitus hujusmodi ausi non fuerunt ultra procedere. Unde tunc Ecclesia novo quasi jubilo concinit: *Cantemus Domino. Gloriosè enim honorificatus est, & ascensorem projecit in amnem.* Post modicum verò temporis Rege in Apuliam redeunte, dum Petrus de Vico & Franciscus Trevisius cum stipendiariis regiis in quodam castro ipsius P. quod Blevium dicitur morarentur, & Comes Anguillariæ cum comitiva sua & copiosa equitum multitudine Lombardorum, quam Dominus Urbanus summus Pontifex sub magistratu cujusdam Pipionis nomine de Liguria & Vicarius urbis etiam eidem Comiti destinarant, apud castrum Vetrallæ, quod tribus ferè millibus distat à Blevio, pervenisset, dum non possent se hostes præ nimia collium oppositione rectè respicere nec alter in alterum insilire, contigit quod cùm dictus Comes & sui de strenuitate & multitudine confidentes in quædam media plana procederent, memorati Franciscus & Petrus cum Theutonicis secum morantibus, qui pridem ab ipsis hostibus fuerant lacessiti, & ultionis tempus promptis animis expectabant, in eos viriliter irruerunt; conflictuque magno inter eos hinc inde commixto, fugit dictus Pipionus & comitiva sua; relictisque Comite ac Romanis in ipso conflictu, bellum fuit asperrimum, diùque duravit. Tandem prævalentibus Theutonicis, captus est dictus Comes & plures Romani nobiles cum eodem, multis ex suis, quibus maximè Theutonicorum gladius non parcebat, occisis, multisque in æstus ardore & armorum valida oppressione peremptis. Ubi Stephanus Accaricia cives Romanus vexillifer exercitus Comitis, vir inquam in bellorum exercitio strenuus & famosus, interiùs æstuans siti, ut referunt, oppres-

ſus & ſuffocatus interiit, quamquam nihilominus tempus ex multis percuſſionum receptarum concuſſionibus deficere potuiſſet. Cum eodem Stephano nepos ſuus occubuit Palamides nomine, cujus animoſitas tunc maximè claruit, qui in annis juventutis multa ſtrenuitatis induſtria ſe probarat.

XIII. Adhuc memorato vicario Karoli Romæ proſecutionem ſui regiminis agente feliciter, non ſolùm Rex Manfredus ad impediendum adventum ipſius Karoli, ſed & Gebellini de urbe nobiles vigilanter intendunt. Parant ſollicitè undique ſibi bella. Jam per maris excubias multitudo galearum invigilat, & velut pirata æmulus claſſes freta circumeunt numeroſæ. Jam Theutonicorum voluntatis impetus fremeſcit effrænis, & eorum ſigna, velut ex eventu forent futuro victricia, in partibus Tiburtinis prope Cellas citra regni confinia pomposè diſtenta præfulgent. Verùm cùm per Romanam Eccleſiam dicto Karolo ad proſequendum regni negotium eſſet in ipſius regni conceſſione terminus ſtabilitus quo ipſe perſonaliter Romæ deberet adeſſe, Rex prædictus principiis nitens obſtare ſollicitus tam per mare quàm per aridam terram impedire ac omnino præcidere, ſi valeat, ipſius Karoli tentat adventum, ut per lapſum temporis præfiniti Karolus ipſe conceſſionis prædictæ cadat à jure, ac Rex Manfredus poſtea ejuſdem Eccleſiæ, cujus jam eum pœnitebat non paruiſſe mandatis, reconciliare ſe poſſet affectibus. Unde ſub ipſius Regis nomine, eo miniſtrante ſubſidia, Petrus Romanæ Proconſul urbis, qui ſub Gebellinitatis abuſione vocabuli Regis ejuſdem toto conamine favebat honoribus, ab urbe cum quibuſdam nobilibus Gebellinis ejectus condixit & ordinavit cum Gebellinis eiſdem quòd ad impediendum memorati vicarii regimen & Karoli dominium ſubver-

tendum quilibet ex ipsis Gebellinis nobilibus cum equitum comitiva suorum, quibus dictus Rex stipendia ministrarat, urbem certa deberent hora repetere ac subitò subintrare, ea intentione commoniti ut non solùm contra vicarium prædictum, sed contra nobiles Guelfos urbis qui Karoli promovebant excellentiam toto posse captata opportunitate confligerent & collectis eorum viribus offensarent. Sicque apud castrum Cerveteris dictus Petrus quantitatem equitum congregavit; & solus cupiens placendo Regi Manfredo munera prævenire fortunæ, qui potiùs postmodum infortunii calicem prægustavit, versùs urbem continuata nocte festinat, ne fortè sibi mora posset ad imbecillitatem animi computari, promptus & audax, præveniens alios, intrat urbem, domos quas quondam tenebat, quas tunc faciebat vicarius custodiri, in auroræ rutilo animosus aggreditur & invadit. Est enim Romæ locus quem alvei dividentes Tyberini latere circumsepiunt ab utroque, ad quem præstant aditum pontium monumenta conformia. Hic ab antiquo insula Lycaonia nuncupatus absque montuosa eminentia & sine munitione mœnium est per se valde tutus & fortis, ita quòd longo posset tempore ab insultatione quorumlibet defensari. Adhuc autem cùm idem Petrus cum suorum equitum comitiva procederet, præsentitus ab ipsius loci custodibus intra ejusdem loci claustra nequiens se reducere, ut credebat, se & suos citra eundem locum in quadam contrata quæ Piscinula dicitur receptavit, & quasdam domos inibi statim defensoribus muniens, ac viæ communis seu publicæ passus trabium & tabularum oppositione fortificans, credebat ab imminentibus inimicorum incursibus, qui jam accincti contra eum ad veniendum fuerant, se tueri. Cùmque Jacobus de Gau-

celmo vicarius urbis prædictus cum quibusdam Provincialibus, Guelforum terræ non expectato subsidio, ad repellendum dictum P. & gentem suam equis, sicut decebat, communitus & armis accederet, conflictus primordia reportavit adversa. Nam licèt hinc inde Provinciales prædicti ac Gebellini Romani cum dicto P. asperè nimis & fortiter conflixissent, vicarius tamen & ipsi Provinciales bello fracti tanquam viribus impares impelluntur.

XIV. Succurrente Provincialibus per insulam supradictam Domino Johanne de Sabello, qui erat homo securi cordis & animi, honorem Karoli zelans mentis affectione sincera, vicarius & Provinciales resumunt animum contra hostes, & eis ab alia parte illius contratæ resumentibus bellum viriliter, dictus Dominus Johannes ex parte insulæ contra eosdem Gebellinos animosè perurget insultum. Et dum hostes à duabus partibus instantissimo bello perursi se in fugam convertunt, dictus Dominus Johannes versùs personam tantùm dicti Petri se dirigebat, ut idem Petrus posset intercipi & teneri. Fugit ergo extra urbem dictus Petrus & ad castrum suum Cerveteris, tota comitiva dimissa, per viam aliam est regressus. Capiuntur omnes commilitones sui & carceribus Capitolii mancipantur. Dictusque vicarius tam gloriosum & victoriosissimum triumphum ex dictis Gebellinis assequitur quòd totam comitivam dicti Petri, excepto ipso Petro cum tribus sociis quos fugæ præsidium ab ejusdem vicarii potestate subduxit, alios crudelis gladius excidiosè contrivit & Capitolii carcer astrinxit. Ex hac itaque debellione quamplurima Gebellinorum fuerunt corda concussa, & eorum maximè qui secundùm deliberata & proposita cum dicto Petro urbem non fuerunt ingressi adeo

animi perterrentur quòd ad turbandam urbis quietem, quam demoliri conabantur .... suos regressus ulteriùs non attentant, sed in urbis circuitu per castra eorum anxii, tanquam aper confossus à venatore, discurrunt.

Cùmque agerentur prædicta, Dominus Urbanus apud Perusium cœcæ mortis morsibus expiravit. Et dum Ecclesiæ Deo volente celeri provisione succurritur, eligitur in summum Pontificem Dominus Guido Fulcodii Sabinensis Episcopus; qui quondam expertus conjugales amplexus, in advocationis officio Parisius tempus juventutis expenderat, tandem vitam clericalem assumens, Regis Franciæ Consiliarius & postmodum Narbonensis Archiepiscopus esse promeruit, & de hujusmodi præsulatu successivè fuit, ejus crescentibus in honestate meritis, per dictum Dominum Urbanum ad cardinalatus apicem evocatus. Demum verò summus Pontifex jam creatus vocari voluit Clemens quartus. Hic namque universalis antistes, cùm esset Provincialis, de sancto Ægidio scilicet oriundus, & à domo Franciæ, sub cujus favore creverat, multa & magna beneficia per bonorum incrementa continua suscepisset, favet Karolo quantum potest, & bonorum ecclesiasticorum in Francia & Provincia decimatione recepta, multos de ipsa decima equites cum dicto Karolo venturos in regnum soldat, aliisque concedit crucesignatorum veniam quam concedere consuevit Ecclesia transfretantibus ultra mare. Sicque tota ferè Gallia & Provincia pro dicto Karolo, favente Clemente postmodum, qui antea per Urbanum de regni dominio perpetuam receperat cessionem, ad mactandum Regem Manfredum tanquam vitulum saginatum, quem ejusdem regni delitiæ delicatè nutrierant, sollicitatione provida concitatur, &

XV.

Vide Notas ad Concilia Galliæ Narbon. p. 42.

quidem gratuito animo quidam melliflua Karoli suasione perursi, nonnulli stipendiati de decimatione prædicta, alii verò crucesignati contra dictum Regem venire se parant. Jam per montes & citra fulgentia signorum lilia vernant. Jam pro conservatione urbis ad præparandas Karoli vias quamplures milites præmittuntur. Et quia dictus Dominus Clemens erga prædictum Karolum teneritate multa cordis accensus, & de statu suo tanquam de filii honore sollicitus, ipsius quin immo Ecclesiæ negotium indefessa sollicitudine vocis & operis ferventer assumpserat, & dicto Karolo multa de bonis Ecclesiæ præter decimationem prædictam fecerat mutuari, omnia quæ sub cæli regmine reguntur quæque ambitus terræ claudit Karoli felicitati futuræ serenis auspiciis obsecundant.

XVI. Præmittitur igitur ad urbem cum aliquibus militibus ultramontanis quidam Ferrerius nomine, statura magnus, corde ferreus, qui verisimiliter corde nomen æquet; qui Romam perveniens statim versùs partes Tiburtinas ad loca quæ Cellas nominant, ubi agmina Theutonicorum sub ducatu Domini Jacobi Neapoleonis ad passuum regni custodiam & pro favore ipsius morabantur, cum quodam promptitudinis fervore processit. Ibi enim dictus Jacobus Neapoleon, qui erat caput Gebellinorum urbis, & ab urbe Gebellinitatis prætextu fuerat violenter ejectus, habet prope dictas Cellas castrum Vicovarii valde forte, in quo Theutonicorum agmina prædictorum, cùm volebant, membra fatigata discursibus quietis otio restaurabant. Quorum Theutonicorum idem Jacobus pro eo dux erat & ductor quòd dictus Rex ipsos Theutonicos ad partes illas maximè in ipsius Jacobi subsidium ex callida provisione transmiserat. Cum iis sanè dictus Ferrerius credens in illo sui fervoris impetu

ex eis & Romanis exulibus triumphum proculdubio consequi, ex improviso bellum durissimum absque commilitonum Latinorum consilio inchoavit, quamquam à Campanis militibus, quos summus Pontifex prædictus in ejusdem Ferrerii subsidium soldari fecerat, fuisset ei ne tunc iniret bellum cum Theutonicis instantissimè persuasum. Verùm non sine superno mysterio fortunæ Karoli patiebantur auspicia quòd primum campestre bellum perderetur à suis, ut ex hoc fortè recipiant pro subsequentibus negotiis intellectum. Fortuna quoque plerunque seu volubilis fortunæ rotatus actibus humanis illudens nonnunquam præcedentia signa victoriæ ultima fatetur cùm felicitate mentitur, & quodam anticipato favore primordialiter exhibet remunerationis gratæ primitias, ut incautos demum in exterminii finalis abyssum demergat liberiùs & adducat: quæ hoc continuo deceptionis ludo ludendo volens Regi Manfredo favisse videri, dat sibi, ut ita loquar, morcellum cerberi, ut non possit ex talibus ultra sumere vel ampliùs deglutire. Sicque jam dictum Ferrerium, qui ex nimio impetu fervoris incautus prorumpere cum Theutonicis & Romanis exulibus inchoarat, in præcipitii discrimen eadem fortuna perduxit. Nam bello totaliter perdito, remansit in campo manibus hostium interceptus. Memoratus autem Jacobus ex hac novi triumphi successione novo respersus gaudio dictum Ferrerium captivum ad Regis præsentiam sub fideli custodia destinavit. Hujus captionis diem Rex prædictus constituens celebrem, ipsumque felicium futurorum successuum grande præambulum solemnizat & festiva celebratione commemorat. Veniunt igitur ad Regem augures, assistunt astrologi, assunt harioli, currunt haruspices, & festinant divini; ac veluti qui eorum

dicta ut volentibus applaudant dominis & dissimulantibus adulentur, soliti sunt subornare mendaciis, certam spem Regi de prosperis successibus pollicentur.

XVII. Interea terminus peremptorius, qui tanquam præjudicialis Karolum eximiè coartabat, ex decursione temporis paulatimque serpens appropinquat. Et dum de adventu ipsius vota fidelium desperarent, subitò juxta fauces urbis galearum caterva velut vernale fulgur miraculosè detegitur & videtur. Sed cùm fuisset per Regem Manfredum immensum galearum stolium ex gente in mari pugnabili ad impediendum Karoli marinas semitas destinatum, ante omnia stolium ipsum fauces Tyberis cespitibus, trabibus, palis, & magna lapidum mole turbavit in tantum quòd galeis aditus de facili non patebat ad Tyberim. Per hoc enim Admiratus Regis credebat galeas Karoli saltem inibi juxta fauces taliter intercipere quòd nullatenus posset effugere manus suas nec suæ potestatis judicium evitare. Quo facto, cùm jam mare procellis inundantibus inciperet conturbari, dictus Admiratus procellas metuens imminentium tempestatum quibus ad terram invitus & naufragus ex ventorum violentia poterat deportari, alta petiit æquora, & freta spatiosa pererrare delegit. Propter quod cùm galeæ quæ Karolum devehebant ad terram ventorum impetu fuissent impulsæ, galeis Regis Manfredi nequaquam obviaverunt, sed usque ad Romanam plagiam pervenerunt illæsæ; ibique fixis anchoris, & extensis ad terram rudentibus, vix hora modica sine fractionis discrimine potuerunt subsistere. Sed sicut Deo placuit, cujus est solius gressus dirigere hominis, eadem durante procella Karolus quandam sagittariam ascendens, imminente sibi periculo personali terram petiit,

cupiens forsitan vel extinctus adimplere quod jurando spoponderat quàm ignominiosè à regni concessione cadere vel repelli. Sicque in descensu ad terram, cùm non crederetur evadere, sed omnino submergi, terra Romana ipsum miraculosè habuit redivivum. Tandemque maris impetu tranquillato, galeæ ipsius Karoli procedentes ad fauces, singula quæ objecta fuerant obstacula spatiosè submovent, Tyberis alveos liberè intrant, ac deinde, sicut moris est, trahuntur ad urbem. Karolo autem, qui ad terram antè descenderat, Deo volente, qui hominum dirigit vias & vota, omnes Romani nobiles veniunt obviam, & eum cum reverentiæ honore multo suscipiunt, ipsumque apud monasterium sancti Pauli prope urbem conducunt. Hinc turba Romanorum popularium plebs infinita generis utriusque, masculus & femella, senex & juvenis, laicus & clericus, ac religiosus ordinum diversorum cum palmis processionalibus occurrendo prompsit Osanna pium. Sumensque ex animo gaudia, & aggressus proinde festiva tripudia, choreis saltantium & psallentium cantica modulationis variæ noviter exinde adinventa de more dispositis, urbis tandem plateas & vicos tripudiantibus pedibus circuire non cessat. Ac quilibet nobilis secundùm suarum facultatum potentiam secum quorundam equitum Comitivam signanter induit ad ludendum; & omnes excipiunt plausu pavidos, gaudentque videntes Francigenæ.

Postquam omnes læti Francos oculosque suorum XVIII. lustravere in equis, signum clamore paratis dabat militiæ præcursor. Cæteri statim discurrebant pares, & alii terni agmina solvebant deductis choris; rursusque vocati convertere vias, hastas è contrà ferebant. Inde alios cursus aliosque recursus alternis spatiis frequentabant, nec alternos cessabant orbes

orbibus impedire, nec terga fugæ nudant. Nunc vertunt hostilia inoffensi. Ac sicut labyrinthus quondam, velut fertur, in alta Creta cæcis parietibus habuit textum iter & viam ancipitem mille dolis, non aliter Romana girata vestigia cursu impediunt pluries repetito. Hunc autem morem cursus Ascanius, cùm muris cingeret Albam, priscos Latios edocuit celebrare. Non est ergo sanum memoria quòd pro aliquo domino Romani usque ad illa tempora tam magnalia ostentamenta congesserint quæ diserti oratoris officium non posset brevi hora temporis enarrare. Memoratus ergo Karolus, qui mille fortè Milites electissimos & in exercitio bellico vicibus multis expertos per mare conduxerat, dura maris tempestate confractus fatigata membra in Ecclesia sancti Pauli prædicti requie votiva restaurat, exercitum inibi copiosum quiescendo moratur, qui per terram de ultramontanis partibus veniebat, & interim equis optimis Milites suos munit.

XIX. Verùm cùm Admiratus stolii galearum Regis, quas usque in districtum Januæ valida tempestas impulerat, Karolum & galeas suas audisset Romam venisse prosperè, mente turbatus spirituque confusus ac medullitus stupefactus illico retrocessit; & repetens fauces urbis comperit ex ipsis faucibus omnia obstacula quæ objecerat provida oppositione dejecta. Sicque non sine multa cordis erubescentia ob hoc à Rege prædicto de incauta & neglecta sollicitudine redargutus, passus est condignas contumelias & terrores. Rex itaque Manfredus audito quòd Karolus Romam sub tantæ fortunæ discrimine venerat, cœpit mente fremescere & animo conturbari. Sed dum vix posset admirandi rumoris hujus narrationem credere, quæ ex continua sollicitudine nuntiorum velut caldarerii malleus, qui ad cudendum socii verba non expectat, regium denuo

perstrepebat auditum, non solùm veniendi admiratur modum, sed qualiter stolium galearum suarum classes Karoli sic præterire potuisset invisas vehementissimè obstupescit.

Ex iis & aliis signorum præsagiis & portentis quæ cælum, terra, mareque prætenderant intellectus Manfredi recipere poterat quòd ex divino judicio, cui suis fortuna cedit incursibus, singula hujusmodi erant quædam præambula præparatoria contra eum. Illis enim temporibus cometa apparens, quæ per plura lustra clausa sub cæli velamine in sui aperitione didicit regna mutare ac utplurimùm subsistentia cassare dominia, suos usque ad terram lucidissimos crines velut radios solares extendit. Sed quamquam Regi præfato sua & suorum ex iis præcedentibus signis proxima desolatio daretur intelligi, ipse tamen suos consulens augures & requirens astrologos, mentiebantur se sibi cum quodam palliato solamine per longa tempora regnaturum. Edicit ergo generale colloquium apud Beneventum, & Barones ac feudatarios omnes de regno toto, necnon aliquos bonos viros de singulis magnis locis, districtiùs evocat, & ad se revocat Theutonicorum & aliorum stipendiariorum cohortes, quas per Italiam in Gebellinorum subsidia sparserat. Congregatisque universis quos è terris regni fecerat edicto publico accersiri, ad Comites principaliter tanquam ad electos suos se dirigens, talis sermonis verba verborumque propositiones orditur. XX.

Ecce, inquit, ignis urens, de longinquo motu fulmineo veniens, jam præ foribus nostris astat. Unusquisque ergo, ut ab hujusmodi incendiis suam domum provida tuitione defendat, aquam de cætero sine excusatione manibus suis excipiat, & viribus totis obsistat, ne dum ab igne, qui sine XXI.

rerum & personarum acceptione de sui natura violenta consumit, domus cujuslibet absque obicis obsistentia incendatur. Ecce incurata ulcera quæ corporis nostri pudor huc usque sub contemptus dissimulatione celavit sine remedio parantur ad fistulam; jamque incurabilis quodammodo despectus morbus incubuit & concrevit. Quilibet ergo propria manu acuto gladio morbi tam pestilentiosi tamque lethiferi venas & vias toto posse præcidat, ne dum usque ad cordis interiora pervenerit ex nostra incuria & neglectu medullas inficiat, & nos in desperationem curationis adducat. Gens quippe ista, Domini Comites & Barones, quæ nunc regnum & patrimonium nostrum acriter festinat invadere ferocissima dicitur & austera. Hæc inquam pietatem & misericordiam dimisit, infr..... cor durum, mentem feram, & animum inexorabilem contra nos ex proposito secum deliberato congestans. Audivistis forsitan aliquando de benignitate ac mansuetudine illorum de domo Regis Franciæ aliqua enarrari. Sed tales non credatis esse qui nos volunt aggredi. Hos quidem nec amicæ preces vel affectionis zelus in regnum concitavere venturos, sed auri sola cupido, necnon rerum affluentia grata regni, quam pompa regnicolarum desiderabilem fecit esse, illos ut fiant in nos violenti prædones allicit, rerumque nostrarum velut sitibundos ad regnum attrahit & nostra spolia desiderare compellit. Et sicut ipse Comes Provinciæ Karolus filius Regis Franciæ illa in regnum intentione festinat ut bona nostra sua faciat & personas, si possit, extinxisset, ita immo avidiùs ejus milites eo animo veniunt cum eodem ut nostra diripiant nec dimittant personas. Sed ô præsumptuosa crudelitas nostris inaudita temporibus, quæ nobis & imperio etiam injuriari non metuit, quos

offendere titubat totus orbis. Non enim habet vestra memoria quod se..... bonæ memoriæ..... vestrorum temporibus tanta regiminis & tam grata pacis requie frueretur. Nunc autem gentes ignotæ, gentes exteræ & effrænes, quæ nonnisi ad crudelia manus habent execrabiles atque aptas ad ferocitates promptas &........ rapinas, quærentes semper quid devorent quidque prædentur, tranquillum statum regni audent concutere ac nostra otia perturbare. Credunt enim solo sui furoris impetu subjugare cætera & regnum ac nos suæ subjicere ditioni. Sed quia cum ferocitate deproperant, ferociùs resistere nos paremus. Firmiter enim credere possumus quòd cùm pro....... destitutione nostrorum & pro conservatione nostræ justitiæ, si expediat, dimicemus, mater ipsa justitia nos fovebit. Unum quidem attendite, quòd si furori....... aut lentè obsistamus, sive nos audiant quoquo modo in aliquo vacillantes, Gallici...... vos impellent. Animosi enim sunt aggressores. Verùm cùm resistitur eis viriliter, finaliter consueverunt succumbere consuetudine superborum. Cùm ergo hæc injuria tangat omnes nostros fideles & illos magis quos abundare magis regni delitiæ concesserunt, & qui terram à nobis obtinent ampliorem, universi & singuli qui honorem zelant nostræ majestatis & commodum nostræque celsitudinis affectant gloriam, armis, equis, & expertorum virorum comitiva se muniant juxta suarum potentiam facultatum, ut cùm venientium nostrorum hostium turba confinia regni pulsaverit, illis & eorum audaciæ sic potenter & viriliter obsistatur quòd doleant se in ultramontanis partibus sua in pace non fixisse vestigia, lugeantque finaliter Italiam petivisse, & qui manus poterunt copiosæ nostræ gentis effugere confusi more solito, si valeant, retrocedant.

XXII. Poſtquam igitur Rex Manfredus aſtantibus turmis votum totaliter ſuæ mentis aperuit & propoſitum ſui cordis fando deprompſit, univerſi collocutioni regiæ annuunt; diviſoque parlamento, & quibuſlibet ad propria redeuntibus, ſub eo colore maximè ut contra venientes Gallicos unuſquiſque ſe præmuniat ſecundùm ſuæ potentiam facultatis, jam promiſſa fides Comitum violatur interiùs, jam terrefactus regnicolarum animus incipit dubitare. Sed hos ſola imbecillitas animi ac mentis falſæ perfidia, & non metus, violatores debitæ fidei faciebat. Nondum enim quemquam timere poterant; ſed ejus formidine quod verebantur accidere & futuri caſus præmeditatione perterriti tractatum per nuntios tam cum Comite Provinciæ prædicto quàm cum apoſtolica ſede doloſiùs ineunt, & eorum vota Comitis ejuſdem beneplacitis nuntiorum & litterarum multiplici deſtinatione confœderant, ac ipſius mandatis ſe placida ſignificatione coaptant. Rex tamen Manfredus in Alamanniam poſt hæc pro duobus millibus equitum, quibus pro ſex menſibus ſtipendia duplicata tranſmiſit, cum multa voluntatis anxietate nuntium præpetem deſtinavit.

INCIPIT TERTIUS LIBER.

I. INTEREA Karolus in baſilica principis Apoſtolorum apud urbem per quatuor Cardinales illuc per Dominum Clementem agentem apud Urbem veterem propterea deſtinatos in Regem Siciliæ delinitur & regali, prout moris eſt, diademate coronatur. In cujus coronatione memoranda ſolemnitatum feſta ſunt facta & nova gaudiorum tripudia feſtivaque ſolemnia celebrata. Ludunt enim more quo ſuprà generaliter omnes equites, maximè

nobiles Romanorum. Ac quilibet secundùm quod ei bonorum temporalium plus copiæ suppetit distinctiùs vestitus & certa equitum comitiva uniformiter sociatus per diversa tripudiantium agmina pomposiùs & superbiùs se ostentat & celebriora constituit illius diei gaudia, ut tantæ rei negotium memoriter effluat & perenniter memoretur. Jam Gallicorum post hæc superveniens multitudo circumfluit, jam totus Regis Karoli expectatus exercitus Romam venit. Veniunt quidem inopes & laboribus oppressi ac ex ipsis plurimùm fatigati. Unde ob hoc promptitudo fatigatorum spirituum quadam appetitus violentia illos ad bella celerare compellit, & verbo ac opere acerbiores eos efficit & ad amicitias tardiores: Propter quod vel extingui celeriter anxiant in propria furia, vel cædis occasione aut sperati auri copia saturari, aut prædonis more furari amplo voto cogitant & affectant. Contrahunt ergo tam ipse Rex Karolus quàm alii majores de suo exercitu mutua quæ mercatores Romani pro eo liberalitate quadam ultronea mutuabant, quòd sperabant in regno Siciliæ solitæ libertatis immunitate gaudere, prout & ipsi Gallici promittebant.

Reconciliantur insuper per Regem Karolum quamplures Gebellini Romani, quibus regressus ad urbem fuerat interdictus; & ad ejusdem Regis gratiam cum quadam promptitudine redeuntes, benignè per regiam clementiam admittuntur. Ex quibus Petrus Romani jam dictus, qui Regis ejusdem quondam persequebatur honores, nunc majestati regiæ devotus efficitur & ipsius fidem promptiùs profitetur. Hic sanè, ut idem Rex de suæ fidei conversione pignora certa reciperet, contra Manfredum in regnum cum Gallicis ultro se offert iturum. II.

Profectò, quia exercitus nescit esse jejunus, III.

modica supellex, rerum penuria, & carentia pecuniæ Gallicos instantissimè impellebat ad regnum. Sicque Rex prædictus à Cardinalibus supradictis suscepta cum devotione omnium venia peccatorum, quam sibi Cardinales ipsi auctoritate summi Pontificis poterant indulgere, versùs Ceperanum, ubi fluvius quidam regni & Campaniæ confinia dividit & distinguit, avida voluntate festinat. Cardinales verò prædicti extra urbem tantum Regem traducendo comitantur euntem; ibique juxta formas ipsum alternatim pacificè osculantes, & demum crucis eum signantes signaculo, abire licentia data permittunt. Pater tamen ille magnificus Dominus Richardus sancti Angeli Diaconus Cardinalis natione Romanus usque ad castrum Molariæ, quod idem Cardinalis proprio impenso peculio pro sua & suorum perpetua hereditate quæsierat, Regem conducit eundem. Manfredus verò, qui status sui hujusmodi ventura flagella præsenserat, velut in ecstasi ac alteratæ mentis involucro positus, ignorans quærit protinus ubi venientibus hostibus se opponat, ubi etiam eis obstacula præparet, ubi obsistat eisdem; & dum ad resistendum prærupta fluminum flagitat, quæ per se fortia obstacula facientes hostes in oppositum constitutos non patiantur sine magnis viribus manualiter jungere, nunc Capuam, nunc Ceperanum, & tandem Beneventum festinis discurrendo congressibus repetit & revolvit. Quamlibet enim terrarum hujusmodi alta fluminis ripa fortificat & roborat agens profundi defossum. Sed præscitus ad malum obstinatus corde Manfredus, cùm debuisset apud Ceperanum copiosæ gentis suæ resistentiam ordinare, passus regni vacuos & sine custodum pervigilum munitione reliquit, ita quòd liber ad regnum patebat aditus inimicis. Veruntamen in castro

sancti

sancti Germani duo millia Sarracenorum & mille equites jussit pro tuitione morari. Sicque Rex Karolus cum victorioso exercitu regnum sine obice liber ingreditur. De cujus amœnitate lætitia jam nova respergitur, jamque gaudio votivo completur. Propter quod diem quamlibet sibi pro anno computabat effluere donec resistentium adversariorum posset facies intueri.

Venit Rex Karolus ad quoddam inexpugnabile castrum quod sui altitudine aliquid commune videretur habere cum superis appellatum Rocca arcis à vulgo. Hac enim rocca, quam rupes montuosæ circumdant & quasi de medio petrarum conscissam saxosa montium prærupta convallant, vix posset fortior inveniri. Hanc Gallici pedites, quasi lene quid esset, miraculosè conscendunt, ad quam nisi novas alitum mutarentur in formas, aut lacertos haberent monstruosè Dædalica fictione pennatos, vix crederentur posse per longa tempora devenire. Sed demum omnipotentia divina volente Castellanus ejusdem roccæ violentis perterritus Gallicorum insultibus & præ multitudine copiosi exercitus castrametantis per castri circuitum stupefactus personæ veniam imploravit. Cui mandatis Regis Karoli coacta quodam modo voluntate parenti Rex ipse misericordiam in persona Castellani ejusdem benignus indulsit & mobilium rerum quas habebat in castro prædicto omnimodam pius tutelam promissam inviolabiliter conservavit. Fama itaque deferente per regnum quòd gentes ultramontanæ tam fortissimum & quasi inexpugnabile castrum belli subjugarant insultu, quælibet universitas vicinarum terrarum quanto se debiliorem minùsve munitam esse putabat & debiliùs poterat ab insultibus se tueri, tanto magis titubat diem expectare supervenientis insultus. Unde quæcunque IV.

civitas seu castrum, casale vel burgus sita sunt usque ad valvas burgi sancti Germani prædicti, abjurato Manfredi dominio, & Regis Karoli mandatis devotè parendo, signa subjectionis & fidei ultro voce profitentur & opere. Cùmque disciplinam servare nesciat jejunus exercitus, & si non habeat unde emat, cogitur cogitare quod auferat, cùmque etiam cogente necessitate, quæ non diligit aut non sequitur moderamen, quod deest quasi licenter præsumat armatus, jam prædicta loca sub ipsis plurimùm propterea dubitantia famelicis & fatigatis Gallicis de suorum victualium fœcunditate subveniunt. Jam quæque pretiosa de more pro libertatis commodo assequendo Regi offerunt & Militibus regiis. Sed hæc modica pars regni nec tanta nec tam abundans erat aut esse poterat quæ de sua quantacunque substantia replere posset vacuum Gallicorum seu eorum resarcire penurias vel anxietates appetentium extinguere voluntatum. Qua de re habitus ex suorum laborum primitiis modicus iste triumphus, succedentibus aliàs eis, ut videbatur, ad votum, Gallicos vigorosiores & magis voluntarios effecit ad spolia magisque ad hostium excidia provocavit. Ac velut austur, quæ jam firmatis plumis de firma suscipitur, ad capiendos teneros perdicum æstivo tempore pullos, quos debilis volatus nondum defendere rapacibus valet ab ungulis, per doctum aucupem provida instructione dirigitur, captaque præda tenera, ipsiusque sanguine prægustato, deplumare jam didicit, efficitur postmodum magis rapax & magis avida in volando, Gallicorum non aliter naturata complexio, quæ per se multa ferocitate suffulta sine metu mortis infert & recipit exitiales jaculorum ictus, ad lethiferas illationes accenditur, & tam præmaturè, tam feliciter capta votiva præda, & delitia-

rum regni prægustata dulcedine, ad reliqua spolia tanquam prædo securus ducitur & ad violentias excitatur. Hujusmodi ergo primordialis successu felicitatis accensi ad castrum sancti Germani, ubi magnam partem resistentiæ opponendæ credebant invenire, properè nimis pergunt. Verùm cùm omnes machinas nobilium urbis, quæ aliàs dicuntur vulgariter trabucheti, quarum suffragio uti consueverunt Romani in obsidione castrorum, secum fecisset Rex Karolus per curruum multitudinem deportari apud sanctum Germanum, quasi non sint ultra necessariæ, de curribus deponuntur, & currus pariter & aurigæ subsistunt. Ex aurigis tum curruum prædictorum erant pauci superstites pro eo quòd pridie apud casale Barranerii habito inter ipsos aurigas & quosdam equites Gallicos deputatos ad machinarum ipsarum custodiam manuali conflictu, plusquam centum ex ipsis aurigis pro verbis levibus Gallorum gladio perierunt. Iis autem machinis non est opus ad insultandum contra eos qui sanctum Germanum defendere credebantur nec aliis similibus generibus oppuguandi. Nam quanto animosa invalescebat denuo audacia Gallicorum, tanto ampliùs regnicolarum imbecillis pusillanimitas expavebat auditu solo Gallicæ feritatis & inhumanis ultramontanorum operibus terrefacta.

Insultum manualis pugnæ juxta muros burgi ad portam quæ est à latere fluminis totus Regis exercitus ferventer incipit & attentat, & quia Latini de more plusquam Gallici & industriùs etiam consueverunt impugnationes castrorum gerere ac movere, nonnulli nobiles citramontani corporis & animi virtutes & vires cum quodam anticipato fervore moliuntur ostendere in ipso impugnationis insultu; inter quos Petrus Romani Romanorum V.

Proconsul sæpe dictus cupiens Regis ejusdem gratiam redimere meritis, quam apud eum quondam demerendo perdiderat, locum & horam pugnæ cum quibusdam commilitonibus suis anticipans ipsius burgi muris absque metu discriminis imminentis se consibulavit impavidus. Sicque ipsum jactus innumerabilium lapidum quos emittebant illi qui muros tuebantur eosdem adeo usque ad mediam corporis partem obsedit quòd nullo modo sine compugnantium succursu poterat se movere. Eum tamen quasi perditum Latinorum & Gallicorum succurrentium promptitudo à periculo imminente præripuit. Ex cujus audacia ii qui aderant corda fortificantes & animos, inceptumque viriliter continuantes insultum, ita fortiter dimicarunt quòd per vim & metum qui cadere poterat in constantes, fugatis murorum defensoribus, portam occupaverunt prædictam. Sarraceni autem & alii qui pro ingenti exercitu per Manfredum ad custodiam passus sancti Germani fuerant destinati tam insulsum urgentissimum intuentes, & majorem illo longæ mentis oculo pavidè contemplantes, se fugæ præsidio commiserunt, cùm non ad resistendum aut impellendum, sed ad fugiendum potiùs ex timoris deliberatione concepti continuò se pararent. Sed iis fugæ cœptæ remedium usquequaque non profuit. Nam majorem partem Gallicorum gladius sine misericordiæ venia trucidavit. Occubuerunt inibi sine numero Sarraceni, quibus non parcebat Gallicus nec Latinus; ipsorumque corpora, quæ præ vulnerum confusione crudelium in campo discerni non poterant, in escam rapacium animalium jacebant exposita super terram & famelicis avibus derelicti. Nonnulli tamen manus Gallicas evadentes fugamque continuantes usque Beneventum, ubi Man-

fredus cum magno Theutonicorum, Lombardorum, regnicolarum, & Sarracenorum etiam exercitu aderat, de strage hujusmodi miranda & terribilia retulerunt. Cùmque felix denuo successus & votiva Gallicorum prosperitas cresceret, eo ipso ipsorum invalescebat audacia, & augmentabatur voluntatis anxiæ promptitudo. Unde quolibet sublato quietis & moræ diffugio ad Manfredum venire desiderant amplo voto. Ideoque cum Manfredi militibus confligere anxiantes, adversariorum reliquias, quos in dicto conflictu eorum nequaquam gladius apprehendit, usque ferè ad valvas civitatis Beneventanæ non cessant insequi actu continuo & impulsu. Et dum nec sibi nec equis parcunt, qui erant præ longo itinere fatigati, omnino quasi deficere videbantur. Sed tanta erat spoliorum aviditas, succedentibus eis undique prosperis, quòd totius laboris & discriminis onera levia reputabant.

VI. Postquam igitur Gallici continuis defecti laboribus, & velut arcerius Siculus qui de mane ad vesperas damum sequitur fatigati, ad quendam campum terræ Beneventi adveniunt, in quodam colle qui respicit ex oppido civitatem, quem tantùm alveus fluminis ab ipsa terra sejungit, figunt accelerata vestigia. Dumque in ipso colle taliter sunt castrametati, aliquandiu sub quiete subsistunt. Rex Karolus inquietus omnino per circuitum sicut aper discurrendo continuo motu frendens nonnullos ad perpetuam rei memoriam militari cingulo decoravit, ut singuli magis animarentur ad bellum. Sed dum sic terribilis discurrebat per castra, clamore quasi continuo has voces Gallicorum catervis per medium exercitum emittebat. Hic clariùs apparebit quales hic Gallici Milites, & si in societate nostra est aliquis bonus Miles qui mili-

tiæ velit honorem. Sanè pòst primatibus exercitus congregatis juxta Regis tentorium in loco campi, ubi qui voluit potuit interesse, iis eos Rex Karolus verbis alloquitur. Scitis certissimè, Domini Milites, quòd de loco isto in Franciam longos habet fuga protractus. Ut pugnemus deliberato animo venimus. Si, quod absit, hostibus succumbamus, sine spe misericordiæ moriemur. Fugæ præsidium nullum tutelæ compendium nobis impenderet, nullumque vitæ patrocinium superesset. Nam etsi gentes per quas venimus nos venientes huc honorabiliter tractaverint & reverenter impenderint nobis gratum multipliciter obsequii famulatum, tamen si redire fugiendo compererint, statim eorum animi proculdubio quadam contra nos consueta æmulatione convertentur in pravitatem quæsitam, & nos usque ad interitum persequentur. Resistamus ergo viriliter, & pugnemus audacter, ut vel omnes una hora concludat, vel speratum triumphum ex hostibus consequamur. Tolerabilius est enim mori quàm fugere. Fuga namque multiplicis mortis, inter odientes maximè, lethifera discrimina secum habet. Nos quidem confidentiùs possumus dimicare quàm hostes. Cùm enim adversarii, quos anathematis & excommunicationis sententia perculit, sub illius nomine, scilicet sathanæ, cujus manibus per sententiam sunt sedis apostolicæ mancipati, cum æternæ vitæ desperatione confligant, nos solùm sub illius celebritate vocabuli qui pro nobis usque ad interitum pati voluit & affligi, cum spe immo cum certitudine misericordiæ ab ipsius vicario peccatorum omnium obtenta venia concertamus. Reddite igitur vos cautos, sollicitos, & attentos, ut cùm ad pugnam, quam non possumus evitare, veneritis, potiùs equos quàm homines offendatis, feriatis & cum gladii cuspide, non

cum acie, ita quòd equis hostium vestris ictibus succumbentibus, nostrorum peditum prompta manus sessores equorum taliter prostratos ad terram & præ armorum gravedine lentos liberiùs excipiat & trucidet. Reguletur & aliter in primo conflictu probitas vestra. Singuli Milites singulos juxta se pedites habeant, aut duo quilibet, si valeat, etiamsi non possit habere alios quàm ribaldos. Hos enim tum pro interficiendis equis hostium, tum pro conterendis iis qui excutientur ab equis, experientia pugnæ valde necessarios & utiles esse probat. Nostri quidem præ labore continuo extenuati macie non sunt adeo potentes & fortes quòd nisi cum hostibus tempore pugnæ sagaciter vos juvemus, valeant cum equis ipsorum hostium pari labore concurrere & longa cum eis in bello, si expediat, mora durare. His igitur regulis omnibus generaliter præmunitis, quilibet Gallicus velut canis domini sui vocibus in venationibus excitatus ad prædam campum voluntario passu circuit, & dum quærit quid devoret non inveniens, cibum anxius sicut famelicus catulus leonis expectat.

Interea nonnulli Barones regni, quos propter suspiciones fortè aliasque causas factos à regno exules aliena diù foverat patria, castra & terras quamplures quarum dominium justus titulus dabat eis de ipsius Regis Karoli licentia, quam in ipso ingressu regni obtinuerant ab eodem, per diversas regni provincias sine bello recuperant. Propter quod regnicolarum corda cœperunt intra se mutare non modicum & contra Manfredum corrumpi ac gaudere generaliter populares. Credebant enim quòd regnum jam esset votivæ tranquillitati paratum & ex adventu Regis Karoli libertati omnimodæ restitutum. Dum igitur trepidant usquequaque regnicolæ robore nullo firmati, parantur hinc VII.

inde belli discrimina, & exercitus quilibet ut fortiùs & robustiùs dimicet se accingit.

VIII. Manfredus, qui semper de instabilitate ac voto contrario varioque affectu illorum de regno meritò dubitabat, accersitis Comitibus & Baronibus ac aliis nobilibus qui secum aderant Beneventi, hos in generali colloquio sermones eructavit. Hostes nostros, quos jamdiu famæ acclamatio prænuntiavit contra nos esse venturos, videtis in oppositum existentes. Sed per Dei gratiam tantos & tales esse visio vestra non judicat quantos & quales fore fama referente credidimus. Malos inquam equos, macilentos, & utplurimùm parvos habent. Et si habeant aliquos magnos equos, extenuati præ labore nimio parum valent. Igitur dum sic sunt laboris fatigatione confecti, priùs quàm quæsita requie convalescant & aliquo fortificati otio invalescant, properemus conflictum & cum eis in media arma ruamus, & si inevitabile fuerit, moriamur. Gallici enim in primo instanti videntur audaces. Sed nec sunt stabiles, nec habent durabilem animum neque fortem. Immo sunt omnino plus quàm credi valeat pavidi quando inveniunt oppositionis resistentiam aliqualis. Sed ô bona posteritas, memoremur nostrorum gesta præteritorum. Nonne Ausoniæ gentes istas priscis temporibus vilissimas reputabant? Nonne hos & alios ferociores populos propria potentia conquirebant Italici & eorum mero dominio multifariè submittebant? Fortiores quidem sumus patribus nostris & majori etiam personarum & rerum potentia præditi. Quid ergo veremur, quid formidamus? Certè nihil aliud cogitemus quàm in exterminium hostes adducere ac eos à facie nostra delere. His & alis verbis Manfredus Gallicorum mores & facta vilificans, suos viriliter animabat. Sed quidam de Comitibus suis juxa magnitu-

dinem cordis aut imbecillitatem animi naturalem vel ſimulatam, necnon ſecundùm quod magis minùſve fidelitatem Manfredo ſervare intra ſe diſpoſuerat, voluntatem tunc ſuæ mentis aperuit, & ſuadebat vel diſſuadebat pugnam ſecundùm quod virtus propria vitiumve debilis animi ſuggerebat. Veruntamen Manfredus de hora conflictus conſilio cujuſdam aſtrologi regebatur. Unde cùm jam deliberatione præhabita compertum eſſet per artem quòd felici omine tali hora bellum poterat Manfredus cum Gallicis inchoare, quidam ex Comitibus ipſis proditoria machinatione corrupti & obſtinatione nequiſſima mentaliter violati ſibi diſplicere ſi Manfredus pugnet tunc cum Gallicis confingentes, & prætendentes animo ſimulato commodum fore ſolum ipſius Manfredi ſi tunc maximè prælium evitaret, dedignato ſpiritu Manfredum & ejus exercitum dimiſerunt. Quidam etiam nobiles quos idem Manfredus ad ſe tunc temporis fecerat cum aliis evocari ſumpta cauſa vel occaſione potiùs quam quærunt volentes recedere ab amicis in locis propriis remanſerunt, ultimos ſucceſſus morantes potentiæ utriuſque. Sed qui pares cenſeri poterant in crimine Judæ furis ſimulabant ſe ad terrarum ſuarum cuſtodiam remanere.

Inter hæc Manfredus cum Comitibus ſuis Lombardis, ſcilicet Galvano, Jordano, Frederico, & Bartholomæo, & cum quodam Domino Theobaldo de Aniballis cive Romano ſecretum iniit conſilium, & ab eis ut prudenter ac intrepidè ſtatim intendant contra hoſtes irruere ſciſcitatur, ac quid de attentanda pugna videatur eiſdem diligenter interrogat & exquirit. Hi ſanè, cùm eſſent homines bellicoſi, quibus aliquando famoſus triumphus ex bello ſucceſſerat, & fortuna proſpera in eorum plerunque ſibi primitiis arriſerat, quodam motu IX.

voluntario regebantur ut animo videlicet plus quàm viribus confidere crederentur, & furore plus quàm virtute se vincere posse sperarent. Unde viva & prompta voce admirantes quodam modo de eo quòd Manfredus, eorum jam in multis probitatem & fidem expertus, ab eis quasi dubius indagabat, aïunt ad Manfredum : Et si statim nos oporteat mori tecum, non te negabimus. En personam tuam principaliter, ex cujus vita & obitu nostræ felicitatis subsistentia & ultimus infelicitatis dependet occasus, è vestigio sequimur, & te nihilominus feliciter vivere, nosque sub militaris honore fortunæ fideliter pro te mori, si contingat, volumus & optamus. Et ut fidem quam pro defendenda regalis nominis libertate congerimus testificentur opera nostra, statim primus in hostes, si placeat, noster erit aggressus.

X. Cùm in hujusmodi voluntatum examinatione persisterent, & militiæ agmina necnon & agminum præpositos recenserent, clamor in æthere tantus insonuit quòd, sicut fertur, usque ad Aliphium ventus impulit crepitantia per aëra vocum murmura, & veluti cùm freta fervent valida ventorum concita tempestate, omnium de contrata perstrepebat auditum. Sarraceni namque de Luceria, qui non aliis armis quàm arcubus sunt accincti, numero forsitan decem millia, fines furiosè transgredientes mandati, quibus nondum aggressus erat indictus, dum sic cogitant Gallicos arcuum percutere missilibus quòd postea Theutonicis & Lombardis ad expugnandum Gallicos ipsos nullius vel modicæ difficultatis ultra parari posset obstaculum, veniunt citra flumen. Sed Gallicorum ferocitatem eo plus concitant, ignemque magis Gallici furoris accendunt. Quo militum magis cohortibus appropinquant, clamant de more; ac credentes Gallicos

vocibus perterrere, clamore continuo invalescunt. His occurrunt primò ribaldi qui gregatim de Francia venerant; & comperto quòd Sarraceni erant qui contra exercitum Gallicorum cum clamoribus festinabant, clamitant & ipsi dicentes, Porci ne sunt isti qui contra nos cum tanto clamore descendunt, propter quod inermes, quòd absque magistri conductu relicta solita conciti furia velut autumnales sturni, quando in multitude nubifica de lôco moventur ad locum, Sarracenorum turmæ obviant venienti. Verùm Sarraceni de more priùs quàm se jungant manualiter hostibus ex pharetris tela promunt, & sagittantes subitò ribaldos sine numero sauciant, emissæque plus vel minùs, prout ex lacertis fortioribus prodeunt, post terga sagittæ serpentis ad instar sibilant inter siccas stipulas & vimina gradientis, feriuntque inopinatè ac irremediabiliter ex hoc in illum velut fulgura super terram. Et dum frequentiùs emittuntur nonnullæ, in diversis corporum partibus violentæ subsistunt; modòque in capite, modò in facie geminæ residentes nova cornua configurant; ac affixæ circum pectus & scapulas siccos ramos aut extraneos propaginum palmites mentiuntur, recipiunt hujusmodi figuratos ramos innumerabilia corpora ribaldorum, ac prostrantur innumeri. Et velut greges ovium in campis Apuliæ, quando derivatum de Dalmatiæ montibus Boream patiuntur, caduco quasi morbo confectæ simul & subitò in multitudine concidunt moriendo, non aliter ribaldorum infinitas, quorum casus parum vel nihil Regis Karoli lædebat exercitum, redditur ex sagittis frequentibus exanimis & expirans. Milites autem Gallici stragem ribaldorum tam subditò pereuntium factam dolentes, & verentes ne Sarraceni ex hujusmodi primitivæ stragis gloria sumant vigoris audaciam contra

eos & fortiùs invalescant, quandam aciem equitum servientium ribaldis deputant subventuram, quæ Sarracenos adhuc vociferantes in campo exeat congressura. Irruunt igitur in Sarracenos prædictos servientes equites numero fortè mille, qui tam fortiter, tam asperè Sarracenorum aggrediuntur multitudinem debacchantem quòd Sarracenorum ipsorum universaliter mortificatis artubus & lacertis, immo quodam modo singuli facti exanimes, solo metu se ipsos, nemine adhuc percutiente, prosternunt, facti sunt velut passeres quando milvus in eos ab aëre inopinatè dilapsus insiluit, ac sicut aves gregales, quas audax aquila de cælo subitò corruens super eas in arbore considens obsedit in nemore. Trucidantur ergo canes, ac eorum corpora, quæ Gallicus gladius sine pietate aliqua trucidabat, sicut venales carnes carnificum laniata canibus relinquuntur & avibus super terram. Ad hæc Comes Jordanus ab experto promptus & audax, cujus aliquando fortuna juvit audaciam, non expectata deliberatione Manfredi, statim ctm mille Theutonicis prosilivit in campum, & dato signo inter comestabulorum catervas bellum fortissimum cum illis servientibus Gallicis inchoavit. Hi quidem servientes ex multa Sarracenorum occisione plurimùm fatigati, cùm etiam non essent tales aut equis talibus insidentes quòd occurrentibus Theutonicis possent obsistere, perdito bello succumbunt, paucique possunt Theutonicorum manus effugere. Omnes enim ferè Theutonicus gladius devorat, omnesque abjecta misericordia lacerat & trucidat. Erant namque prædicti mille Theutonici quasi melior pars exercitus totius Manfredi. Hoc autem Rex Karolus intuens, fremens & furens ut ferox animal provocatum, modò personaliter in Theutonicos volebat irruere, modò usus saniori consilio subsistebat.

Tandem verò banneriis ordinatis, & magiſtris militiæ ac præpoſitis agminum ſtabilitis, Theutonicos, qui campum jam vicerant, mille Milites ſuos electos jubet invadere. Fortes igitur contra fortes fortiſſimè irruerunt. Sed Theutonicis finaliter ſuccumbentibus, aſſunt Galvanus & Bartholomæus & plures alii Comites aſſociati Lombardis, Theutonicis, ac aliis catervatim bellum ſubintrant & confligunt duriſſimè & aſperè quantum poſſunt. Belli ſic durante conflictu, & ex utraque parte deficientibus multis quos vel labor vel gladius comprimebat, Rex Karolus aliam comitivam in conflictum tam fortiſſimum edicit ituram. Hæc quidem bello ſuperveniens comitiva fortificavit adeo pro parte Regis Karoli bellum quòd omnino viſi ſunt Gallici prævalere, immo protinus prævalebant. Ah ah! Manfredus prædeſtinatus ad malum totam pugnam pugnæque modum oculis intuetur corporis, & corde animoſo dijudicat, jamjam omnino volens irruere, denuo ſollicitus & attentus ſicut leporarius quem tenet venator, ſollicitatis braccetis per excubias nemoris laſſiatum fremebat, anxiabatur aggredi bellum. Mandat cæteris Capitaneis & præpoſitis ſui exercitus quòd illico deſcendant ad pugnam. Sed cùm nonnulli de regno, qui quoſdam falſos Comites, cum quibus miſer Manfredus ſub colorato patrimonialis ſucceſſionis titulo diviſerat regni ſpolia, ſequebantur, ingredi noluiſſent bellum, ſed proditoriè abſceſſiſſent, Manfredus cum reliquis mori potiùs eligens quàm quòd ſuis morientibus alienam profugus terram petat, quaſi deſperatus cum prædicto Milite Romano Domino Theobaldo, qui eum è veſtigio ſequebatur, & in quantum poterat ſuadebat quòd omnino ſtatim aggrederentur bellum & ſuis qui pugnabant citò ſuccurrerent, ut vel omnes ſuos, quos unus

jungebat affectus, una hora unusque gladius devoret vel exaltet, inimicorum suorum ruit in medium, pugnat, percutit, percutitur, & expugnatur, proh dolor, à suis sic proditus. Invalescit ergo violentia Gallicorum. Circumeunt agmina totum campum. Nulli parcit Gallicus, sed singulos necat & trucidat immaniter Gallica promptitudo. Lavat sævitia manus victrices in sanguine occisorum. Veruntamen quamplures attendentes tantam in Gallicis inhumanitatem, quæ nec prostratis parcebat, nec miserebatur captis, demergi potiùs eligentes in flumine quàm sic sine misericordia trucidari, armati cum equis in ipsius fluvialis ripæ præcipitium promergebant. Propter quod eos quos non attigit gladius flumen absorbuit & submersit.

XI. Facta est igitur pugnantium tanta strages quòd in campo pugnæ, quem omnino tegebant corpora occisorum, aliquid vacuum non remansit. Equorum corpora super hominum cadavera quiescebant. Vix cadaver integrum poterat inveniri, cùm jacerent singula magnorum ictuum violentia mutilata, starentque sine figura propria indistincta corpora diversorum.

XII. Rex inquam Karolus, qui nondum de Manfredi obitu certus erat, post devictum bellum statim civitatem Beneventanam grandi triumpho victoriosus ascendit, & spolia pretiosa, quæ diù anxiè affectarat, magis anxiè complexatur, perfusus undique gaudio, gazas innumeras comperit, & lætabundus excipit pretiosa nonnulla quæ non solùm Manfredus in proprio gazophylacio congregarat, sed & Corradus frater & Fredericus ejus genitor in non modica congesserant quantitate, ac ex diversis veteribusque thesauris compositis monstruosis acervis idem Manfredus adunarat. Nihilominus tamen Rex, quem faciebat sola rerum

indigentia & diuturna penuria sitibundum, thesauros multorum Comitum intactos reperit & recondit. Replentur & ditantur undique Gallici. Nec tamen sitis extinguitur aut insatiabilis repletur esuries eorundem. Non enim solummodo spolia hostium occisorum sua faciunt occupando, sed & civitatem miseram Beneventum sine personarum acceptione disrobant, &, quod pessimum est, innocentes incolas cædunt, & inventis inibi exteris non indulgent. Continua cædes jugiter fit; & quanto magis cædunt Gallici, tanto majori ad cædendum furia concitantur, magis ardent Beneventanos adducere singulos in exterminium & in prædam. Sed, ô tantæ crudelitatis impietas, ô immanis sævitia præter humanam naturam, immo contra conditionem creaturæ cujuslibet, quæ nec parcit sexui nec indulget ætati promereri. Profectò etenim credebant Gallici quòd noxium vel innoxium Latinum poterant cruorem effundere. O utinam ad sacra duntaxat quæ conservabant Ecclesiæ manus execrabiles minimè relaxassent. Nam prætextu bonorum laicalium, quæ celata sub Ecclesiarum velamine vel confusa cum ecclesiasticis fore putabant, res ipsas ecclesiasticas non expavebant eripere & proinde ipsas Ecclesias prophanare. En clericus, proh dolor, simul cum laico corruit, & indistinctè omnes Latinos quos furor Gallicus censebat hæreticos, mares & feminas, clericos & laicos, interemisse lætatur. Dolet si videat aliquas reliquias Latinas superstites. Et si publicè nequeant, vel modo aliquo jam quiescentibus cædibus erubescat, evaginato gladio clam exenterat occurrentem. Unde pauci vel nulli potuerunt evadere crudeles gladios bellatorum. Vox quidem ploratus & ululatus vehemens cum frequenti & lamentabili ejulatione emissa ad miseren-

dum & compatiendum poterat cujuslibet audientis pia viscera commovere. Heu proh pudor, filius inter maternas ulnas occiditur, & alius in patris gremio jugulatur. Maritus ad pedes uxorios & uxor interimitur juxta virum, nec uxori vel uxorato propterea parcitur, & filiis præsentibus impiè sævitur in matres. Et utinam sororis, uxoris, aut matris miserorum Latinorum pudicitiam, quam impudenter ardebant, fuissent veriti attentare. Sed hæc pejora iis attentantes, Ecclesiarum immunitate per diversarum illationum ausus temerè violata, eos omnes quos de antiqua & approbata libertatis ecclesiasticæ consuetudine debebant dominica templa tueri, infra Ecclesiarum ambitus fugientes sævitiosè comprimit impetus Gallicorum. Cædes cæsorumque prædatio vix adhuc die quiescit octava. Tota terra intus & extra per marginum spatia & parietes etiam perfusi sanguinis frequentia rubricantur. Verùm propter Manfredi personam quamplures nobiles captos præservat vivos miraculosè quodam modo immoderata voluntas & effrænis Gallicæ impetuositatis excessus. Qualiter enim continere gladios poterant qui exenterare, scindere, jugulare, ac ferra in expugnatorum experiri corpora meritorium fore putabant? Galvanus inquam & Fredericus, qui fugæ petentes auxilia versùs Aprutium & Anconitanam Marchiam clade facta deproperant, Henricus etiam, qui Gallicorum faciem expavescens in Siciliam profugus applicat, necnon Bartholomæus & Jordanus ac Petrus Asini Florentinus, quos dirus & durus Gallicus carcer exceperat, de Manfredino exercitu toto supersunt. Hos enim belli aut debellationis instantis feliciùs deglutisset eventus. Bartholomæum etenim, Jordanum, & Petrum Asini captivos Rex Karolus ad quoddam castrum Provinciæ,

quæ

quæ est dos uxoris suæ natæ magnifici viri quondam Berengarii olim ejusdem Provinciæ Comitis, ut in ipso castro macerentur squalore perpetui carceris, destinavit.

Interea quidam Miles Picardus sedens super Manfredi dextrarium, quem ipse Manfredus pridie bellando consederat, prævisus ab illis suprà captis Comitibus & accersitus ab ipsis ex loco ubi Comites tenebantur, idem contra morem substitit patienter. Ii cum lacrymarum etiam fusione ac singultuosis suspiriis subsistentem Militem Picardum interrogant, & ubi sit ille Miles cujus dictus dextrarius fuerat quem sedebat, & an bello corruerit, fueritque peremptus, an captus vivat & valeat, sciscitantur. Ad hæc, certificatus primò qui & quales forent sciscitatores hujusmodi, Miles ipse respondit: Verum est, Domini, quòd hostium nostrorum durante conflictu, ecce equi hujus sessor vocem exaltans ad æthera, inculcata clamoribus murmura emittendo, cum quodam parvo Milite belli ruit in medium, & tam se animoso genti nostræ conjungit animo quòd si strenuos & fideles habuisset compugiles, vel majorem nostræ gentis partem victorius subegisset, vel coëgisset omnes plurimùm laborare. Occurri ego inquam Militi tam animosè prœlium invadenti, & à casu & fortuna caput hujus dextrarii vulneravi cum lancea quam gestabam. Ex hoc quidem vulnere se in altum dextrarius erigens sessorem casualiter excussit ad terram, quem illico ribaldi exutum arma innumeris ictibus mallearunt. Pretiosum etiam strophæum quem cingebat en cum isto sonipede habui de ipsius spoliis & portavi. Tunc intra se gementes & quasi dementes audiendo facta dicti Comites cogitabant. Heu heu, occisus est agnus, Rex, Dux, & Dominus noster, qui elegit cum suis XIII.

mori potiùs quàm vivere sine ipsis. Amodo vita nostra mors est dicenda, non vita. O utinam unus nos cum ipso gladius peremisset. Et hæc intra se murmura intonantes nunquam potuerunt ultra clamorum spiritus continere. Quærunt tum & iterum à Milite supradicto an sciret locum ubi sessor ille corruerat. Et respondit Miles quòd & locum sciret ac hominem recognosceret, licèt jam dies effluxerat tertius ab eo quo ceciderat ille homo. Erat, inquit, homo flavus, amœna facie, aspectu placibilis, in maxillis rubeus, oculis sydereis, per totum niveus, statura mediocri. Ha ha, infelices Comites quomodo ad hæc infelicia narrata non terrerentur. Verùm dum hæc simul sollicita indagatione disquirunt, exiit communis & vulgaris sermo dicentium: Mortuus est Manfredus, mortuus est Manfredus. Volavit igitur rumor ad Regem quòd Comites asseverassent prædicti Manfredum fuisse peremptum bello. Jubet Rex Comites ipsos ad se venire ac memoratum Militem Picardum, cum quo de Manfredi obitu invicem contendebant. Et coram Rege ipso prædictis omnibus & singulis repetitis, mandat Rex Comites accedere cum Picardo ad locum ubi Manfredum Picardus prædictus corruisse dicebat. Comites igitur prædicti ad locum pugnæ recentis ducti sunt compediti, & multis occisorum cadaveribus recensitis, ô ô ô cum quanta lacrymarum profusione compertum cadaver Manfredi manus trepidantes revolvunt, pedes & manus sui domini Comites osculantur. Vix possunt hoc solùm dicere: Hic est innocens qui mortuus est pro nobis. Hic est qui suos dilexit in finem. Juxta cadaver Manfredi compertum est corpus Theobaldi de Aniballis, qui semper in pugna Manfredum è vestigio sequebatur. Formosum igitur corpus Manfredi, exanime sublatum est de

loco exitus, & ibi de prope juxta quandam Ecclesiam ruinosam in eodem campo triumphi cum gloria depositum Gallicorum magno lapillorum & lapidum acervo congeritur, conditur, & sine tumulo taliter sepelitur.

Ut autem Rex Karolus de copiosa & pretiosa quæ jam in ejus dominii cesserat potestatem matrem & dominum honoret Ecclesiam & de primitiis laborum suorum participem faciat patrem patrum & de sua venatione pater ipse prægustet, duos ceroferarios aureos seu idola manu facta comparata candelabris materia & opere, pondere quoque & arte pares, necnon facistorium Cæsaris sedem imperialem aurea massa conflatam margaritis coruscantibus undique circumseptam, quæ diù Augusti ad laudis & gloriæ fastigia imperialia ostendenda servarat ærarium, Domino Clementi sanctæ memoriæ summo Pontifici pro grandis & cari muneris oblatione transmittit. XIV.

Post desolationem Beneventanæ civitatis & successum tam grandis & tam felicis victoriæ memorandum Rex Karolus apud Neapolim, quò primùm post consummationem triumphi processerat, parlamento inito generali, omnibus & singulis regni Baronibus & aliis quibuscunque qui nomen & omen secuti fuerant Manfredi benignus indulsit. Et ut eos ad suam fidelitatem alliceret, quos inimicos forsitan viribus & ferro subegerat, singulorum culpas abolens, edicto veniæ generalis pœnas remisit omnino, beneficiaque spopondit, dummodo eos de cætero sibi contrarios majestas regia non haberet. Et volens ad tranquillandum subjugalis regni statum intendere, cujuslibet hostis resistentia jam cessante, mittit in Siciliam Dominum Philippum de Monteforti, ac quaslibet regni provincias visitat per officiales & nuntios. Verùm XV.

propter Gallicorum multitudinem, quorum frequentia singulæ regni partis complentur, quælibet terra sua deplorat incommoda, & quæ cladis præteritæ non palpavit incendia, ex jugi & continuò Gallicorum transitu violentos incursus ex afflictionum jaculis offenditur imprævisis. Namque cùm iis qui castra sequuntur fides & pietas nulla insit, naturam sapiunt ignis & fulguris, ut videlicet omnia per quæ transeunt loca contaminent, & quos ita subitò nequeunt incinerare subactos ad instar ignitæ materiæ denuo partes contiguas comprehendentis adurant.

XVI. Ad hæc Rex prædictus de tam glorifico triumpho magnificus, ut de regnicolarum moribus regnique consuetudinibus se informet, quosdam regnicolas qui penes Manfredum officiorum administrationes & justitiam ministeriosè congesserant in sui familiaritatem advocat & receptat; inter quos quidam Barolanus præcipuè nomine Gezolinus de Marra, cujus progenitores de montibus Amalfiæ traxerunt originem, ad tractatus rerum domesticarum regalium familiaris admittitur. Hunc ratiociniorum experientia & longa multarum commissionum regalium officiositas Regi reddebat acceptum. Hic regestra proventuum regni & singulorum officiorum ac officialium & per diversa ipsius regni loca particulariter ponendorum habebat; in quibus non solùm jurisdictiones & jura regia, per quæ felices Reges, contenti duntaxat eisdem, suos feliciter conservabant honores, memoriter erant inserta, sed omnes angariæ, parangariæ, collectæ, talliæ, daciæ, contributiones, & modi exactionum innumeri quibus Regum nefandorum impietas miseros regnicolas opprimere ac necare didicerat, studiosiùs fuerant rubricati. Hujus Gezolini consilio & suggestu Rex, quem Regum prædeces-

torum suorum vitam & vivendi modum sequi ac mores eorum probabiles non pudebat habere, legem ponit regnicolis, novosque secretos Justiciarios, Admiratos, Prothoncios, & Comites, portularios, duanerios, & fundicarios, magistros siclarios, magistros juratos, Bajulos, Judices, & Notarios ubique per regnum, & supra hos majores præpositos statuit. Hi, religione juramenti quod in officiorum susceptione consueverunt præstare præsumptuosis ausibus violata, ubilibet subjectos gravant indebitè, ac eis importabilia onera imponentes, emungendo plus debito cruorem eliciunt & medullas. Provocantur regnicolæ duris & diris oppressi flagitiis, & jam mente corrupta violantur interiùs, ac quilibet inter se specialis excogitata fraudis machinatione corrumpitur, & præ novi timore dominii plus nutibus quàm verbis alter alteri tactus dolore cordis intrinsecus conceptionis suæ pandit arcana, & lamentabilibus saltem conquestibus suæ mentis reserat voluntatem, atque mutos volvens in pectore questus, semisonora ejulatione, quasi nesciens loqui, clamat: O Rex Manfrede, te vivum non cognovimus, quem nunc mortuum deploramus. Te lupum credebamus rapacem inter oves pascuæ hujus regni. Sed præsentis respectu dominii, quod de nostræ volubilitatis & inconstantiæ more sub magnorum professione gaudiorum anxiè morabamur, agnum mansuetum te fuisse cognoscimus. Jam fuisse dulcia tuæ potestatis mandata sentimus, dum alterius amariora gustamus. Conquerebamur frequentiùs nostræ substantiæ partem in dominium tuæ majestatis adduci. Nunc autem omnia bona nostra, quod pejus est, & personas alienigenarum converti videmus in prædam. Regnicolis igitur ubique per regnum murmurationes emittentibus & lamenta,

nonnulli de regno ipso hæc & deteriora perpessi Comitibus exiticiis & Baronibus exteris & ejectis ac profugis, necnon & universis in Lombardia & Tuscia Gebellinorum capitibus intimare procurant de aspero & agresti ac importabili dominio Gallicorum.

XVII. Quamplures igitur viri magnifici, videlicet Galvanus & Fredericus fratres Comitis prælibati, Corradus Capicius & Marinus ejus frater de Neapoli, quibus Rex prædictus ad preces B. de Pignatellis Archiepiscopi Messanensis vitæ veniam post eventum præteritæ debellationis indulserat, in Alamanniam ad suscitandum catulum dormientem & pullum aquilæ, qui nondum ætate cœperat adulta pennescere, properè se convertunt. Ibi enim de tota Frederici posteritate solus Corradinus natus quondam Regis Corradi ejusdem Frederici filii, qui tam Frederico de Stuffa quàm Duci Austriæ ac multis de Theutonia magnis viris linea consanguinitatis attinuit, tanquam quoddam memoriale superérat. Ad hunc sanè vanis licèt allectivis suasionibus excitandum non solùm prædicti exules & alii quamplures è regno perveniunt, sed ab omnibus Gebellinis prædictis & à civitatibus etiam imperialibus de provinciis supradictis, quæ quondam sub devotione Frederici & filiorum suorum fuerant, solemnes nuntii destinantur, qui sibi tanquam Regi venturo aurum, thus offerebant & myrrham, ac ei de propriis peculiis, etiam civitatum ipsarum thesauris, promittentes pro expendiis necessariis ampliores, non tantùm ipsum, qui corpus & cor ætatis juvenilis habebat, sed alios eo majores virtutibus & ætate amicos & consanguineos suos ad delitiosas & fertiles regni epulas invitarunt, quos illico illuc festinis gressibus concitavere venturos. Conflato igitur & sculpto sigillo

ſub Regis Siciliæ titulo Corradinus per Italiam litteras ſpargit & nuntios, & ſuum adventum celerem fore prænuntiat. Corradus autem Capicius de generali capitania & vicariatu Siciliæ fabricatas ſub ipſius Corradini ſigillo litteras, in quibus ſe Regem Siciliæ confingebat, ſtuduit obtinere, dicens quòd ad parandas domino ſuo vias & ejus in regnum citum prædicandum adventum volebat ut præcurſor ſublato moræ diſpendio properare. Sicque obtenta ſuperioris licentia Piſas uſque pervenit; ibique totius deliberationis Corradini propoſitum voluntates quoque Principum Alamanniæ, ac oblata per eos ipſi Corradino juvamina voce prænuntia promulgavit. Poſtulat inter hæc à Piſanis aliquod per mare ſubſidium quo poſſit ad præſens in Tuniſium transfretare. Et quia Piſani jam diſpoſuerant proſequi factum & cauſam favorabiliter Corradini, concedunt Corrado prædicto unam galeam armatam qua in Tuniſium devehatur, ſuæque ſubſerviat voluntati.

Applicans igitur in Tuniſium Corradus Capicius prælibatus cum Domino Frederico nato Regis Hiſpaniæ cogitatu callido de invadenda Sicilia machinatur; factumque Corradini juſtificans, & ſuorum magnificans potentiam amicorum, oblato ſibi per magnificos viros Italiæ ac confinia loca ſubſidio plus quàm in re foret veritas. Prædictus verò Domnus Fredericus & Domnus Henricus germanus ejus, quos propter impatientiam quam habebant de magnitudine ac proſperitate fraterna ejectos & abſentes à propria diù patria foverat aliena, pinguia pro ſe ac quibuſdam Militibus de Hiſpania ſtipendia recipiebant à Rege Tuniſii, qui cotidianis cavalcatis & aſſiduæ guerræ ſollicitudine angebatur per alios Sarracenos. Hi ſanè fratres Hiſpani præ Sarracenorum converſatione diu- XVIII. Odor. Raynald. an. 1267. § 14.

turna actibus Agarenorum imbuti, & ferè Christianæ religionis obliti, à Sarracenis ipsis vita patrum & moribus differebant. Verum Domnus Henricus à præfato Tunisii Rege habitus ex sua superstitiosa superbia de proditoria machinatione suspectus, ad seducendam & concitandam Romanam provinciam cum trecentis fortè Militibus de Tunisio citra inopinatè convenerat: qui dum Romanam curiam, adhuc non præcisus ab Ecclesia, sequeretur, ab apostolicæ dignitatis auctoritate magnæ liberalitatis & gratiæ immensæ dona poposcerat. Cujus nobilitatis & schematis fama adeo Ecclesiæ Romanæ ministros videbatur inebriasse repentè quòd frequenter ut ei deberet de regno Sardiniæ provideri conditum fuerit instrumentum in consistorio tractatum.

XIX. Sed dum quidam nobilis civis Romanus Angelus Capucia nuncupatus seditionem in Romano populo suscitasset, per quam contra urbis magnates Capitaneus populi, quibusdam bonis viris de qualibet regione binis electis secum adjunctis, sub pacis specie motibus ultroneis est ereptus ex tradita sibi per dictum populum potestate qua quem vellet posset eligere senatorem, Domnum Henricum præfatum contra plurium nobilium repugnantiam & obstaculum etiam Cardinalium aliquorum, qui jam aliquid de ipsius Domni Henrici fraudulenta voluntate conceperant, ad urbis regimen evocavit. Cujus vocationis solemnitas, etsi fuisset ante publicationem à pluribus impugnata, & multorum corda non immeritò duriùs pupugisset, tamen sub quadam fuit gratitudine generaliter ab omnibus acceptata. Venit ergo de Romana curia factus senator ad urbem, & aliquandiu stateram justitiæ sub æquitatis libra manibus suæ potestatis appendens, tandem corde & voluntate perversus,

via & moribus protinus regnantis abjectis, in arcum repentè convertitur inopinabilis pravitatis. Guelfis quidem urbis & amicis Ecclesiæ ac devotis in abundantia mollis promissi verbo tenus fellitum & venenosum poculum actualiter subministrat. Concipit iste similiter odia contra prædictum Regem Siciliæ, cui gradu attinebat consanguinitatis secundo; & suorum successuum felicium actibus invidens quærebat opportunitatem ut eum per viam aliquam posset perenniter exterminare vel lædere aut in regni possessione turbare. Prætendebat enim inimicitiæ causam adversùs eundem Regem se habere legitimam & motum sui animi fore justum, pro eo quòd eidem Regi, quando primò contra Manfredum inops & substantia tenuis veniebat, asserebat se non modicam pecuniæ quantitatem de proprio peculio mutuasse, quam dictus Rex ad fortunam veniens pinguiorem sibi, ut bona fide spoponderat, reddere contemnebat. Iis contra præfatum Regem, immo ex cordis iniquitate ac invidia provocatus, Corradino in Italiam venire disposito & parato se litterarum & nuntiorum destinatione confœderat, & ei posse suum ac Romanorum potentiam subsidiosè spondens contra Regem Karolum experiri, multis ipsum inductionibus ad celeriter veniendum reddit attentum, ostendens sibi mendaciter quòd adventum suum citum & Roma & tota Italia suspirabat, & asserens ei Gebellinorum saltem subsidia non posse deficere, astruebat eum omnino & infallibiliter Gallicos fore victurum. Ad hujusmodi igitur grandi exhortatione factum ac pollicitatione suggestum statim Corradinus, sollicitatis omnibus instantissimè qui ultro se promiserant venturos esse in Italiam cum ipso, gressus accitos magis accelerat.

Interea perfidus Christianus Domnus Henricus XXI

Odor. Raynald. an. 1267. §.19. vanè cogitans & attentans omnes nobiles urbis Guelfos una hora simul in Capitolio ad instar piscium, quando plures numero uno tractu retium capiuntur, fecit ad se prædictos nobiles proditoriè accersiri. Cùmque nobilium ipsorum alter alterius vocationem protinus ignoraret, quamplures intrepidi, sed decepti, Capitolium ascenderunt. Sunt autem prædicti nobiles Dominus Neapoleon & Matthæus frater ejus de filiis Ursi, Dominus Johannes de Sabello, Petrus Stephani, & Angelus Malabranca. Hos tantùm, qui nihil de excogitata fraude præsenserant, ad vocationem prædictam purè & simpliciter venientes statim Domnus Henricus cepit, captosque jussit in Capitolio pernoctare. Quibus in ipso captionis initio nullam vultu vel gestu formam turbationis aut alicujus asperitatis ostendit, immo præconceptæ contra eos fraudis pocula lenitate verborum sagaciter temperabat, verens, & meritò, ne propter hujusmodi captorum detentionem tam subitam seditiosus contra eum tumultus commoveretur in populo. Postquam verò dictos captos verbis assecuravit mellifluis, & pro certo perpendit quòd concitata propterea populi corda quieverant, ex eis aliquos, videlicet Dominum Neapoleonem & fratrem suum apud Monticellum, quod est castrum fortissimum prope Tybur, inibi moraturos in carcere ad suum beneplacitum destinavit. Et tandem, ut eos de stricta urbis extraheret, eosque posset liberiùs servare, apud Sarracinescum, quod est castrum Corradi de Antiochia nepotis quondam Frederici prædicti, jubet exacta custodia in arto carcere detineri. Verùm reliquis in Capitolio sic detentis, prælibatum Dominum Johannem de Sabello, de quo, cùm esset homo probatæ fidei, zelans pacem & tranquillitatem urbis toto mentis af-

fectu, nulla sinistra poterat oriri suspicio, receptis primò ad cautelam pro eo quibusdam fidejussoribus, & Luca ejus filio dato obside pro excambio, à carcere Capitolii relaxavit. Sed quia Dominus Rainaldus de filiis Ursi vocatus Capitolium non conscendit, immo se in castro Marini non sine audaci promptitudine receptavit, jamdictus pseudochristianus contra eundem Dominum Rainaldum duxit copiosum exercitum Romanorum, & castrum ipsum dura obsidione circumdat. Cùmque nequiret castrum ipsum, quod quamplures de urbe strenui Milites & pedites tuebantur, sicut firmiter credidit expugnare, redit ad urbem furibundus & fremens. At in urbe commorans, se non contentans in viros ecclesiasticos & Ecclesiæ Romanæ devotos manus immaniter injicere violentas, ad thesauros innumeros quos servabant Ecclesiæ sceleratas manus execrabiliter extendere non expavescit. Sunt enim Romæ diuturni mores quibus non solùm Romani qui aliquas pecuniarum summas modo quolibet aggregant, vel habent res alias pretiosas, quas propter latronum hostiumve incursus in domibus propriis conservare formidant, sed quamplures exteri & vicini libertatis petentes Romanæ suffragia, in monasteriis & Ecclesiis magna & multa deponunt peculia, quæ quandoque per longum tempus non requiruntur à dominis, considerato quòd in locis ipsis cum integritate ac tutela consueverunt deposita conservari. Ad hæc itaque diripienda deposita contra ipsarum Ecclesiarum privilegia libertatum prædictus Domnus Henricus anxiis instat conatibus totoque incenditur mentis ardore; sicque prædo securus Deum, Ecclesiam, & homines non verens offendere, loca depositorum hujusmodi quadam audet promptitudine temeritatis invadere. Hinc confringit sacri-

Odor. Raynald. an. 1268. §. 25.

legus ostia, hinc sacristias violat sceleratus. Hinc fur violentus aperit cavernas clericorum. Inde argentea vasa & aurea, inde sacras vestes & quæque pretiosa diripit & asportat. Proh dolor, Lateranensis, sancti Pauli, sancti Sabæ, sancti Basilii Aventini, sanctæ Sabinæ, ac aliorum monasteriorum & Ecclesiarum loca dolent & lugent suis disrobata depositis; & altis clamoribus conquerendo, pro voce dant gemitum, & pro illati doloris incendio suspiria & singultus. Orant ecclesiastici viri suppliciter, & has voces sub eulogio lugubris infelicitatis emittunt.

XXI. O infelix urbs urbium Roma, tot sanctorum patrum glorificis dotata reliquiis, tantaque gentium alienarum frequentia in tuis venerabilibus sanctuariis honorata, facta es nunc vicinis opprobrium & subsannationis illusio gentibus quæ circumstant. Venerunt inquam gentes in hanc sanctorum hereditatem, quæ in cordis insipientia Deum in sanctis suis esse non cogitant, dum diva templa polluere non formidant. Comederunt Ecclesiarum peculia, & loca desolaverunt ipsarum. Precamur ergo suppliciter nos peculiaris Christi & Ecclesiæ suæ populus, nos grex dominicus, & pascuæ boni pastoris oves, ut tu Deus ultionum dominus hanc tuam & Ecclesiæ tuæ temporibus nostris ulciscaris injuriam. In conspectu tuo sic gemitus expoliatorum introeat sicque oppressorum clamor ad sedem tuæ majestatis ascendat ut iniquitates istas, quas fidelis populus tuus à gentibus patitur quæ te non noverunt, provida clementia tuæ propitiationis aboleat & miseratio tuæ pietatis abstergat.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

JAM inter hæc Corradinus unà cum filio Ducis Austriæ quodam modo sibi æquævo cum Theutonicorum manu in Lombardiam de Alamannia venerat; ubi aliquantulum moram trahens, omnium fautorum quondam Manfredi patrui sui tam de Tuscia quàm de Lombardia recepit tunc & recepta meditatione diligenter recensuit quondam per litteras oblata subsidia. Demum verò, licèt oculo posset meditationis attendere quòd ad invadendum regnum & Gallicos in regno morantes illorum comitiva Theutonicorum qui sequebantur eundem non posset etiam triplicata sufficere, consideravit tamen quòd Gebellinorum usquequaque subsidiis, quæ tam à civitatibus & locis provinciarum ipsarum, quarum contra Regem Karolum videbatur pariter agi negotium, quàm etiam à personis spiritualibus, quas vel vicinorum invidia vel temporalium bonorum cupido coarctabat ad arma sumenda, & oblata & destinata demum fuerant Corradino præfato in uno & eodem exercitu contra Regem ipsum unanimiter animatis poterat cum Gallicis, qualibet succumbendi sublata formidine, victoriosè pugnare. Unde contra monitiones, mandata, & inhibitiones tandem expressas Romanæ sedis antistitis, cujus anathematis & excommunicationis sententias mente juvenili temerè in hac parte contempsit, Romam quantum potest citiùs venire festinat. Et ut fautoribus & complicibus suis ejus adventum expectantibus celerem motum animi sui promat, plus verbosis litteris plusque præconiis quàm pedibus molitur in jam deliberata vestigia. Cùm enim improbè suggerentium suasiones & stimuli fortiùs ad ultima fatorum judicia

I. *Odor. Raynald an. 1268. §.17.*

impellebant, eundemque incautum ſub deluſoria ſponſione belli detrahebant ad nubilum tenebrarum, ac ſub felicitatis oſtentamento futuræ debilem & inſanum in medium procellarum fluctuantium adducebant.

II. Fama igitur de prædictis ad Corradum Capucium & Domnum Fredericum, qui adhuc erant apud Tuniſium, evolante, ſtatim ſub favore illius Regis Tuniſii cum ducentis Hiſpanis, totidem Theutonicis, & quadringentis Tuſcis ſtipendiariis, quos in Tuniſio ad Regis ejuſdem ſtipendia commorantes avidos & ſpolia Siculorum aliàs hoc expertos temporibus retroactis eſſe repererant, in duabus navibus, in quas tantùm viginti duos equos induxerunt cum eis, multis tamen ſellis & frænis muniti, in Siciliam transfretarunt. Hos quædam terra quæ vocatur Sciacta, regalis dominii fide abjurata, primordialiter receptavit; ipſiſque à nonnullis Siculis, quos tanquam frequenti ſusceptione occaſionis exilis averſos adhuc ſpes vana fovebat, grandia exenia præſentantur, per quæ non modicum eorum debilis fortificatur adventus. Corradus igitur Capucius per totam Siciliam ſpargit litteras, & ſe illuſtris Regis Corradini vicarium in Sicilia generalem litterali fictione deſcribit, tales litterarum tenores inter alia intimando. Ecce Rex veſter citò veniet in celebri magnæ potentiæ majeſtate, in manu potenti & brachio excelſo nimis. Veniet inquam verax dominus, verus Rex, & vera ſucceſſio ad hereditatis ſuæ populum & patrimonii ſui gentem, quam immaniter opprimi à perſonis exteris & ignotis compatiens, de manibus adulterini Regis, qui regni non ſui poſſeſſione poſſeſſor violentus abutitur, eripere diſpoſuit, & ereptam in antiquis felicium progenitorum ſuorum libertatibus confovere. Hujus ſanè Corradi

Odor. Raynald. an. 1268. §. 2.

Capucii nuntios & litteras quamplura loca & nonnullæ personæ devotè recipiunt & Corradini adventum gratificant & acceptant : quæ quidem pervertentes illico mentis instabilis voluntates, jam ad Corradini nominis & honoris magnificationem aspirant. Sicque tota vallis Mazariæ, totaque vallis Noti, & ferè tota Sicilia, exceptis quibusdam locis insignibus, ut sunt Panormum, Messana, & Syracusia civitates, dictorum Corradi & Frederici beneplacitis, saltem nutibus, obtemperare videntur. Cùm quidam Fulco de Podio Ricardi, Provincialis natione, vicarius tunc in Sicilia Regis Karoli generalis cerneret Siciliam tam subitò seditiosa machinatione commotam, contra prædictos Corradum & Domnum Fredericum adhuc in Sciacta propter equorum paucitatem multùm debiles existentes amicorum & aliorum de contrata, quorum fraudulentæ voluntatis propositum & dolosi propositi machinatio detegi nondum poterat, exercitum per totam Siciliam congregavit. Verùm contra prædictos multi convenerunt in ipsius Fulconis auxilium: qui violata mente conflictum morantes intenti eum subacta denuo suasione confortant, hac consideratione potissimè ut ipsum sagaciùs & liberiùs pro voto possint adducere in præcipitium & ruinam, ac eundem & gentem suam in cibum & prædam esurientium hostium præparare. Ex iis profectò quamplures extraneas proditoriè fabricaverunt bannerias & falsa vexilla, ut descendentibus hostibus ad conflictum, ea in ipsorum hostium auxilium & exterminium reliquorum terga vertentes erigerent, & banneriis ac vexillis erectis, de amicis nova quadam mutatione facta subitò inimici gladios & lanceas converterent in amicos.

Hist. Siciliana di Buonfiglio pag. 262.

Factum est itaque quòd dum prælibatus vicarius III.

prope Sciactam magnum Siculorum exercitum congregasset, illorum potissimè qui vocati in partibus illis Ferracani contra reliquos appellatos vulgari linguositate fœtentes videntur fidem Regis Karoli profiteri, jamdicti Corradus & Domnus Fredericus cum equis & equabus quos & quas invenire tunc poterant in illo modici temporis intervallo versùs exercitum contra eos adductum quasi familiares hostes & inimici domestici appropinquant. Iis igitur infra ejusdem exercitus ambitum audacter subintrantibus loca castrorum, statim in ipso debili eorum aggressu, nullius tutela defensionis adhibita, Siculorum agmina fugam simulant & sparguntur, ac Provinciales in escàm hostium derelinquunt; ex quibus aliqui erectis falsis & fabricatis hostium ipsorum in ipsa fuga banneriis & vexillis, post ipsam simulatam fugam, cui se videbantur propter impugnantium formidinem commisisse, post commixtionem hinc inde jam factam intrant suorum agmina pedetentim, conversique repentè in arcum pravæ malitiæ, convertunt manus & dimicant contra suos. Vicarius autem se conspiciens sic subitò proditum & dolosè deceptum, dimissis papilionibus & tentoriis, farcitis harnesiis, fugæ non improvidè petit remedia, nec se voluit discriminoso certamini conscientia gravata committere, sed se suosque Provinciales à manibus invalescentium hostium eripere studuit fugiendo. Pauci demum ex omnibus lethaliter corruunt, quamquam & interfici & capi potuerint multi tam ex Provincialibus quàm ex Siculis supradictis. Sed hostes advenæ plus ad spolia, maximè ad capiendos equos, studebant quàm ad extinguendum morte taliter debellatos. Et quia inter exercituales catervas amicos ab inimicis distinguere non valebant,

cùm

cùm essent in loco ipsius exercitus pariter confusi & commixti cum aliis, quadam parcentes simulata pietate prostratos paucos vel nullos ad ultimum interitum adducebant. Verùm ablatis equis, quorum sessores sine personarum acceptione viriliter excutiebant à sellis ad terram, personas abire liberè permittebant. Replentur igitur advenæ spoliis, & qui res esuriebant refocillantur ad votum, qui erant pauperes fiunt dites, & pedites conscendunt equos ex debellatione sublatos. Jam nomen Corradini apud Siculos præclarum & celebre divulgàtur, ac ipsius & sequacium suorum vires virendo cotidie invalescunt. Discurrunt equitum comestabule per montana Siciliæ, & patentes ac parentes devotè sibi terras gloriosè subintrant. Inter famosas sanè terras & fortes ac utiles quas dictus Corradus Capucii subegit dominio Corradini sunt istæ præcipuæ, Agrigentum, Terra nova, Licata, Notum, Calata scilicet & Nicosia, Cathania, Augusta, Castrum sancti Johannis, Conturbium, Placia, & ultimò Lentinum, pro eo quòd Ferracanorum pars se in Turone ac castro Lentino in aliis partibus perdito receptarunt. Qui tandem Turonem ipsum, quod finaliter defendere non poterant, dimittentes, diù castrum jamdictum contra impugnantes exteros defenderunt. Interdum autem propter machinas & caveas subterraneas quibus effodiebatur funditus castrum ipsum, aqua perdita cisternali, castrum compulsi sunt reddere, salvis personis & rebus, instantibus inimicis. Iis itaque sic victoriosè agentibus, miserisque Siculis non sine dubia cordis perplexitate confusis, gravatisque ab amicis, & ab inimicis oppressis, meritò intra se nutantibus, cùm non invenirent quibus fiduciosè adhærere possent amicos, nisi quatenus anima peccatrix ad tartara tendens & patrem

ſub pietatis ſpecie impium diabolum habens ſub amicitiæ ſimulatione cruciantes eam reperit dæmones & tortores.

IV. *Hiſt. Siciliana di Buonfiglio p. 263.* Piſani interea Romam viginti quatuor galeas præmittunt armatas in ſubſidium Corradini, quibus Comes Fredericus Lancea præerat Capitaneus inſtitutus. Hæ quidem galeæ nonnullos regni Barones & exules in regnum devehendos excipiunt; fretaque petentes Gaietam obſident & circumdant ac damnificant quantum poſſunt. Multa enim Gaietanorum viridaria devaſtarunt, & apud Molas præcipuè arbores ſine fine pomificas & fructiferas ſecuribus, bipennibus, & aſciis exciderunt. Tandemque in Siciliam remigantes, quam jam ferè totam prædicti Corradus Capucius & Domnus Fredericus hoſtiliter occuparant, apud Milatium primordialiter applicarunt; ibique dictus Comes figens anchoras, rudentibus extenſis, ad terram deſcendit ad aridam, & quamplura caſtra in plano Milatii intercepit & munivit pro velle. Sed quia Comes ipſe Corradini ſe vicarium appellabat, Corradus Capucius, qui ejuſdem Corradini vicariatus nomen uſque tunc geſſerat, & Domnus Fredericus etiam, inter quos latens invidia ex ſociæ poteſtatis impatientia bulliebat, dolere vehementer ac invidere cœperunt & in pugnando tepeſcere, ac intra ſe nullis impellentibus aut prævalentibus contra eos debilitari ſegniùs & avelli. Cùmque prædictos & gentem ipſorum dictus Comes in ſui ſubſidium peteret adventuros, hac intentione commonitus ut ſe cum eo in plano Milatii jungerent & Meſſanenſem civitatem, ubi vicarius Regis prædictus cum multis Baronibus Calabriæ & nonnullis fratribus hoſpitalis ſancti Johannis Hieroſolymitani convenientibus ibi de toto regno Siciliæ morabatur, perterritam variis inſultibus

invaderent & per mare, Comitis ejuſdem vocationem non attendunt improvidi, & invidi plus quàm expediat, ſe cum eo jungere aſpernantur. Interea galeæ de Provincia viginti duæ Meſſanam jam veniunt, quarum dux & rector eſt Dominus Robertus de Lavena juris civilis profeſſor; cum quibus Meſſanenſes novem alias galeas armarunt illico, quarum fecerunt præpoſitum quendam Matthæum de Riſo civem Meſſanæ, nautam audacem & ſecurum in mari inter omnes alios de civitate prædicta. Sicque dum in auribus Militum qui erant Meſſanæ pro Rege prædictorum Corradi & Comitis Frederici plurimorum relatibus invidiæ nota jam crebreſceret, confortantur regii contra hoſtes, aliquali propterea animoſitate reſumpta, qui ferè præ timore facti erant exanimes, dum ſe perdituros finaliter autumant & perdendos. Propter quod conſilio inito Milites numero fortè ſeptingenti, computatis Provincialibus, Calabris, Meſſanenſibus, & fratribus prælibatis, de Meſſana pergunt ad planum Milatii contra Piſanos & Comitem memoratum; cum quibus Militibus una quaſi hora galeæ Provincialium & Meſſanenſium ſupradictæ junctæ ſimul illuc remo trahente feſtinant.

Cùmque jam utrinque galeæ Piſanorum & Provincialium ac Meſſanenſium per æquora plana de propinquo ſe cernerent, Piſani curſu hoſtes prævenientes audaci galeis obviant prædictorum; & ut meliùs inimicis obſiſtant dimicentque ſecuriùs, in altitudine maris ſupra galeas adverſariorum aliquantulum ſe impellunt. Contra hos Piſanos, qui videbantur jam fugere, galeæ Meſſanenſium fatuè ſe convertunt. Verùm Piſani galearum proras dirigentes ad terram per continuum violentumque remorum impulſum, galeis tantùm Meſſanen- V.

ſium ſe conjungunt, & ferè illas in ipſo lacertorum impulſu confringunt. Meſſanenſes autem credentes quòd Provinciales in hoſtes animoſos irruerent, quamvis concuſſi fortiter, ſe tamen conantur defendere ac reſiſtere ſicut poſſunt. Galeis autem Provincialium neſcio quo vano timore perterritis petentibus altum mare, ac nullis eos inſequentibus ad ſubſidia fugæ converſis, Meſſanenſium prædicti neceſſariò terga dant hoſtibus, & quaſi naufragi verſis puppibus obici terræ velut præcipitio voluntario ſe committunt. Unde Piſani novem galeas Meſſanenſium perſonis vacuas & octodecim in eis tantùm homines abjectæ conditionis & infimæ capiunt. Ex quo tantam ſumunt audaciam quòd non minus intrepidè quàm ſuperbè ad terram cum Militibus adverſariis pugnam quærunt. Milites autem prædicti attendentes quòd galeæ Provincialium fugerant, Meſſanenſes verò jam captæ erant, non immeritò tremeſcunt & dubitant, cùm ipſi tantùm de tota Regis parte in Sicilia ſupereſſent, uno nequaquam alterum expectante, nec ſuam banneriam ſubſequente, curſu continuo quaſi debellati, Meſſanenſem repetunt civitatem, mortificatis fugiunt artubus, & campum hoſtibus peditibus & marinariis derelinquunt, plus forſitan de civibus Meſſanenſibus dubitantes quàm de Piſanis prædictis, qui eos auſu temerario & non ſano inſequi pedites præſumebant. Demum Piſanis ipſis cum galeis ſuis trahentibus uſque ad portum civitatis præfatæ galeas ſic captas, Meſſanenſes prædicti, mentibus interiùs jam corruptis, mutuò ſibi invicem loquebantur, diſponentes in animo firmiter Militum prædictorum ſpolia, quorum occaſione galeas ſuas fore perditas occaſionaliter prætendebant, magnis auſibus occupare. Sed dum Piſani ex improvidi deliberatione conſilii ga-

leas Messanensium pridie captas in medio portus tentant igne succendere ac eas succensas igne acutissimo & volante unatim impellunt ad terram, ut per hoc naves existentes anchoratas in portu & domos ligneas in littore fabricatas comburerent, ac demum civitatem ipsam, cujus decor est abietum levigata lignamina & constructa, darent faciliùs in combustionem & cibum ignis, exiit subitus rumor in terra quòd Pisani Messanam student, si possint, incendere, ac quòd se, mulieres, & quæque pretiosa jactassent de terra ipsa sublaturos ad Pisas. Propter quod non solùm mares, sed & mulieres ipsæ, verbo rumoris invalescentis audito, ad portum properè pergunt quadam ferina furia comitati, & naves ac domos inchoant sic viriliter defensare quòd ex multis & variis Pisanorum contra ipsos Messanenses offendiculis præparatis summo studio non læduntur.

Verùm dum multa turpia & obscœna horribiliaque ac lethalia etiam undique per Siciliam peraguntur, dumque tota Calabria usque ad portam Rosseti rebellat, Corradini nomine invocato, Corradinus ipse jam per faciem summi Pontificis & Dominorum Cardinalium, qui in Tibure residebant, non erubescit cum copiosa Gebellinorum multitudine pertransire. Veniens igitur per Tuscanellam & Vetrallam, Viterbiensem exercitualiter calcando districtum, cum immensa honoris & magnitudinis gloria pomposè ductus est Romam. Priùs quàm tamen urbem Corradinus introeat, ejusdem urbis populus, qui naturaliter imperialis existit, adventus Corradini diem constituit celebrem & solemnem; & Domni Henrici senatoris ordinata persuasione devictus eidem Corradino extra urbem adeo munitus occurrit quòd contra venientem exercitum velle pugnare ac ei obviare hostiliter VI.

potiùs videbatur quàm pacificè intra terram admittere seu cum exultationis gaudio introducere, sicut per dictum populum fuerat ordinatum. Ora tamen quilibet relaxabat in jubilum & in laudem, armata capita herbis & floribus adornantur. Milites ad hæc omnes se accinctos similiter stimulantes ad pugnam cum senatore prædicto distincti more confligentium per cohortes ex tunc extra muros & in pratis sancti Petri sub monte malo cum dicto populo subsistentes ordinati per acies singuli novis & festivis tripudiis exultantes Corradinum venientem expectant. Quòd autem populus Corradino exiret obviam sic armatus, senator prædictus non sine præmeditata astutia ordinarat. Intendebat enim per populum ipsum militiam urbis quantam in urbe posset ostendere, quòdque universaliter daret credere quòd Romanos omnes promptos & paratos fidelibus & devotis animis habere senator ipse poterat contra Regem, ac per hujusmodi ostentamenta pomposa & fallacia Romanorum prædictorum dicto Corradino patefaceret voluntatem. Nihilominus tamen tripudiantium militum agmina vestium pretiosarum diversorumque colorum desuper arma varius habitus distinguebat. Quodque magnum est & auditu mirabile, mulierum choreæ ludentium intra urbem in cymbalis & tympanis, lituis & viellis, & in omni musicorum gerere concinunt. Volentesque suarum pretiosarum rerum abundantiam, quam plerunque sequitur voluptas, ostendere, de domo in domum in oppositum consistentem jactatis ad modum arcus aut pontis chordis & funibus, vias medias desuper, non lauro vel ramis arboreis, sed caris vestibus & pellibus variis velaverunt, suspensis ad chordas strophæis, flectis, dextrocheriis, periscelidibus, arbitris, grammatis, armillis, frisiis,

& diversorum ac pretiosorum anulorum appensione, diadematum etiam & fibularum seu monilium, in quibus gemmæ fulgentissimæ relucebant, bursis sericis, cultris tectis de piancavo samito, bysso, & purpura, cortinis, toualiis, & linteaminibus contextis auro siricoque per totum, junctis velis & palliis deauratis, quæ doctus opifex citra & ultra mare de diversa & operosa materia caraque texuerat. His igitur ornamentis omnes ferè urbis viæ per quas Corradinus erat vadens ad Capitolium transiturus taliter adornantur. Nec fuit aliqua illius pompositatis & gloriæ comparatio quando Romam Regem Karolum venientem universaliter exceperunt. Nunc enim altera partium ejecta erat ab urbe. Propter quod ab iis qui remanserant quicquid factum est solemnitatis & lætitiæ die ista & cordis affectu & ex animi liberalitate seu mera voluntate processit.

Ecce jam Corradinus in pratis Ecclesiæ. Ecce venalis gens urbis plebs Gebellinica non sine impressione fastuosa & austuoso compulsu ad lora dextrarii Corradini festinat, & quilibet in hoc, ut major appareat, nitens alium prævenire, eundem Corradinum è vestigio pedes dextrare satisfcitur, & eum intra terram conducere satagit, sperans laudis plus aliquid promereri. Ingressus est itaque cum suis pompaticè Caveam civitatem, quæ frequenter libertatis antiquæ pudicitiam violando, actu meretricali verisimiliter prostans adulteranda cuilibet venienti domino impudenter se exhibet ac ultroneam se exponit; ibique adversùs Regem Karolum de tota Italia convenientibus Gebellinis, Corradinus ipse, Domnus Henricus Dux Austriæ, Comes Galvanus, Gomes Gerardus de Pisis, Comes Guido de Monteferetro, Corradus de Antiochia, & capita Gebellinorum urbis, videlicet Ja- VII.

cobus Neapoleonis, frater & filii Aniballensis; Comes Alkerucius de sancto Eustachio, Stephanus Normanni, Petrus Romani, Johannes Arlacti, & Surdi omnes, etiam quorum Raulus per Manfredum quondam Comes fuerat factus Cathanensium, necnon & multi Milites & Barones Theutonici, Lombardi, Tusci, Romani, & exules regnicolæ viri famosi, pluresque quos fama celabat obscura, consilium contra Gallicos inierunt. Sed & juvenilis mens casus incauta futuros prævidere, tanquam familiariter decepta, non poterat qualiter ille iniquitatis filius auctor totius sceleris & nequitiæ perfidus pseudo Domnus Henricus senator immo veriùs prophanator urbis clam & fraudulenter condita deliberatione proposuerat cum Galvano & quampluribus optimatibus fraudulentis, qui hac intentione Corradini sequebantur exercitum ut Rege Karolo, sicut tenebat firmiter, expugnato, & Gallicis juxta Gebellinorum vana figmenta devictis, infelicem Corradinum, qui per omnem modum tendebat ad interitum & ad malum, ad Ducem Austriæ cum quibusdam magnis viris de Alamannia comitibus & custodibus dicti Corradini proditoria insultatione perimerent, & tanquam familiares hostes improvisos, miseros, & incautos immaniter adnullarent, sicque prædictis crudelis ausus improvisa peste peremptis, Domnum Henricum prædictum in Siciliæ Regem inungerent, totiusque regni sibi traderent dominatum. Hac igitur machinatione dolosis per totum fabricata propositis habere per Cellas in regnum duces exercitus Corradini primum disposuere congressum. Sed antè quàm rem optatam se obtinuisse lætentur, fiunt in rebus dubiis Barones, & Comites distribuuntur, victoriæ nondum habitæ vel possessæ fit perpetua comitatuum & feu-

dorum concessio, & in sortem propriam quilibet ex Gebellinis gratiam sibi de regni possessionibus pragmate concesso receptam ante horam dinumerat & recenset. Hæc est ambitio cupida, quæ & exorbitat in virtute propria, & perenniter cruciat quemlibet ambientem.

Egreditur jam urbem plebeia multitudo, ac nonnulli magnates & equites alii cum eadem; & per duas dietas quibus tantus potuit ire conventus plebs Gebellinica exercitum sequitur Corradini. Sed ex condicto & deliberato inter duces exercitus majorem partem Romani populi commeat eis data licentia, iis duntaxat retentis qui magis videbantur sub Gebellinicæ devotionis zelo fervere de magnatibus urbis. Ii secuti sunt usque ad ultima facta casualia Corradinum. Petrus Romani prædictus, qui pridie Regi Karolo adhærebat, nunc verò opportunitate captata magnæ & apparentis potentiæ Corradini, quæ videbatur usquequaque perpetuò valitura, occasionaliter mutato proposito, ac rupto fidelitatis fœdere, quo se Regi connexerat prælibato, ad devotionem fuerat Corradini conversus. Cum hoc quidam Alkerucius de sancto Eustachio vir animosus & valde pugnabilis, & Stephanus Alberti, cujus animus nondum bellica fama claruerat, & Dominus Johannes Caporelle vir senex, qui jam armis cedere poterat & debebat, Dominus Neapoleon filius Domini Jacobi Neapoleonis, Dominus Ricardellus de Aniballensibus, & quidam Petrus natus Domini Johannis Arloti, multique alii Milites & Equites cum eisdem voluntariè contra Regem festinant in regnum quasi duces & rectores Romuleæ multitudinis popularis. Catervis igitur gentium diversarum nationum cum Corradino convenientibus in Aprutio, exercitus totus hujusmodi castrametati sunt per loca districtus VIII.

Allæ; ibique de prope Rex prædictus cum exercitu substitit Gallicorum, habens secum Provinciales innumeros, regnicolas etiam aliquos & Romanos. Quidam enim Miles strenuus de filiis Ursi Bartholomæus nomine, ac Anibaldus qui dicitur Marchio vir amabilis & studens præ cæteris illis de sua progenie bonitati, regium animosè sequebantur exercitum & juvabant. Sicque præ multitudine hominum, quæ dinumerari non poterat, continuus & validus in castris clamor aderat hinc & inde: qui adeo per cymbalorum tinnitum & sonitum tympanorum tubarumque clangorem invalescere denuo nitebantur quòd voces hominum non patiebatur discerni. Sed omnes omnium voces & strepituum sonitus & clangores in aëris suscepta cælo nova quadam mutatione in extraneum sonum conflati, non solùm homines, sed & creaturas cælestes velut grandia tonitrua reverberationibus inculcatis poterant commovere. Sanè utrinque magna erat aviditas confligendi & tanta quippe quòd modò Milites, modò pedites manualiter singulari concertatione se jungunt &, ut ita loquar, frequenter pallocticia faciunt singulariter & confligunt, quòdque quanto magis alter alterum invadendo tentabat, tanto plus crescebat audacia magisque nitebatur pugnandi voluntas, procliva fervescere & acui animositas alternatim.

IX. Constituit igitur Rex Karolus non sine magna bellicæ sagacitatis experientia tres Militum acies. Prima fuit Provincialium & quorundam Romanorum, quibus primus est indictus aggressus. Secunda Gallicorum quamplurium, qui sub stipendiis militabant. Tertia fortassis octingentorum nobilium strenuorum, qui totum Regis, si expediret, exercitum poterant relevare ruentem. Primæ præerat Jacobus de Gaucelmo, secundæ regius Maref-

callus, qui Regis Karoli verisimiliter simulabat personam pro eo quòd ejus receperat coronatoria munimenta & insignem sedebat sonipedem phaleris more regio & coopertaris ornatum. Tertiæ, quæ continebat electos, Rex ipse constituerat se ductorem. Prima petit vasta campestria, secunda ordinata collibus curvis insidet ut succurrat, tertia post colles densis cinctos nemoribus velut canis catenatus mugitu bovis audito fremescens adversariorum zelabat aspectum; ut si videretur expediens, opportunè prodiret in campum & improvisos adversarios offensaret. Ex adverso Corradinus duas tantùm suorum militum fecit alas, primam quorum militum aciem sequebantur Hispani qui fuerant cum Domno Henrico profecti, hanc etiam & Lombardi, quorum dux erat Galvanus, & eandem Tusci sub ducatu Comitis Gerardi de Pisis. Hæ quidem gentes agrestes ex tribus nationibus sic collectæ densatim turmam in altitudine facientes, dum sese in campis glomerant, constituunt se ipsas inexpugnabiles & fortissimas ad cujuslibet discriminis prœlium sicut murum. Vires enim expertas habebant, & promptos & audaces quasi animos ad pugnandum. Secundus verò exercitus Corradini manipulus de clamorosis in bello Theutonicis congregatis sub nutibus Corradini, Ducis Austriæ, ac quorundam Baronum de Alamannia solitæ audaciæ moderabatur habenas. Ex prædictis igitur directis ad bella manipulis non vana resultat credulitatis opinio quòd si cum illis tribus aliis quas Rex constituerat sæpefatus sola prima Corradini acies conflixisset, sanguis Gallicus, bellò totaliter perdito, humum & herbas desuper faciliter & absque resistentia finaliter madefacere cogebatur. Sed frustra intentatur aliquid invito numine superno.

X. Demum ad hæc cohortibus alternatim ad bella dispositis, & certis signis concertantium moribus habitis hinc inde statutis, tubæ vicissim sonitum dant terribilem, concrepant cymbala, cælum remugit clamoribus, & terra resonat quasi concussa clamoribus tonitruis. Primæ etenim acies stabilitæ sub prædictis signis camporum spatia repentè corripiunt, & effusi per jugera equites sicut nimbi continuò voces cum viribus efferunt, & limites datos per exercitus præsides utriusque transilientes, cum furia pugnam usquequaque lacessunt, & dum ex præconcepta furoris iracundia naturalis vim animus excitat, vires ex ira colligunt, quæ illas nonnunquam & in debilibus subministrat. Ex iis ergo aspera pugna surgit. Manus enim immiscent manibus, & alterna brachia per aëra jactitant, frequenter auras vacuis ictibus verberantes. Multa inter se vicissim dant vulnera viri compugiles bellicosi, & aliqua lateribus cavis ingeminant, pectoraque faciunt munita hinc inde sonora. Discunt armatæ genæ frequentibus crepitare sub ictibus, eratque circum aures & tempora crebra & instans percussio fortium bellatorum; ac nunc dextera, nunc sinistra vicissim actus sonoros inculcat, nec nulla data mora vel requie creber miles alter alterum nimborum densitatis ad instar, qui cùm ad tecta & culmina defluunt cum grandine concrepant ictibus densatis, impellit & pulsat virosis impulsionibus atque versat. Inde est quòd ex confligentibus hic de equo ad terram excutitur & in spisso jacet pulvere convolutus, hic caput in sella ex utraque parte rejactans jamjam sui casum dubiè comminatur. Hujus collapsa cervix pendebat in humeros. Alius cruorem evomit ex ore vel naribus defluentem; aliusque cum sanguine dentes mixtos emittit. Alterius ad terram cerebrum & intestina

ſparguntur. Et dum utrinque fiunt acriores ex pugna, neque aſpectis vulneribus deterrentur, nonnulli vitæ ſpiramina derelinquunt. Sicque cæduntur duces & præſides, ac innumerum ſine nomine vulgus cadit. Et dum Provincialium acies, quorum jam multi corruerant, hoſtibus terga dediſſet, per ſtipendiarios Gallicos, qui ſecundam regii exercitus aciem faciebant, manipulo primo ſuccurritur fugienti. Denſatur bellum, & bellantes invicem ſe perurgent. Miſcentur ſine diſcretione compugiles, & ſolum vocis ſignum hoſtes diſcernit ab hoſtibus, cùm facta eſſet hinc inde commixtorum militum una maſſa. Rex autem de ſpecula collium, quorum ſummitatem ut pugnam cerneret aſcendebat & deſcendebat, dubius intuendo prædicta frendebat dentibus & mente tremebat, necdum in campum pugnæ prodire tentabat vel æquo campo ſe dare. Sed dum ex mora ſuperbiam colligit, ſpiritum affectu confligendi fatigat, & aſper natura ſui conceptâ verò improbat, caſtra intuens, abſentes arduo cogitatu ſæviebat in hoſtes. Itaque ſecum igneſcente .... ardens dolore medullitus nondum videt qua ratione tentet aggreſſum, quamquam ſuis electis commilitonibus amor in bella ruere unus eſſet. Conſiderabat enim adeo adverſariorum acies multitudinis robore fore firmas quòd electorum ſuorum paucitas hoſtilium gladiorum illa hora non ſuffeciſſet ad cibum. Nondum enim ſuas direxerant intentiones ad ſpolia, ſed adhuc ad pugnandum vivacibus animis intendebant. Hiſpani adhuc, cùm ad torquendum hoſtilia lacertos agiles habere dicantur, nonnunquam lacertis adductis in girum, vibrando lanceas compellebant haſtas ociùs volare per auras, quandoque hoſtium obviantium transfigentes præcordia fixo ſcuto. Sicque dum hujuſmodi per diverſa camporum loca geruntur,

omnis multitudo pugnantium frementibus cedit Hiſpanis & aliis de prima acie ſupradicta. Provinciales autem & globus eorum quos nequaquam attingere potuit gladius inimicus fugam quantum poterant celebrabant, alii per ſilvas, aliique per montes, alii ad nota, nonnulli per ignota devia fugientes; & dum quidam extranea petunt divortia, ii per ſilentia loca errant; illos nigra ſalvat horriditas, alios incalcata ſemita calles devehit per occultos; nonnullos verò per ignotam viarum regionem pavor obduxit. Verùm ſi convertant ſe aliquando fugientes, dum denſitatem inſequentium conſpiciunt, retrocedunt frequenter actores vulnerum propter manuum ſpiſſitudinem non videntes. Fugiens inquam Jacobus de Gaucelmo Aquilæ ſubſtitit, & alii per loca diverſa excedentes à caſtris, tuta capeſſunt receptacula, ſi qua poſſunt, plenaque vaſis argenteis, armis, tapetibus, & rebus decoris innumeris tentoria Theutonicis derelinquunt. Omni ergo Corradini exercitu per apertos campos effuſo, per caſtra pavida fama volavit quòd primatibus exercitus Regis Karoli una cæde peremptis, Rex ipſe Karolus captus erat. Tunc enim Mareſcalcus ſuus erat manibus hoſtium interceptus, qui ſub eiſdem regiis armaturis eximias induebat, quem Corradinus contra honeſtos mores pugnantium, qui proſtratis & captis ſibi invicem parcere didicerunt, de Comitum Lombardorum conſilio infra ſepta caſtrorum fecit durante certamine capite mutilari. Ex quo veriſimilis fama reſultans faciles aures mendacio magno replevit, immo ut publicum & notorium deferebat quòd Rex capite fuerat mutilatus. His & aliis vanè replentur caſtra mendaciis. Ingentique cæde peracta Corradini deſ.... quæſitis ſpoliis & tanquam victores ſpoliis gratulantur & præda.

Verùm legione quasi tota Germanorum sub triumpho campis castrametante, staretque hujusmodi concertatione sopita peditum multitudo hastis in medio castrorum & campi longis annixa, quibusdam nihilominus qui fuerant per plana diffusi castra repetentibus hostium propter robam, quidam immani corpore Miles nomine Erardus de Valeri latos habens humeros & membra nervis compacta fortissimis caput in altum extulit circum colles, Regique proloquitur, & electos quos collium occultabat curvitas non exclusit. Ait enim. Nunc videndum est nostra si fortis sit dextera. Nunc castra sunt inimica petenda. Ipsa namque res facti nos ad bella vocat. Ad præsens ergo agmina secura hostium invadamus. Nam campus nobis hodie triumphantibus remanebit. Nulla discrimina video in pugnando. Sed neque in fuga spem vivendi suppono. Tu enim, Rex, hic tot es electis Militibus comitatus quòd dummodo ampla pugnandi trahamur deliberatè cupidine, leve est audere quod placeat. In hostes ergo statim medios irruamus. Rex verò novo aspiciens hostes tripudio congaudere, suosque partim cæsos, partim extra castra fugatos, nulla suorum signa superesse discernens, quamquam illius Militis grata voce consotus, mentis robur sub ambiguitatis tantæ perplexitate reciperet, vultum tamen & ora lacrymis defluentibus irrigabat, voce orans hoc modo submissa. Deus, sub cujus numine gens Gallica semper pugnat, non patiaris nunc Gallicos tuos animo deleri, sed exhibe nobis ex his improbis hostibus hanc tantam miraculosè victoriam ut jugiter, sicut solemus, in tuis possimus laudibus delectari. Sed, ô vos præsentis fortunæ comites, sine quibus nec volo nec possum nancisci gloriam, habete pro constanti quòd si nos hostes hos agrestes hac vice XL.

superare contigerit & sceptrorum solitis fascibus repotiri, non solùm ad participium laudis & gloriæ conquisitæ, sed in virilem sortem vos recipiam obtentorum. Tremefacti sunt igitur nutu Regis astantes, & aiunt. Mori hodie pro justitia regia magnum pretium reputamus. Honorem hunc vita nostra bene emi credimus, si contingat. Animos enim habemus pro hac re lucis, si expediat, contemptores. Te Regem usque ad interitum prosequemur. Verùm si quis, quod absit, casus nos præcipitet, rapiat in adversum, te tantùm optamus, cujus est vita dignior, superesse.

XII. Confestim igitur jussu Regis, cujus præsentia nimirum Comites urgebat electos, concelerant simul invadere jam securos, Regemque horrifico fremitu consequuntur. Hic in omnem casum pergens audacior, premendo vocem, & fremendo, vestigiis ad castra currebat adversa, & fulmineum ensem non segnis educens, veluti lupus impastus, cui famis impatientia jubet fauces sanguine cruentare, plena hædis & matribus turbat ovilia, ea parte prosilit & aggreditur hostes qua ingens adversariorum globus super recensendis spoliis imminebat. Ruunt & electi cum ipso, ac ingentem molem hostium voluere & subvertere collectis viribus subnituntur. Cogit ergo Rex socios galeatos in prœlia & galeis coruscantibus cristata capita simul angit in hostes. Tendunt electi quà densissima hostium coassantium agmina juncta vident. Superbum ad hæc Galvanum, cujus aviditas tantùm ad spolia intendebat, Rex juxta tentoria regalia subsistentem & mirantem varietatem & multitudinem spoliorum adducto ense congreditur. Sed quia Rex de casu sinistro denuo metuebat, voce pressa dicebat ad Comites. Vos autem ne aliqua manus vobis se à tergo possit attollere custodite. Latè igitur

tur Corradinides consternuntur, nec tamen electis sufficiunt sœpefatis, eorumque arma resolvuntur & tegmina, & terra madet atro ipsorum sanguine tepefacta. Trunci jacent acephali, manante cruore lethaliter singultantes. Ferro gens exscinditur scelerata, & transadiit ultra costas. Alterius pectus ad terram tepidum singultibus longis pulsat. Sed dum frustra quidam in excidio fugam tentant, est qui post eos acclamet. State viri. Ad quid venistis, quidve in armis estis assumpti? Quæ fuit causa viæ, & quæ est causa fugæ tam subitæ? Sed fugientes nihil è contra reddunt. Immo celerioris fugæ præsidio se committunt. Relinquunt inviti occupata spolia, & propria non reportant. Fugit & ipse pseudochristianus Henricus. Sed frustra tentat in malis fugam. Nam licèt pugna relicta fugerit à facie hostium inermis, tamen latitans capitur per quendam Abbatem monasterii sancti Salvatoris prope Reate; quem ipse Abbas tradidit Romanæ Ecclesiæ, quam idem Henricus lacessere vanè studuerat & turbare. Demum tenendus citra mortis periculum Regi Karolo assignatur. Galvanum & filium, Corradum etiam de Antiochia, Gallica manus victoriosiùs apprehendit. Tandem Galvani filius, patre præsente ac similem sententiam expectante, capite mutilatur, ut filialibus pœnis aspectis, paterna viscera mœroris magis crucientur angustia, majorique cruciamine comprimantur, parque mors vel sententia expectata sola consideratione paternum animum magis affligat magisque terreat & conturbet. Corrado verò de Antiochia post tempus ad magnam reverendi patris S. Gaietani sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis instantiam vitæ beneficium indulgetur, & pro excambio Domini Neapoleonis & Domini Matthæi fratrum Cardinalis prædicti, qui apud

castrum Sarrascinesci sub uxoris ejusdem Corradi custodia tenebantur, à Gallica potestate subducitur & Ecclesiæ Romanæ donatur.

XIII. Corradinus infelix, cujus ante annos anni virilis satis cura premebat, ducatu quorundam de urbe nobilium levis immo rebus quibuslibet vacuus vel evacuatus potiùs & exhaustus unà cum Duce Austriæ, Comite Geraldo de Pisis, & quampluribus suæ gentis primatibus versùs Romam attonitis sensibus accelerat fugiendo. Ibi enim Comes Guido de Monteferetro remanserat vicarius ordinatus. Sic itaque post fugatam partim partimque cæsam legionem Corradini secundam, nonnulli de prima acie, qui Provinciales & alios de manipulis duobus exercitus regii fuerant insecuti, ad castra miseri redeunt vana cogitatione decepti, nescientes adhuc quòd campus Gallicis remansisset. Hos enim catervatim non creditam incautè redeuntes ad mortem Gallica manus intercipiebat immaniter, nulli vitæ veniam indulgendo, sed extrema æquando, fata repetentis castra cujuslibet pari pœna & redeuntes quoslibet æquo cruciamine exscindendo. Quosdam verò ex Romanis Achivis, qui nonnunquam delirantibus dominis varia pœnarum inflictione plectuntur, postquàm in ferocitatem concitatam sævè Gallicam inciderunt, Rex in signum & memoriale ejus quòd perversis volubiliter animis, fide abjurata qua Ecclesiæ tenebantur & sibi, attentaverant temerariè contra eum, fecit obtruncari pedibus. Et tandem considerans quòd ex hujusmodi aspectione opprobrii Romani poterant provocari, usus consilio saniori glomeratos reductosque infra septa cujusdam clausuræ murorum fabrica circumquaque vallatæ incendio tradidit & igne consumpsit. Cœpit igitur de victorioso Regis triumpho fama crebrescere, quæ

volando denuo succrescebat. Unde rei veritate urbis patefacta magnatibus & inferioribus etiam reserata, Gebellini suos deplorant amissos, cæsosque recenseat qui fuerunt pridie bello perempti. Hos enim præter alios prædictos cara ulteriùs uxoria non expectet affectio, nec thorus ultra repetat conjugalis. Videlicet Stephanum de Alberto, Alxerucium & Johannem de Caporella, cum quibus in bello sine nomine multitudo peditum Romanorum irrevocabiliter est collapsa. Petrus verò Romani Romam rediens non incolumis, sed Gallicorum ingentibus ictibus malleatus, per modica vivens tempora, prætextu receptorum munerum & illa occasione ante fatalem diem mortis morsibus expiravit. Quidam etiam Cinthius de Cerinis, quem una fides, una perfidia, unaque passio eidem Petro conjunxerat, contusus membra per totum recuperare nunquam potuit sanitatem, sed ex eo lucis omnino factus est expers, continua valetudine maceratus.

Corradino itaque, cui nullum post devictum à Gallicis bellum remansit amicus, urbis petente tutamina, Dominus Johannes & Dominus Pandulfus de Sabello, Dominus Bertholdus, qui tunc de bello redierat, intrant hostiliter urbem, multis paribus & imparibus sequentibus illos Guelfis, & Gebellinorum trepidantia & infestis rumoribus corda turbant contra hostes bella, inter cives verò seditionem studentes ex deliberatione movere, nihilominus tamen Corradinus, qui pridie patenter & pompaticè cum immensa urbem occurrentis populi gloria introierat, deposita pompa potentiæ, non ut præses, sed ut prædo relicta præda diffugiens, latenter ingreditur mente captus. Sed Gebellinis considerantibus quòd eorum jam posse concusso, de facili Corradinus poterat Romæ capi, XIV.

quòdque ibi vires nullas resumere poterat, suasione suorum, quibus nihil de animositatis virtute remanserat, sed nec de viribus quicquam, marina diffugit ad littora, credens pervenire usque Pisas incolumis, ibique aliquibus viribus restaurari. Sed multos sua fallit intentio, & spes quandoque consuevit evanescere præconcepta. Comes namque Gerardus præfatus in urbe latitans incidit in laqueum quem timebat. Hunc enim manus Guelfa comprehendit & tandem exhibet dicto Regi.

XV. Corradinus ad hæc cum Duce Austriæ sibi fortassis æquævo, quos forsitan & æquabat justitia, cum quibusdam etiam aliis proceribus, quos à belli discrimine una fuga subduxerat, quandam apud Asturam saguntiam, fortuna undique sibi non vetante, conscendit, & vitæ suæ volens experiri residua, remeat versùs Pisas. Verùm dum quilibet de more struit insidias & parat offendicula debellatis, ac sicut canis grege præposito cervum sagittatum duntaxat latratibus impetit fugientem, sic nonnulli, qua nescio ducti cupidine quove spiritu vel affectu, dum non absque dolo student semper victricia signa sequi, ardent potiùs in afflictos ab atrocitate insequentium jam seductos. Inde est quòd infelices & incauti, jam credentes hostium evitasse sævitiam, quadam extranea pietate vel impietate potiùs novos inveniunt denuo inimicos. Sicque quidem de magnatibus urbs nomine Johannes de Frangipanis dominus prædicti castri Asturæ credens non rectè fecisse quòd Corradinum sic impune abire liberè permisisset, dum sibi & Regi placere desiderat, à quo magna sperabat pro magnis ausibus obtinere, armat aliam saguntiam, & Corradinum multipliciter fatigatum multoque metu confectum insequitur & invadit, capit, & reduxit ad terram. Sed heu inquam ubique pericu-

lum expugnato. Vitans enim terrarum discrimina, in vastitate maris foveam reperit ubi cadat. Johannes itaque prædictus ad terram rediens nova sicut venator gaudet lætitia capta præda, sperans, sive tendat ad dexteram sive ad sinistram declinet, affectatis in omnem eventum repleri muneribus & pretio propterea magno dotari, sive Regi placitam & perquisitam velit prædam assignare quam ceperat, seu suæ restituere libertati. Verùm Robertus de Lavena Capitaneus galearum Provincialium, quæ pridie, sicut vidi, & duraturum testimonium profero proloquendi veritate suasus, satis viriliter fugerant, quoniam ad eundem Robertum captionem hujusmodi novæ prædæ fama perduxerat, comites galearum totumque stolium cogit ad terram, volens saltem per vim, si valeat, ab eodem Johanne subducere & extorquere concaptos. Ipse verò Johannes, qui nec liberare nec tradere prædam disposuerat nisi magna priùs foret mercede dotatus, Corradinum & alios illaqueatos taliter ab eodem ut exhibere prædam hujusmodi dicto Roberto cogi sine grata & sperata pactione non posset invitus ad quoddam castrum de prope forte transvexit. Angitur ergo in castris & angustatur obsidione nautarum. Ad quam obsidionem fortiùs perurgendam Dominus Jordanus de Tarracena Cardinalis, qui officio rectoriæ comitatus Campaniæ per sedem apostolicam fungebatur, cum equitum & peditum comitiva convenit. Demum verò dictus Johannes, tum pollicitationibus amplis illectus, tum inductionibus terroreque devictus, nec minùs interea morem gerens, non propriam restituit prædam venatoribus venantibus prædam suam. Tunc sanè, sicut creditur, dictus Robertus abolevit infamiam qua de fuga Siciliæ turpiter poterat annotari, tunc maculam infamis annotatio-

nis exterſit, & regium meruit rehabere favorem, quem aliter credebatur forſitan perdidiſſe. Excepit ergo captos ſæva manus Regis & dira cupido, manditque pro voto de venatione quæſita, & pro libito veſcitur rebus optatis; ac dum omnes reputat inimicos in ejus potentiam jam concluſos, jubilo confunditur gaudiorum. Ut autem ſine dilationis mora, quæ parit plerunque periculum, faciat Rex de vitulo ſuperſtite victimam, Corradinum recognoſcentem ſœpius contra ſuam matrem Eccleſiam deliquiſſe, nec minùs contra Regem ipſum vehementer erraſſe, procuravit per quoſdam Eccleſiæ Romanæ Cardinales illuc propterea per ſedem apoſtolicam deſtinatos abſolvi, & tandem vinctum perducit uſque Neapolim, ut ibi ſecundùm legem eum faciat judicari. Corradinus ſanè terrore mutus & metu nihil audet palam temerè proloqui nec ſecum infelici dolere de caſu; ſed tantùm pia matris recenſet viſcera, & futurum in eo gemitum matris deplorat. Ha ha, inquit, ô genitrix, me miſſum ad tanta pericula quaſi caſus filialis prænuntia deplorabas. O ſola mea requies ſenectutis. O unica vitæ ulterioris fiducia. Me ſolam qualiter derelinquis. O cara mater. Utinam, ſi ſuperſunt aliqua de avulſa felicitate reliquiæ, miſera miſeræ ſimul fandi copia traderetur. Sed héu infelix ex caſu tam graviſſimo Corradinus oppreſſus motu & ſenſu penitùs deſtitutus, ejus quod egerat illico pœnitens, vultus colore mutato, quaſi ſentiens ſibi vicinæ mortis periculum imminere, dolet ſe lethiferum recepiſſe morcellum, quem adhærentem jam gutturi non potuit deglutire.

XVI. Rex autem ex generoſis civitatibus terræ Laboris & principatus ſyndicos duos bonos viros ex qualibet terra pro Corradini ſententia Neapolim convocavit, ut non ſuum quod acturus erat de Cor-

radino judicium videretur, sed potiùs hominum de contrata. Fortassis enim circa hoc conscientia mordebatur, quòd eum captum de jure non posset ultimo damnare supplicio, qui ejusdem Regis hostis fuerat manifestus. Sed volebat quòd prædictorum periret judicio, & eorum sententia sanciretur quorum spolia occupare & temerariè arripere intentarat. Factumque est ita quòd contra Corradinum, Ducem Austriæ, & Comitem Gerardum de Pisis apud Neapolim mortis est sententia promulgata; ibique in campo fori juxta Eremitarum locum, cujus à sinistris via media sunt cimiteria Judæorum, capitibus obtruncantur. Corradinus inquam antè quàm hujus mortis calice potaretur, existens juxta passionis locun damnatus, dum sæva moraretur in manu lictoris, non voce querula.... Sed ad cælum jungebat palmas, mortemque inevitabilem patienter expectans suum Domino spiritum commendabat; nec divertebat caput, sed exhibebat se quasi victimam, & cæsoris truces ictus in patientia expectabat. Juvenili ergo sanguine in poculo crudelitatis absorto, ad terram dejicitur pueritia, & perdita est juventus. Insignes trunci jacent exanimes, & dilapsæ cervices & capita sine voce. Madet terra pulchro cruore diffuso, tabetque juvenili sanguine cruentata. Jacent veluti flos purpureus improvida falce succisus. Decori artus acephali non tumulantur, sed humantur corpora sic obtruncata. Lapidum cumulus objicitur loco tumuli, cujus eminentia usque hodie subterratorum ostendit cuilibet sepulturam. Quamquam habet opinio plurimorum quòd fratres illius loci vel ex devotione vel pietate materna ducti, seu prece pretiove commoti, ossa Corradini clandestino exhumaverunt, matri miserabili destinarunt. Posteritas igitur Frederici, cujus æmula quasi fuit trans-

gressio genitoris, tanquam succedens criminibus avitis, evanuit, nullo de suo satellitio superstite remanente. Infecerat enim suæ propagationis rivulos Frederici dira contagione nequitia, & in traducem generationis suæ materiam sceleris originale traduxerat & exquisitæ malitiæ incentivum. Pereunt aquilæ pulli, & eorum pullulatio, locusque confidentiæ perenniter desolatur. Radix non generat ulteriùs Frederici, nec serpens ulteriùs sibilat nec absorbet suæ commentationis effectum, nec vitiosa cupidus frendet ampliùs detentione possessor. Arbor hujusmodi non facit plus surculos, neve floret, nec fructus producit ulterius valituros. Ruit irreparabiliter domus, & machina tota convellitur, ejusque successio suæ perennis desolationis incommoda perenniter deplorabit.

XVII. Post consummationem multi laboris & utilis, post devictos & triumphatos Ecclesiæ inimicos, ascita Regis prosperitas apud Neapolim sedentis in suæ solio majestatis fulgoribus undique victoriæ gloriosa, ipsius fidelitatis devotione totum jam relucente per regnum, novis victoriis, novis ac gratis successionibus est adaucta. Urbis enim statim recuperat sine grandi fatigatione senatum, & in senatorem victoriosus assumptus senatoriæ titulum cæteris suarum dignitatum inscriptionibus aggregat & conscribit. Verùm inter alia æquitatis opera, hoc sui principio temporibus in urbe potissimum actum fuit, quòd cùm inibi adeo latronum audacia pullulasset, adeo manus invalescerent denuo præsumptrices, quòd & Romipetas & quoslibet etiam viatores audendi taliter nequiter sibi præsumpta licentia latronica securitas deprædaret, & dormientium quieta silentia, qui exercitiis fatigati diurnis somno jam cœperant sepulti quiescere, avida eorum anxietas perturbaret, & non

ſolùm confringere oſtiorum repagula noctùrno tempore molirentur, ſed tectorum ad interiora domus aditum intentarent, latrunculos hujuſmodi provida Regis juſtitia, quam rectitudinis manus tunc in ſtatera libræ geſtabat appenſam, ſic compeſcere ſtuduit ſicque pœna media caſtigare quòd pluſquam ducenta fruſta funium ſuſpenſorum in ſuperiori ligno patibuli anni revoluto circulo ſunt comperta. Sic ubi res taliter agitur & felicitati regiæ totus orbis applaudit, nonnulli Barones de Calabria, quorum rebellionis error obduxerat, cùm jam non poſſent fidelium de contrata validæ inſtantiæ repugnare nec ſquamas vellent ab oculis abjicere cœcitatis, nec ad regiæ lucem fidei de ſui erroris nubilo redire curarent, apud quoddam caſtrum in Apulia quod Gallipolis dicitur, ea intentione præmoniti ut quando vellent valerent in Romaniam, cujus montes caſtrum illud reſpicit, convolare, pro ſuarum perſonarum tutamine ſe receptant; quos demum dura obſidione fidelium circumſeptos & tandem ſicut lupus in ſubterranea cavea captos puteus ille judicii & interitus qui conſuevit alios abſorbere conſimiles ad ſe traxit, & illorum cuique numero XXIV. mortis ſupplicium intulit & ingeſſit. Hinc eſt quòd geminatur ubilibet ſubditorum fidelitas, & dum ubique per regnum quilibet nititur per fidelitatis officia concuſſo rebellantium capite complacere, ultro ſe contra nondum reverſos ad fidem parat, & in eos quos modica infidelitatis infamia fortè notabat uſurpat ſibi gladii poteſtatem; quo imprudenter aſſumpto vel præſumpto potiùs, quilibet habens vel reſumens jam potentiam aliqualem abuti non metuit, ſed hos abſque prolatione ſententiæ damnat & perdit, illos exorbat, alios mutilat motu proprio voluntatis, quoſdam ſpoliat, quoſdam re-

vendit & fugat audax præsumptio plurimorum, omnesque sibi jusin propria causa dicunt, & bona fugientium & cæsorum quasi licenter occupant, & usque hodie nonnulli taliter ita detinent occupata. Proinde majestas regia diù quondam & varia infidelium persecutione jactata, considerans quòd ad laudem trahi non poterat vindicta mediocrium & minorum, tum pietatis remedio, tum indulgentiæ beneficio & lenitate jussionum revocat ad se, si valeat, usquequaque rebelles; ac volens dignitatis suæ potentiam parere humanitati & justitiæ, non dolori, ne odiorum livor edax, qui totam contratam sedula corrosione vastabat, luxuriaret ulteriùs insolenter, subjectos, quos spontaneos poterat sine bellico labore subigere, ad misericordiæ gratiam admittebat. Contra eos verò qui erroris in cœcitate contumaciter & voluntariè persistentes, corruptæ mentis experiri conabantur proclivem ad pejora prioribus voluntatem, quosque non poterat benignitatis mansuetudine cohibere, taliter suæ magnificentiæ resistebat objectu quòd rebellium obstinata protervia & furor ferventium animorum denuo in suis cautibus tundebantur.

XVIII. Destinat regalis providentia Capitaneum in Siciliam quendam Guillelmum dictum Standardum cum electa comitiva equitum Gallicorum. Talem enim exigebat prælatum Siculorum docta nequitia, quibus jam inest à natura rebellio & facilitas querelarum. Hic enim Guillelmus vir erat sanguinis, Miles atrox, ferox pugil, sævusque pugnator, contra infideles regios omni crudelitate crudelior, & totius pietatis & misericordiæ vilipensor; cœpitque hiante gula, velut lethifer hydrus, lacus ranarum Siciliæ circuire. Sed etsi meritò infidelium sanguinem sitiebat, nonnullos tamen in-

meritos vel non demeritos sine discretione sexus & ætatis ultimo immaniter supplicio comprimebat. Postquam sanè in Sicilia dictus Guillelmus multitudinem fidelium adunavit, Augustam quondam Cæsaris civitatem, quam inter Cathaniam & Syracusiam juxta maris littus instructam undique aquæ marinæ angustat circuitus, ea parte dum obsidione perurget qua per modicum terræ spatium patet aditus ipsi terræ, ubi castrum quoddam intercidit aditum ipsum, adeo quòd ad terram ipsam accedi non potest, juxta muros ejusdem castri vel per postem seu posterulam partis postetioris ejus per quam ad castrum ipsum quis ingreditur & ad terram. Hanc quidem civitatem plus quàm mille bonis viris incolis habitatam ducenti equites Tusci, ex iis qui cum Domno Frederico & Corrado Capucio de Tunisio venerant, pervigili custodia conservabant. Verùm quidam ex majoribus terræ prædictæ, qui se infra ejusdem castri, quod jam expugnabatur ab exteris, munimenta reduxerant, dolosæ fraudis excogitantes commentum, quo vitam suam multorumque possent mortibus sub grata pactione redimere, cùm foris vastaret eos gladius, intus timor, tractatum de aperienda hostibus posterula supradicta & de concedendo eis per castrum ipsum liberum ad terram ingressum cum exteris habuere. Recepta igitur firma de personarum salute ac rerum conservatione ab obsidentibus sponsione, Tuscis & aliis miseris ignorantibus, sex majores de recollectis in castro in castrum ipsum aliquos animosos de exercitu exterorum reserata posterula introducunt; illisque animosis taliter introductis, singuli de castro & omnes alii infra terram qui arma sumpserant vel poterant se armare, proditione hujusmodi jam detecta, per diversoria terræ diffugiunt, & fugientes per vicos terræ cum grandine

disperguntur, latitant armis depositis sub stillicidiis, in foveis, & cisternis. Frequenter tamen nonnulli, cùm omnibus jam deessent terrarum omnino remedia, quæ non poterant aliter petere nisi per medios hostiles gladios pertransirent, maris præcipitia intentabant. Sed frustra, dum latitant, vitæ quærunt sub quadam prorogatione diffugia. Nam in omnem eventum erant necessariò morte crudelissima perituri. Nihilominus tamen ibi se quilibet in fugam præcipitat ubi casus levior apparebat. Aggreditur ergo castrum & terram, dato taliter aditu, totus exercitus & Standardus. Hi inquam, tanquam leo furens, qui feritate præconcepta superbiam, prævisam ardens in prædam, postquam eam sævis ungulis tenet, anxiè laniat & trucidat, totam discurrentes fremendo per terram, omnes quos in biviis aut quadruviis vel in domibus inveniunt se palantes seu nondum etiam latitantes sine qualibet pietate dilacerant & extinguunt. Cùmque majori parte incolarum, ut præmittitur, latitante, paucos obviam gladius Gallicus inveniret, Gallici non aliter quàm canes ad cervos odoratibus eruditi latitantium, hauriunt sicut aquas homines ex cisternis, & de foveis sicut granum; hosque compertos ad locum judicii, ubi supra ripam maris sæva lictoris manus ense lato & curto singulos adductos contingere non pavescit, binos, ternos, senos, & quandoque denos, nullos vestitos vestibus, sed tantùm propria indutos coria, vel potiùs quemlibet sua pelle coopertum, secundùm occurrentium numerum conducebant, quos prompta lictoris atrocitas unatim adducto gladio comprimebat. Et si quando uno ictu caput non statim labitur à cervice, immanis lictoris audacia caput recipit cum sinistra collapsum. Cùm dextra verò latum cultrum accipiens & acutum, tamdiù nervos

ſecat & corium non inciſum donec avulſo capite à cervice fiunt à corpore duo fruſta. Caput & truncum acris lictoris jactus ſub ripam ipſam in arenam maris dejicit & acervat. Sed æquitatis ad hæc & rectitudinis dignum audite judicium. Quando dictos ſex viros, qui pro comparanda patriæ ſalute tot excidia concivium proditoriè procurarant, quaſi procurati amaritudinis calicis prærogativa donatos gladiatoris enſis, cujus aciem inibi nondum rubigo ſanguinis macularat, vivos excipit & excidit ac reſtituit obtruncatos, ſicque una die ſub eodem carnifice pereunt cum proditis proditores. Sicque pereat omnis ille qui fraudé vel dolo prodere nititur patriam & concives. Æſtuat inquam lictor in cæde tot immanibus ictibus fatigatus. Sed nondum cæde peracta, tribus ſtomachum æſtuantem magnis potibus humectavit. Non remanſit in terra vir, quia omnes terræ incolas & Tuſcos prædictos unus ejuſdem lictoris gladius interemit, exceptis quibuſdam, quos una ſagittina XXIV. remorum ereptos ab hoſtium gladiis vivos excepit. Tandem cùm multorum confluentia gravaretur, nec molem poſſet confugientium reportare, illos Neptuno & piſcium agminibus commendavit. Quæ autem mors reputari poſſit immanior & peſtilentior, aut gratior vel acceptior, aut quam hoſtium infert ſævitia, vel quam maris habet improviſa turbatio, ſcilicet, ut loquar breviùs, mori ſub gladio vel ſub aquis, non mecum ſed cum aliis diſceptate legentes. Ego vanis frequenter utrique vicinus, & expertus utriuſque pericula, per ejus gratiæ miſericordiam qui cuncta creata conſervat, uſque nunc per diſcrimina multa infelicitatis evaſi. Auguſta itaque ubique anguſtatur anguſtia, ut non ulteriùs ab augendo, vel à Cæſare Auguſto, ſed ab iis quibus anguſtata eſt

anguſtiis nomen trahat. Hæc Naim uſque hodie caris habitationibus deſolata, ne tamen locus fertilis & amœnus omnino redderetur incultus & inutilis Regi ſuo, rehabitari cœpit ab antiquis inquilinis.

XIX. Auguſta in viduitatis veſtibus lugubre commorante in vaſtitate mœſta, tantorumque morres deplorante concivium, Standardus prædictus ex præterita cæde ſuperbus, de modo felicis ſucceſſus elatus, versùs caſtrum Conturbii, quod frequenter propter inhabitantium inconſtantiam & volubilem voluntatem rebellionis contra quemlibet Regem Siciliæ calcaneum erigens jam pluries decorem habitationis amiſit, cum toto exercitu memorato anxius ad ulteriora feſtinat. In dicto namque caſtro Corradus Capucius, certus jam de interitu Corradini, cum quatuor Tuſcorum Comeſtabulis & aliquibus Theutonicis propter loci fortitudinem, qui nec aggreſſu nec obſidione faciliter expugnari poterat, ſe reduxit. Quo quidem valida hominum inſtantia ſeu denſis ſepibus anguſtato per girum, cùm jam interiores obſeſſi de omni ſuccurſu & ſubſidio deſperaſſent, nec haberent vires perdito capite de cætero valituras, Comeſtabuli Tuſcorum & duodecim majores caſtri de prodendo Corrado prædicto & tradendo Gallicorum judicio machinationis fraudem invicem cogitarunt, ac conſpirationis inter ſe fœdere roborato, tractatum cum Standardo pro perſonarum ſuarum ſalute, quarum nullam miſericordiam expectabant, ſi eos aliter manus Gallica comprehendiſſet, ſæpefato Corrado inſcio per dies aliquos tenuerunt. Demum quibuſdam pactis, quibus nonnunquam fides infringitur vel pollicita non ſervantur, hinc inde vallatis, prædicti conſpiratores ad porticum Eccleſiæ, ubi memoratus Corradus pro eo ſtupefactus animo &

corpore morabatur, quòd jam omnimodam certitudinem de conſpiratione receperat, & machinatæ præſagia proditionis habebat, ac caſum gravem imminere ſibi ex judiciis autumabat, ſuccincti gladiis acceſſerunt. Verùm Corradus prædictus antè quàm ſui conſpiratores in eum manus injicerent, videns eorum mutatas facies, quibus mos eſt præceptum crimen ſaltem pandere vultibus, dum iidem conſpiratores vellent eum quibuſdam verbis excuſationis in peccatis excuſandæ perungere & tyndiaca palliationis fruſtra propinatum abolere venenum, non paſſus eos præloqui, ſurgens ait. O ſocii, ô Domini, verbis, ut video, non eſt opus ultra. Scio quid in me cogitaveritis, ſcio quid eſtis acturi. Unum oro, quòd ſi pro exhibitione perſonæ meæ tantùm omnes poteſtis evadere, & de perſonarum veſtrarum & rerum ſalute promiſſa cautum eſt vobis, ecce in mortem ſtatim ibo libentiùs. Sed debetis firmiter credere & tenere quòd ſi ego dux & caput excidio peream, vos ſine dubio peribitis unà mecum, nec vos fides promiſſa tutabitur, nec ſervabuntur vobis ſtipulata fœdera pactionis, ſed rupto libello polliciti, experta fraus Gallica cætera violabit. Neſcitis quoniam ii quibus favere multiplicium triumphorum fortuna jam cœpit, cùm denuo expectent ulterioris incrementa victoriæ, ſive dolo, ſive fraude, cùm poſſint, amplis ſeducunt pollicitationibus inimicos. Non enim refert quocunque modo ſuum ex hoſtibus habere quis poſſit intentum. Veſtris ergo cautè providete compendiis. Et ſi ita eſt quòd omnino credatis mihi mortuo ſupervivere ac propter unius mortem ſalutem redimere plurimorum, iterum dico, de perſona mea ordinate quod placeat, & de me veſtros exequimini cogitatus. Illi ad hæc. Domine, licèt nos tædeat, inevitabile tamen eſt quod ſumus

acturi. Vobis autem displicere non debet, si per quamcunque viam salutis nostræ remedia procuramus. Forsitan & vos ipsi salvi eritis Domino favente, quia Standardus multa nobis cum benignitate promisit, si absque labore sui exercitus nos suis beneplacitis supponamus. Equitetis ergo, si placet, & cum humilitate ad eum nobiscum descendite, nec de ejus gratia desperetis. Considerans igitur dictus Corradus quòd sic eum pati necessariò oporteret, & attendens quòd omnes stipendiarii sui, pro quibus similiter inita pacta erant, mentis & jurisjurandi religione violata intendebant ad Comestabulos & ad alios factionis actores, adductum sibi roncinum metu hebes ascendit & mutus incedit, & ad tentorium Standardi, veluti quando bos unicus eligitur de toto grege mactandus, & cum ipso grege ad macellum, qui aliàs solus non accederet comminatus, sic idem Corradus conducitur non ligatus. Hujus itaque oculos statim Standardus absque ullo judicio mandavit evelli; evulsisque oculis, Cathaniæ in altis præter morem furcis juxta littus maris solitarius alligatus dimisit in aëre vitam suam. In signum autem ejus quòd fuerat militiæ cingulo decoratus, scutum suum splendescens coloribus fulgorosis vitri perlucentis ad instar suppenditur cum eodem. Martinus quoque ac Jacobus Capucii Milites fratres ejusdem Corradi pulchritudine ac statura decori apud Neapolim via Capuana eodem supplicio per Regis sententiam perierunt. Sicque illos unus uterus, una fides & passio verè fecit esse germanos. Cùmque inter hæc Domnus Fredericus, qui unus ex principalibus impetitoribus Siciliæ tum supererat, nondum tamen expurgata Sicilia tribulis Hispanorum, cautelosè sibi & suis providens apud Agrigentum ea intentione relictis terris quæ sibi adhuc respondebant

respondebant sine munimine & custodia personarum, cum omnibus Hispanis & superstitibus Theutonicis confugisset, ut cùm vellet posset per mare fugere in Tunisium, unde venerat, Standardus prædictus non sine Regis conniventia cum eo habuit absque ulla suæ gentis fatigatione tractatum. Ultimò inter eos ventum est ad hanc pactorum concordiam quòd Domno Frederico prædicto una de pacto tantùm galea conceditur, & donatæ sunt sibi ducentæ unciæ pro expensis. Sed istas forsitan uncias pro equis receperat quos de pacto ipso dimisit & cum iis rebus quas potuit asportare, assumptis sibi Theutonicis & Hispanis, in ejus nomine cui præstabat obsequia in Tunisium remeavit. Tandemque Regis Hispaniæ fratris sui damnatus judicio, morte crudelissima expiravit. Tendebat enim vita sua semper ad malum. Et ideo fuit ejus, malis eum insequentibus, malus finis.

Sed dum undique grata Regi felici prosperitate luxuriant, & civitates & loca nonnulla totamque Siciliam motus spontaneus ad devotionem regiam absque bellico labore convertit, Regina Neapoli cursum naturæ consummavit, & terminum dierum suorum attingens, debitum humanitatis exsolvit, & utriusque sexus decora prole relicta in majori Neapolitana Ecclesia tumulatur. Ex filiabus sanè suis una tradita est filio Comitis Flandriæ in uxorem. Secunda demum Philippo nato Imperatoris Constantinopolitani matrimonio copulatur. Cùmque nobilium Gallicorum sint mores quòd unica contenti, non suæ pudicitiam non intentant, nec se utplurimùm cum aliis mulieribus dehonestant, statim Rex prædictus, quamquam de cara consorte nuper conjugali deperdita tanquam in carnis abscissione doleret, considerans tamen quòd Regina dies ejus in fœcundæ sobolis propagatione compleverit XXI.

& vitam in sobolis fœcunditate dimiserat, funerum uxoris oblitus, per nuntios firmat cum Duce Burgundiæ parentelam, & de filia Ducis regio copulanda conjugio fœdera per littéras invicem roborantur: quam prædictus Burgundiæ Dux, multis in subsidium Regis associatus equitibus, postmodum Regi personaliter transduxit in regnum. Interea sanctissimus pater Dominus Clemens Papa quartus, cujus favor & gratia in omnibus actibus Regem Karolum tutabatur, apud Viterbium vitæ chirographo resignato, creditum nâturæ reddidit quod mutuò receperat ab eadem. Sub istius sanè tempore creverunt facta Regis denuo sub triumphis; & eo victoriæ palmam ex hostibus Ecclesiæ feliciter consecuto, fuerunt ejus primordia prospera, secunda, finis variis & innumeris felicitatibus usque ad multa tempora gloriosus. Eoque sublato de medio qui Regis negotia prosequebatur affectione paterna, cùm adhuc nidus & cavea Sarracenorum Luceria in rebellione persisteret, ac totam ferè Apuliam subitis & improvisis cursibus molestaret, Rex prædictus demum personaliter civitatem ipsam obsidione circumsepsit & angustat, & obsidione firmata, tot aggressibus, tot instrumentorum generibus, totque impugnatoriis machinis tamdiu, tam dirè, & tam durè Sarracenos coërcuit & restrinxit quòd eorum majori parti victus & ferè vita defecerat. Sicque dum multi ad colligendum herbas frequenter, quibus sicut bestiæ pascebantur, exirent, nonnullos qui præ jejuniorum & famis squalore jam hebetes infra terræ ambitum se non poterant pedibus præpetibus receptare trucidabant insidiæ Gallicorum; nonnullos etiam, ut eos pro servis venderent, conservabant. Verùm dum aliquando occisorum viscera studiosæ invadentium manus immaniter rimarentur, plena tantùm

herbis reperiebantur corporum intestina. Tandem cùm pauci juxta consuetum numerum quem docta manus exercitus cotidie defalcabat infra civitatis ejusdem mœnia remansissent, & fis extantibus victualium rerum & personarum etiam non crescerent sed deficerent semper exforcia, qui supererant per vim & metum qui satis potest constantes afficere se omnimodis Regis beneplacitis commiserunt. Mittitur postmodum vicarius in Siciliam Dominus Philippus de Monteforti, homo bellicosus & statura placibilis. Adhuc enim, eo in Siciliam properante, Comes Fredericus Lancea germanus quondam Galvani castrum Sali, quod est in Calabria, situ fortissimum contra fideles regios defendebat; quod demum multitudine fidelium exacta obsidionis instantia circumseptum Comes prædictus fidelibus regiis sub pactis restituit & dimisit, & ad mare incolumis de pacto conductus in Romaniam postmodum transfretavit.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

MEDIO verò tempore, cùm nondum esset Ecclesiæ Romanæ de pastore provisum, Ludovicus Rex Francorum, vir inclitus, dotatus bonitatibus multis à Deo, Regum candela fidelium, signo ab olim vivificæ crucis assumpto, collectis Christianorum undique viribus, generale in terræ sanctæ subsidium passagium stabilivit. Hic namque pro tuitione & exaltatione fidei, pro conservatione obedientiæ sedis apostolicæ, quæ persecutionibus Deo volente non minuitur, sed augetur, paratus semper ad acerrima sustinenda pericula, potentiam suam terra marique distendens, alias barbaras nationes fidelibus odiosas impetere consuevit. Nunc autem idem Rex, quem solum Domi- L

nus pro Ecclesiæ suæ custodia collocaverat, ad inimicos crucis denuo se convertens geminatis viribus & multitudine fidelium congregata, pro libertate illius terræ sanctæ quam redemptor humani generis propriis calcavit pedibus, pro redemptione quoque sepulchri ubi fuit redemptor ipse reconditus, mari se cum navigio copioso commisit: qui dum freta circuit classibus fidelium numerosis, & cœptum iter principio secundo concelerat, exercitu toto felici dato navigio, vota multitudinis versùs orientalem plagam, ubi terra sancta caninis manibus ancillata comprimitur, suspirabant. Sed contra omnium vota, contra cœptorum facta, perverso numine versùs meridionalem axem fatigat exequi votum suum. Sicque fideles inviti tendentes ad Arabes, non ad Indos, dum cœptum superandi consilium potestas nulla conceditur, illius dispositione cujus nutu res eunt, fatis fatigantur adversis, & procellosis fluctibus feriuntur. Collecti tamen undique apud Tunisium coëunt; ibique cœpto Marte frustra fatigantur & bello. Dum enim multa circa hæc dementia eorum animi erant capti, non sentientes primas vires mutatas, nec advertentes perversa jam fore numina contra ipsos, nec cedentes numinibus provocatis, accensos insano Martis amore, cùm nullam possent prosperam ex laboribus deferre fortunam, animos fatigabant. Fama igitur Regi Karolo deferente quòd classis Regis Franciæ totusque crucesignatorum exercitus jam in Tunisium tota convenerat, quòdque prope Tunisium castrametati fuerant Christiani, Rex ipse Karolus, solutis moræ vinculis, cum moderato numero galearum, non qualem Regem fortè decebat, sed qualem illa imminens necessitas ac festinantia requirebat, illuc alis præpetibus convolavit. Res enim agebatur sua, ejusque prætextu, seu eo sug-

gerente vel dante causam, Rex Franciæ tantum Christianorum exercitum contra barbaros & Arabes compulerat sub tanto discrimine laborare. Rex quidem Tunisii propter proximam rebellionem Siciliæ multis mortibus consopitam quendam annuum redditum sive censum, quem Regi Siciliæ pro eo exhibet annuatim ut victualia in Tunisium liberè comportentur & mare Siculum remigare licitè valeant Arabes quando volunt, quòdque barbari per Siculos piraticis non vexentur insidiis, Regi Karolo per tres annos subtrahens denegabat. Ideoque Rex Karolus affectans visitare ac visere partes illas & hærentem profundæ caveæ colubrum virtute aliena convellere, tantum exercitum coire Tunisium sagaci studio procuravit. Verùm dum Gallici tunc frustra invito numine confidunt totis cotidie campis densantes agmina clypeata & armis populos instruentes instant cotidie assiduè, ac cum infidelibus bellum ducunt, sæpe certatim Tunisii muros circumstant. Sed canina progenies, nescio numine quo favente, velut pelagi rupes immotæ resistentiam adhibent undequaque. Cùmque omnia superna dispositione regantur, & Regis æterni cætera beneplacitis obsecundent, Ludovicus prædictus catholicæ legis amator, propagator fidei, custos fidelium, & defensor ecclesiasticæ libertatis, peccatis non suis forsitan exigentibus, in quo, secundùm quod potest circa hoc humana fragilitas contemplari, vix peccati labes fecerat stationem, soluto interea vitæ fœdere, datoque mundi pompis libello repudii, de valle miseriæ ad cælestem patriam transmigravit. Per talem quidem obitum culpam ejus qui tantorum sancta proposita fecerat, & pia vota suspenderat plurimorum, omnipotens misericors Dominus forsitan abolevit, pro votorum irritatione pœnam inferens temporalem, ex-

piavit æternam, ut ulteriùs propterea spiritualiter non plectatur, ut pœna temporalis hujusmodi pro tantæ transgressionis incuria gravior inferretur, & nec culpa nec pœna traducatur ad posteros, sed perenniter expietur, quidam ex filiis ejusdem Ludovici nimis properè cruda morte devictus fuit, intempestivè paterna funera subsecutus. Nec minùs cum eo nonnullæ procerum & magnatum, ignotæ quoque multitudinis animæ infinitæ mortis impellente violentia naturalis, propria corpora frigida diviserunt.

II. Extantibus ergo duobus liberis ex Ludovico prædicto, videlicet Philippo primogenito, qui patri successerat in onere & honore, ac Petro Comite Alansonis, Rege Karolo cum eisdem cæterisque primatibus exercitus cum Rege Tunisii in amicitiam coëuntibus & fœdera jungentibus similiter pacis, crucesignatorum exercitus dispendiosè dissolvitur, & facit rimulas & scissuras turris tantæ fortitudinis Christianorum columna concussa, ex auro bibit Arabico qui sitivit, & venundatis fidelium laboribus ac opprobriosè distractis, turba multa, quæ dinumerari non poterat, præparata juxta littus navigia repetens, ponto proris exhibitis cum Karolo & Philippo littoribus applicuere Siciliæ remeando. Verùm Odoardus Rex Angliæ volens adimplere quod voverat & terræ sanctæ spe frustratæ totius succursus & auxilii subvenire, quamquam venerit juxta Trapanum, sua tamen tantùm classica quæ de procellarum periculo evaserat recollecta, ad Aconensem civitatem, quæ Christianorum fota subsidio in illis partibus sola respirat in fide, remigio tuto festinat. Sed ut pro tantæ saltem damnosæ prævaricationis assensu aliquid de pœna juxta culpæ modulum potissaret, apud Trapanum, quando in Siciliam venit, maris naufragio

penè periit ex procella. Sed eo propter vicinitatem terræ personam è naufragio educente, omnibus ferè tum naufrago facto rebus, multi de conserva seu de caterva sua confectis abietibus & cottis apertis, è quovis inundationum concussionibus perierunt, pro eo videlicet forsitan quòd excessu exigente culparum autumnus asperæ hyemis jam vicinus eos ibidem introcluserat austro flante.

Philippo itaque, qui post patris obitum jam fuerat regalis magnificentiæ titulis decoratus, exercitui dissoluto & disperso præstante, tota gens de Sicilia petit citra fretando. Sed instante hyme uxor ipsius Philippi filia Regis Arragonum, quæ licèt vir suus non esset inunctus, Regina tamen Franciæ dici poterat, volens sub Marturanensi civitate superexcrescentem pluvialibus imbribus fluvium utero gravido pertransire, præsumpta quadam virili audacia pereundi, equo corruit procumbente de sella, prævia tum multitudine militum occurrente submersa non extitit, sed propter metum casus offensa lethaliter & in ipso casu confracta, læsusque fuit uterus antè quàm perveniret ad lucem, & offensus graviter partus nondum à maternis visceribus segregatus. Aiunt enim partum fuisse semestrem, & ideo genitricis alvum à conceptionis hora semestri tempore laborantem ex casu graviùs fore læsum. Quapropter Cusentiam semiviva traducitur, ubi tandem masculino abortivit in partu. Nam viro cum multitudine suorum procerum convalescentiam ejus ibi studiosiùs expectante vel mortem, Regina ipsa demum persolvit quod à natura receperat post abortum, & cum partu à maternis visceribus casus violentia secuerat non completum in majori tumulatur Ecclesia Cusentina. Ossa tamen elixa priùs & qualibet carnositate mundata more majorum in Franciam, re- III.

lictis in tumulo putribilibus, quæ servando servari non poterant, demandantur. Fit sibi sepultura perpulchra digna memoriæ, materiæ ac artis concertatione glorifica; & ad serviendum altari continuè, juxta quod est hujusmodi regalis sepultura constructa, ordinatur perpetuus Capellanus, centumque uncias auri dictus Francorum Dominus pro emendis possessionibus de qua usufructu possit idem vivere Capellanus Cusentino Capitulo elargitur. Transiens post hæc Philippus prædictus per Romanam Ecclesiam, quæ adhuc erat in viduitatis solitudine constituta, gressus in Franciam properat, ut Francorum corda Ludovici obitu forsitan alterata consoveat & sacram Regis recipiat unctionem.

IV. Jam requie data certa laboribus, Rex Karolus bellorum cura nequaquam, sicut videbatur, ulteriùs fluctuans, cùm jam infinito coacervato thesauro & pretiosis quibusque compostis cotidie cerneret regales redditus ampliari, ut filios militiæ unda renasceret cogitavit, & ramum verisimiliter olivæ paciferæ manu gestans, & viam studens subjectis variis laboribus aperire, regali mandat edicto ut officiales ubique per regnum merita causarum in statera justitiæ metiantur; & exhibens singulis gratum sermonis exenium & dulce verborum omnibus blandimentum, quasi modò regni coronam acceperit eminentioribus contextam titulis dignitatum, se totum in alveum sanctæ meditationis includit. Æstuantibus ergo regiis ad digna præcordiis & flagrantibus votis ad justa, dum omnia quodam jucunditatis applausu secum felicitatis auspicia sortirentur, ex nobilioribus totius regni deligit juventutem cui subserviat aptitudo militiæ & quæ dignè possit cum filiis honore tantæ militiæ decorari. Sicque apud Neapolim celebrandæ per totum regnum de tantæ solemnitatis indicto & multa

propterea pecunia recollecta quam in militiis & conjugis filiorum Regum Regeque movente bella contribuere consueverunt regnicolæ, in apertis campis juxta monasterium sancti Petri ad aram fit apparatus solemnis qualem decet Dominum triumphantem. Ambitus enim ampli spatii circularis murorum vallatur sepibus & structuris, fiuntque diversa spectacula circumquaque variæque sedes & stationes in gyrum dignitates distinguentes & sexum & in statu magnificentiæ suæ quemlibet annotantes. Convenientibus igitur ad novam tripudiorum lætitiam cæteris regni nobilibus per multos dies militiæ tempus gaudia festiva percurrunt, multæque vigiliæ, non in jejuniis, sed in parilitate solatii, præveniunt diem festum, & eum anticipata solemnia solemnizant. Rex autem magnificentiæ corona sublimis, aureo verò diademate coronatus, ad throni fastigium, ad apicem excellentis dignitatis assumptus, sublimiora spectacula insidebat, qui omnem joculatorum aspectum in jubilatione transcurrens ad singulos respicit & officiosa notat obsequia singulorum. Et dum stat super tribunalia Comitum, super fastigia nobilium & Baronum propter magnificentiæ titulos solemniùs collocatus, sedet aliunde à dextris suis Regina in vestitu deaurato circumamicta varietatibus; & non solùm maritatæ, sed virgines, quas simulabant gemmata serta Reginæ, in speculam Regis quandoque adducuntur in lætitia & exultatione post eam. Frequenter enim disposita processione psallentium in medio campi & circuitus tota suo jure curia præcedente, Rex Reginaque sequuntur cum multis agminibus, quas vestes tegebant splendidæ ac diversis coloribus radiosæ. Cum nobilissima etiam & præclara familia Rex ipse nonnunquam psallentibus festivus occurrit. Exeunt in campum nunc proceres,

nunc Barones, & æquati euntes numero Regem canunt, totaque obviat multitudo distincta gemmis & auro, purpura & bysso suscipiunt indumenta. Nonnulli sanè nobiles singulis diebus solemnitatis hujus exuunt vestes quas ceperunt histrionibus donatas, aut relictis exuviis in ipso tripudii strepitu magis pretiosa denuo sumunt & nova mutatoria indumenta. Sicque redimitus uterque sexus occurrit, per joculatorum quoque varia obsequia cantus ubique concrepant. Modulantur & organa. Ibi lituus, cletaria, & viella, omniumque genera musicorum hymnum concinunt triumphalem, & cujuscunque cetilis officium jubilationis cantica modulatur. Verùm dum omnium jocunditatis & lætitiæ specie totus ambitus murorum applaudit, quorum intrinseca facies nihilominus sericis pannis erat operta per vicissitudinem graduum omnium, si fuisses, mirareris incessum. Hæc sunt vexilla victoriæ insignia titulorum & gloriæ certitudo, quorum abyssu Rex Reginaque adeo velabantur quòd ipsa tripudii magnitudo Regem & Reginam cantus movebat in vocem sibi invicem complaudentes. Celebrantur ergo dies in jubilo & sumptuosi defluunt gaudiorum, ac quicquid potest gaudii mens discreta conjicere, totum hic cogitet, totum hic arbitretur impendi. Cingitur demum militiæ cingulo post tyrocinii lavacrum Karolus, velut annis majusculus, priùs cum centum juvenibus subsequentibus. Karolo quidem, tanquam decoro & excrescenti filio, qui cùm esset elegantioris formæ juvenis, ad tenendum fuerat locum patris ascitus, Rex prædictus principatum Salerni extra fraternæ sortis funiculos peculiari liberalitate concessit. Qui cùm crevisset in annos, mansuetudinis & innocentiæ bonum de fontis puritate conservans, mentis juvenilis hospitium vir-

tutum denuo studuit familiaritate replere. Nutrivit animum rebus honestis, & fœcundatus est adeo bonitatibus quòd ejus dotes virtutum claudi sub numero nescivérunt.

Ut autem regiæ propaginis funiculus extendatur in ævum & sua crescat in ramos propugnatio successura, filiam Regis Ungariæ Principis connubio Rex conjungit & in thorum procurat filialem adduci. Sicque Princeps & filia Regis Ungariæ individuis nexibus connectuntur, cùm vix egregius sanguis in orbe tunc esset qui non eundem ex derivatione .... linea contingeret aliquali. Igitur Reges absentes hac de causa se invicem honore præveniunt, & gratis hinc inde sibi muneribus blandiuntur. Regique Ungariæ, qui bellorum sollicitudine premebatur, aliquando Rex Siciliæ propterea militum subsidia destinavit. V.

Verùm Ecclesia Romana nondum suæ viduitatis consolata gemitibus, cùm sua quisque regat diverso flamina tractu, quin lanient mundum, tanta est discordia fratrum, dum metuit velut navis in pelago sine remige, quamvis aura tranquillitatis aspiret, constituit Regem Karolum vicarium imperii in Tuscia generalem. Hic nempe sedatis cujuslibet amaritudinis fluctibus, regnoque disposito in statu summæ tranquillitatis & pacis, ad reprimendos Gebellinos Tusciæ nondum domitos, sed contra partem Ecclesiæ solito plus superbos suæ sedulitatis vota direxit. Gebellini namque in Tuscia monachorum ad instar Abbate carentium capite perdito extra suos limites crassabantur, & evagantes sine correctore per Tusciam adhuc extranea conventicula faciebant. In tota enim Tuscia civitas Lucana sola supererat, ubi erat fortior pars Guelforum. In aliis verò locis adeo invaluerat Gebellinitatis gibbus, adeo iniquitas abundarat quòd VI.

Gebellini denuo in expectatione novi temporis exardentes, nunc ingeniosa virtutum seu vitiorum potiùs assiduitate non modicarum coacervatione virium, nunc dolo vel fraude sub pacis & treugæ specie perquisitis totam Tusciam malorum operum crepitantibus flammis igne consumptionis bellicæ subvertere nitebantur. Verùm inscrutabilem divinæ justitiæ libramentum Ecclesiam suam non patiens radicitus omnino convelli, sed disponens eam taliter quòd semper radices contrahat in temporis amaritudine firmiores, Ecclesiæ athletam & fidei pugilem destinavit. Misit Karolum sicut fulmen, qui montes constructos ad demoliendum Ecclesiam, & gigantes etiam constructores cum viris ecclesiasticis bella moventes una hora fulminet & subvertat. Rex ergo Karolus copiosam ex suis eligens comitivam, Principe in regno vicario tanquam primogenito & herede dimisso, Romam primò repetens, rupem Tarpeiam & Capitolii saxa victoriosus ascendit; fungensque vice senatus quasdam contra Gebellinos urbis dignas ultiones illatas gratificatione regia comprobavit. Jacobus namque Neapoleon dux & magister Gebellinorum sub favore Domni Henrici quandam forteriçiam in campo de flore construxerat, quæ Arpacata vulgari eloquio vocabatur. Hanc quidem forteriçiam turrificatam circulariter per ejusdem Regis vicarium Guelfi urbis dirui funditus procurarunt. Quædam etiam turres quas Petrus Romani in capite pontium Judæorum & trans Tyberim pro fortificatione insulæ Lycaoniæ fecerat similiter ejusdem vicarii sententia, Guelfis sibi assistentibus, corruerunt. His & aliis modis multæ Gebellinis fuerunt illatæ jacturæ, quas Regis providentia conniventibus oculis pertransivit. Sed volens statum urbis post Gebellinorum verbera tranquillare, cùm de more

faciat pactum post verbera stolidus, Gebellinos ipsos sub pactis ad mandata recepit, & eis de regia benignitate pepercit. Tunc etiam consideratione reverendi patris Domini R. sancti Angeli Diaconi Cardinalis quendam Ricardellum Militem civem Romanum nepotem Cardinalis ejusdem, qui tempore dispendiosæ viduitatis Ecclesiæ castrum Ariani, quod est sedis apostolicæ, occuparat, & sub castro illo in nemore famoso Algiarii multos jugulaverat Gallicos, & per quosdam suos latrunculos, quos fovebat, fecerat jugulari, suis parentem omnino mandatis regia mansuetudo recepit.

At demum Rex prædictus ad Gebellinos Tusciæ se convertens, corda partis ejusdem adeo in ejus terrefecit accessu, adeo Guelforum animos roboravit antequam Rex fines attingeret Tusciæ, Guelfi de Florentia de adventu Regis propinquo securi animorum fortitudinem assumentes, resumptis contra Gebellinos viribus eos ejecerunt à terra & per totam quasi diocesim fugaverunt. Tandem Regi sub vexillo Ecclesiæ in Tuscia vicariæ aggredienti officium tota ferè Tuscia tanquam vicario imperii se submisit. Pisana etiam civitas, quæ per triginta sex annos & ampliùs inobediens & indevota Ecclesiæ Romanæ perstiterat & in infidelitatis devio & cœcitatis errore per tempora multa duraverat, coacta quodam modo rediit ad Ecclesiæ unitatem, ac tandem Ecclesiæ Romanæ beneplacitis se subjiciens quandam societatis confœderationem cum Rege prædicto variis pactorum vallatam fœderibus & solemnibus stipulationibus compromissam. Pacem verò seu treugam cum Lucensibus, quibus post Regis triumphum fortuna contra Pisanos jam triumphaliter arridere cœperat, celebravit. Venatore interea sanctæ Romanæ Ecclesiæ per saltus & nemora Tusciæ inobedientium vestigia VII.

passibus agrestibus insequente, nonnulli Gebellini de diversis partibus Tusciæ, quos Delphinus noster imperii mare famelicis faucibus gulaque hiante discurrens velut agmina piscium ex diversis vadis in unam coëuntia massam fugitivos & pavidos coëgerat glomerati, in castro Podii Bonizi tanquam in vase firmo sua receptacula firmaverunt. Qui cùm propter castri fortitudinem, necnon & propter Senensium favorem, quibus castrum ipsum vicinum existit, nidum Gebellinitatis inibi componere studuissent, palliare suæ superstitionis errores, si Rex Karolus in Tuscia moraretur, sub temporis expectatione credebant. Contra hos itaque sic collectos Rex prædictus, ut totius Gebellinitatis finaliter bellantia vasa retunderet, quòdque castrum ipsum fiat ultimum talis generis præcipitium & vorago, nec fictitiæ superstitionis caligo suis ulteriùs tenebrescat erroribus, totius partis Guelfæ, Lucensium scilicet, Florentinorum, & aliorum de Tuscia nomen Ecclesiæ profitentium exercitum innumerabilem coacervat. Obsidione sanè hujusmodi per sex menses & ampliùs continuè non sine sumptuosis laboribus perdurante, cùm jam illius castri populus stolidus rerum victualium penuria premeretur, nec expectaret aliunde subventum, præter alias sponsiones & pacta, de pacto quod satis habitatoribus loci, qui non poterant ulteriùs se tueri, potuit esse grata montis illius habitatio, in habitantium pœnam facta est omnino deserta & podium suis civibus desolativum; fuitque edicto perpetuo stabilitum quòd in colle illius podii, qui quanto mons se eminentem erigebat in tumulum, tanto in vanum tumorem supercilii vehebantur resumere quoquo modo habitationes in ipso podio, perpetuò non valerent, sed sub montis collibus & in plano novum pro se

& successoribus suis facerent incolatum. Igitur Rex prædictus Gebellinis usquequaque devictis & dura recipientibus fræna maxillis, totum Italiæ regnum in Ecclesiæ redegit imperium & sedis apostolicæ districtioni submisit.

Pluribus ergo temporum curriculis evolatis, VIII.
divina potentia, quæ suis incircumscripta finibus omnem intellectum transcendit humanum, volens perituri mundi quæ præcurrerant mala devincere, hac sedavit fratrum unitate discordiam quòd quendam nomine tunc Theobaldum Leodiensem Archidiaconum, qui ultra mare in terræ sanctæ favorem peregrinus accesserat, & cum Domino Odoardo inibi morabatur, ad summi apostolatus apicem, ad sanctitatis fastigium, beatitudinis solium, dicti fratres per electionem concordem unanimiter evocarunt. Hic namque singularitate virtutum & spiritualibus vitæ stipendiis Deo militans nomen ex re complevit, ut ex officio nominis sequeretur titulus dignitatis. Ex theo namque Græcè Latinè Deus, & daldus, quod sequitur, prodit interpretatio gloriosa, ut videlicet Theodaldus dicatur ex sanctæ voluntatis fragrantia Deo datus, vel ad Dei servitium dedicatus. Ecclesiam enim Dei, contra quam denuo tyrannidis novo satellitio ex humana fragilitate pugnatur, & extraneis vexata stimulis semper invenit contra quos pugnet, in multis laudabilibus beneficiis restauravit. Quæ cùm propter pastoris diuturnum defectum divinis quodam modo extenuata doctrinis, necnon & propter cognatam humanæ imbecillitati malitiam in suis concussa parietibus vacillaret, dum sanctus de terra sanctitatis advenit, quem devota fidelium desideria suspirabant, ex hostibus occultis & patentibus feliciter triumphavit. Sub ejus namque tempore, qui fuit non sine Dei ministerio Gregorius

decimus nuncupatus, id est, gregis dominici Rex & pastor, sæcula ferè facta sunt aurea, latèque per universum orbem fidei religio coruscavit. In eo sanè, qui tanquam nitidus puritatis rivulus de fonte sordium primi parentis arida mundi climata rigaturus advenit, quandiu in apostolatu vixit, nihil torpens otiositas vindicavit, nihil suo tempore inanitas curiosa præsumpsit. Hujus etiam patris sanctissimi favor Regi prælibato non defuit, sed semper affuit gratiosus. Nam cùm inniteretur nimiùm strenuitati regiæ, Lugdunum accedens, ubi Concilium generale, in quo Papa malorum consilia multa solus poterat prævenire, maximè pro succursu terræ sanctæ, per universum orbem christianitatis indixerat, totam regiæ providentiæ commisit Italiam & sub ejus directione dimisit, ut impleret totum sibi commissum vicariatus officium sicut priùs.

INCIPIT LIBER SEXTUS.

I. CUM autem inter hæc crederetur quòd Regi, qui ferro tot dierum millibus dimicarat, totum sui desiderii pondus circa reparationem regni & suorum fidelium immineret, illudque in libra utilitatis appenderet, armisque deinceps justitiæ concertaret, ac sedatis fluctibus subjectorum, sub juris tramitibus in pace conquiesceret, duo secum bella durissima & inexpugnabilia inchoavit. Ex quorum altero, cùm non sit tam sanæ mentis aliquis aut adquisitæ probitatis quem tenebræ cœcæ cupidinis non confundant, se suis non contentans assisiis, factus est cupiditate prompta & in extorquendi promptitudine cupidus & avarus. Sicque affectu thesaurizandi forsitan ardens manus ad exactiones illapsat & flagore concupiscentiæ inexplicabilis

bilis necessariò tyrannizat. Habet enim hoc secum illa sitis hydropica, illa famis abyssus, ut quanto plus bibat, tanto ampliùs stomachus insatiabiliter æstuet ad bibendum. Quid enim non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Ex altero verò, dum quadam permissiva licentia seu licentiosa permissione Gallicorum opera, officialium maximè, quæ pro eo quòd tot simul bellorum fuerant experti discrimina, sub dissimulatione transibat, correctionis adhibitæ moderamine non mordebat, quamquam nonnunquam deferret accusatio querula veritatem, torpore negligentiæ premitur, & crassa supinaque lentitudinis circa hæc ignorantia diffamatur. Jam tota sedulitate vis & violentia refertur impune regnicolis; & dum sola vis quæque litigia terminat, parum pacis expectata tranquillitas videtur à proxima bellica confusione distare. Verùm cùm in ipsis initiis sit subditorum comptimendus excessus, ne fœda imitatio quasi turpis scabies paulatim reliquos comprehendat, iste triumphans ex hostibus nec in ipso tantæ corruptionis initio, neque medio, neque fine Gallicorum mentes jam omni cessante adversitate dementes debitarum illatione pœnarum aliquatenus coërcebat, & ne præsumptionis antiquæ corruptio regnum iterata fœdaret, varios & non æquos excessus officialium non compressit. Igitur dum totum anxiè sollicitudo subripit sumptuosa, totumque curiosa vexat anxietas, bonæ spei clauditur aditus, & desudantium querela satisfactionis compensatione non tollitur, sed malis cotidie ingravescentibus augmentatur. Cùmque de jurata promissione totius regni reparatio deberetur & crederetur firmiter quòd prodesset, si quando quis meritorum suorum cuneis inter tot angustias triumpharet, labores omnium regius sibi vendicat potentatus. Super possessionis

ſuæ titulo etiam antiquus poſſeſſor impetitur, & cuilibet interrumpitur extranea vexatione poſſeſſio, quantavis præſcriptione longi temporis & juſto titulo ſit vallata. Ex hoc enim ſecutum eſt gravamen arduum & nephandum, quòd vix baroniam ſeu feudum aliquod diverſorum inquiſitorum pertranſivit oblivio quod non ſemel aut bis & ter aliquando merces extorra redemerit poſſidentis. Rex enim & Gallici, quos fortaſſis illorum de regno malitia blandiebat, quibus quotiens de commodis agebatur aures faciles & ad mala dociles commodabant omnium ubique felicitate repleti, nullam ſibi viam difficilem eſſe credebant, nullum aditum intervallo vel obſtaculo iter intercluſum, totum aſtruebant ſuis accreviſſe laboribus, totumque proprium reputabant quicquid alii poſſidebant. Auferunt ergo pro voto quæ volunt, & quæ nolunt dimittunt.

II. Ipſæ quoque Eccleſiæ, præter omnia quæ clericis & eorum familiis ac Eccleſiarnm vaſſallis nova cotidie novæ exactionis adinventio imponebat, ſub ſervitutis inſolitæ calcaribus anguſtatæ magnam rerum jacturam temporalium lamentantur, quaſi non minùs illas conterat impreſſio dominii urgentis eas ad onera inſueta quàm olim filios Iſraël inclementia preſſerat Pharaonis. Verùm ut de perſona Regis, qui tanquam à communi lege viventium meritorum eminentia ſequeſtratus per colles totius rectitudinis & juſtitiæ finaliter incedebat, vanè non inficiatur auditus, nec de ipſo aliquid fœtidum credi poſſit niſi quatenus regnicolarum quorundam pravis conſiliis, qui denuo coram ipſo prava officialium opera defendebant, ex multo voluntatis hærebat lubrico, & fructus contemplatione futuri talium conſiliariorum conſilia ſequebatur, nova contra terras Eccleſiæ interdicti & excommunica-

tionis species per ipsos regios consiliarios est inventa, hæc videlicet, ut in portubus terrarum ecclesiasticarum regni nullum applicet lignum nullàque barcha, vel vas marinum aliud oneretur; horumque portuum auxiliaria littora censuit odiosa districtio in sua solitudine remanere deserta & inapplicabilia navigantibus ordinavit. Pacensis, Cathaniensis, & Cephaludensis Ecclesiæ, quibus in Sicilia jura portuum civitatum ipsarum ex privilegio competunt felicium Augustorum, necnon & quibus civitates ipsæ temporaliter & spiritualiter sunt subjectæ, spe fructus dictorum portuum sunt privatæ. Cusentina etiam in Calabria & nonnullæ aliæ quæ habent castra aliqua juxta mare seu in littore maris navigabilis eisdem dominantur gravaminibus & jacturis similibus opprimuntur. Nec potest tam pravi consilii deliberatio excusari ex eo quòd interdictum hujusmodi fuisse dicitur generale, cùm sit similiter ardentium par incendiorum & malorum ardentium similiter incendia non ad imparia judicentur. Magistros quoque juratos qui maleficiis præsunt sanguinis in terris Ecclesiarum usque ad ultimam desolationem affecit.

Ad exponenda ergo in pleno Concilio hæc & III. alia gravamina quamvis plures Prælati regni animositatis promptitudine viderentur ardere, illos tamen pejorum consideratio, quibus affici postmodum metuere poterant, compescebat, eligentes potiùs mutis labiis fustibus increpari & oppressionis virga mente silentiosa contundi quàm gladiis trucibus lingua murmurante perire. Verùm, ut taceatur de laicis, quorum nullus tantæ audebat delationis inferre clamorem, inter cæteros regni Prælatos, quos premebat similis morbi moles, Marinus Capuanus Archiepiscopus, vir facundissimus & elegantis sermonis fœcundus scientia, & homi-

num mores expertus, quædam capitula, in quibus singulariter omnia regnicolarum exprimebantur gravamina, summariè eliciens, magis præjudicialia recollegit, & tandem ea Lugduni in plena concione Concilii voce querula propalavit. Quibus solemniter nuntiatis, quamquam audientium horresceret animus & mentalis obstupesceret intellectus, nullum tamen successit propterea lenimentum, nec adhibitum fuit remedium competens, nec morbo crescenti obviavit opportunæ repressio medicinæ. Fuit tamen pro repalliatione tam gravis excessus de mandato Domini Gregorii ordinatum quòd duo ex Prælatis regni soluto Concilio redeuntes in regnum Regem super corrigendis oppressionibus quas continebant capitula supradicta requirerent & monerent. Obfuit tamen & regni negotio nimium absentia Domini * M. Salernitani Archiepiscopi, qui temporibus istis, postquam deliberaverat ad Concilium properare vocatus, eo videlicet animo ut oppressiones regni singulas firma voce depromeret ac regni statum ipsius instanter peteret reformari, ultimum amaritudinis diem clausit. Tunc audita est vox ploratus & ululatus multus. Salernitana enim Ecclesia voce turturea laniata clamabat. Quò progrederis pater, quò sacerdos sancte properas, à dilectis regni filiis ulteriùs non videndus? Pater mi, pater mi, regnicolarum currus, & Prælatorum auriga. Quid facient oppressi regnicolæ, quid Ecclesiæ ancillatæ, quæ fortem perdiderunt pugilem & athletam securum, cujus industria, cujus animositate servitutes indebitæ, oppressiones insolitæ, angariæ & parangariæ insuetæ, quæ viduis & maritatis regni, Ecclesiis ac personis ecclesiasticis irremediabiliter infliguntur, in conspectu tanti Concilii providè fuissent propositæ ac expressæ robustè?

* Matthæi

Sanè Dominus Gregorius Papa ad Concilium Ecclesiæ Lugdunum properando Regem Karolum in Tuſcia ſuper regni gravaminibus affectu patris alloquitur in hæc verba. Super oppreſſione multiplici & innumeris novitatibus, fili cariſſime, quibus ſub tuo felici dominio regnicolas opprimi fama clamat, validus frequenter clamor perculit aures noſtras. Profectò credidimus per te illa debitis reſtaurationibus emendari ſtatumque illius regni brachio tuo commiſſi promptè in meliùs reformari. Revoces igitur pro Deo talia quæ Regi pio non congruunt, ſed potiùs regiam celſitudinem dehoneſtant, ita quòd tua grandis adeo felicitas adaugeat, non minuat, ſubditis libertatem. Ad hæc inquam, cùm regium Rex non feciſſet in hac parte reſponſum, cujus animus videbatur ad ulteriora proclivior, dictus Dominus Gregorius ſubdidit. Veniet, veniet illa dies qua ſuper te tuoſque filios & heredes tyrannus inopinatus adveniet. Rex autem ad Papam mente provocata quodam modo ſpirituque turbato tunc replicat. Neſcio quid ſit tyrannus. Scio tamen quòd ille Deus qui ſemitas cœptas pedumque meorum ſumpta veſtigia huc uſque direxit velut auxiliator, in poſterum mecum erit. Poſt hæc, cùm Rex prædictus quaſdam naves Hoſpitalariorum & Templariorum oneratas frumento in Sicilia & transfretare paratas feciſſet exonerari frumentaque deponi, pro eo videlicet quòd præter jura fundicaria & duanæ pro extractiva cujuſlibet ſalinæ perpetuo edicto ſtatuerat unum auguſtalem aureum fiſco regio componendum, quem auguſtalem dicti fratres, cùm contra eorum immunitatem & regni libertatem ac conſuetudinem peteretur immo extorqueretur exactè, contendebant ſecretis regiis exhibere, fama de iis ad Dominum Gregorium Lugdunum uſque perrexit, quaſi Rex prædic- IV.

tus terræ sanctæ, quam idem Dominus Gregorius apostolico zelo puraque mentis intentione fovebat, auxiliaria victualium subsidia, quibus plurimùm indiget, impediret. Propter quod conscientia mala gravatus, considerans quòd paterna & caritativà monita non possent penes Regem Karolum in revocatione tantarum novitatum adinventarum in regno proficere, doctrinam in hoc evangelicam servans Regi Franciæ Philippo præsenti hæc voce lugubri mœstaque mente denuntiat dicens quòd significatio prædictorum sua & fratrum suorum, si vera sunt, lædit viscera, nimirum cùm statum illius terræ sanctæ Christi sanguine consecratæ jaculo verisimilis læsionis offendat. Quare rogat & mandat ut Rex Franciæ dicto Regi Siciliæ hujusmodi præmissa significet ac quicquid in hac parte responderit ad notitiam sedis apostolicæ perferat; quæ circa talia intendebat apponere consilii remedium opportuni. Præterea super eo quòd Græci nuntios ad Concilium miserant, per quos se velle redire ad unitatem Ecclesiæ ac commutatis in melius ritibus unionem cum gente Latina facere astruebant, pater apostolicus similiter Regem Franciæ consuluit memoratum dicens quòd Græcis ad mandata Ecclesiæ redire volentibus & parere non videbatur gremium debere apostolicæ sedis claudi, sed recipiendi erant, ut prima facie videbatur, ad misericordiam Romanæ Ecclesiæ gratiosè, ut de cætero juxta evangelica vaticinia unus in mundo sit pastor, erroris cujuslibet abdicata caligine, unumque ovile fidei orthodoxæ. Sed nescio quis, Deus scit, qui novit occulta, tantam Græcorum & Latinorum paratæ ac petitæ unitatis concordiam zizania damnosæ dissolutionis infecit & fermento malitiæ ac excogitatæ nequitiæ impedivit. Ad ligandum sanè Prælatorum alas decurtandumque

volatus ac clericorum passus novis constitutionibus compescendos & per consequens jurisdictionem sedis apostolicæ ampliandam, ut quæ cuncta potest cuncta operetur immediatè, qui viderit aut videre poterit, & sola totaque sit in omnibus peragendis quæ mater est omnium & magistra, quamplures decretales seu decreta vel sanctiones pœnales valituras perpetuò promulgavit. Pro subsidio autem terræ sanctæ prædictæ, ut de redditibus ecclesiasticis generalis passagii sumptus abundè ac liberaliter fieri valeant, decima sex annorum universaliter de omnibus Ecclesiarum proventibus edicitur colligenda in toto orbe terrarum, & demum collectores per singulas provincias statuuntur.

Concilio igitur dissoluto, de quo nulla vel modica universitatis fructuositas est progressa, nisi quatenus sedes apostolica devotionem confluentium ad synodum generalem & evocatorum obedientiam est experta, Dominus Gregorius redit in Italiam, Romam festinans, immo ad passagium celeri festinantia devotè suspirans. Sed quia non sunt in homine viæ ejus, immo Deus tantùm, qui moderatur & vota dirigit gressus humanos, dictus Dominus Gregorius apud civitatem Aretinam squalore itineris fatigatus adveniens, moleque propterea tandem morbi febrilis arreptus, viam omnis carnis ingreditur, nomenque sanctitatis apud homines indelebile promeretur. Huic autem celeri provisione substituitur in honore Dominus frater Petrus de Burgundia Episcopus Ostiensis, qui mutato Petri vocabulo, cujus adeo plenitudinem potestatis assumpserat, Innocentius V. voluit nominari. Hic volens episcopatum suum visitationis debitæ præsentia honorare sedique propriæ reverenter & devotè sua visitatione deferre, abjecta mora Romam itinere continuato se dirigit. Tempore autem V

Domini Innocentii V. Rex Karolus regnum Hierosolymitanum ex concessione cujusdam Domicellæ, quæ filia J. quondam Regis Hierusalem dicebatur & heres, sive pretio sive amore aut permutatione seu compensatione alicujus excambii est adeptus, Regemque se Hierusalem & Siciliæ postmodum titulavit. Infra sex autem menses Dominus Innocentius apud Lateranense palatium Romæ fatalibus devictus viribus, diffinitiva mortis sententia, resignato vitæ chirographo, cessit mundo.

VI. Cùm prædictus Dominus Gregorius Papa bonæ memoriæ attendens gravia dictæ sedis dispendia & probrosam infamiam quæ propter vacationem diutinam sedis ejusdem, quam vota contraria Cardinalium & in electione summi Pontificis omnino divisa trahebant, universali proveniebat Ecclesiæ, quandam constitutionem contra Cardinalium duritiem edidisset, per quam rectoribus civitatum & locorum in quorum districtibus summum Pontificem obire contingeret reducendi Cardinales ipsos sub unius clausuræ conclavi & eos certo modo ad electionem celerem compescendi plenam ex rationibus tradiderat potestatem, Rex prædictus, qui erat tunc urbis senator ad vitam, Cardinales prædictos in palatio Lateranensi prædicto adeo coartavit quòd contra voluntatem & repugnantiam majoris & sanioris partis collegii obturatis quibuslibet foraminibus, muratisque fenestris altissimis, per quas solum animal pennatum, apertis remanentibus, ingredi poterat ad conclusos, multa & dura fecit personaliter instans coërtionis & coactionis operibus, per quæ nonnullos ex ipsis Cardinalibus provocavit & se suspectum eis reddidit & pariter odiosum. Credensque per coërtionem hujusmodi habere summum Pontificem forsitan sicut vellet, non incedens per viam regiam, sinistram

declinavit in partem. Post octo namque dies ipsi subſtractis cibariis, panis & aqua tantùm debebant, ſecundùm prædictam conſtitutionem Gregorii, Cardinalibus omnibus in recluſorio miniſtrari. Cardinales Gallici diverſitatem ciborum ac varietatem potuum latenter in abundantia per miniſtrôs regios porrectorum gula ſtomachante faſtidiunt. Tunc ſanè Dominus Johannes Gaietanus ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, Argus & argutus in Eccleſia Dei, omniſque ipſius Cardinalis ſequela contra Regem Karolum non immeritò cauſam & materiam conceperunt odii & rancoris pro eo quòd erga conſtrictos reductoſque infra murorum ambitum compulſa inæquali & impari ſuperbè non minùs regere ſe ſtudebat. Demum ille cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, non paſſus longæ vacationis Eccleſiæ ſuæ ſanctæ ſtipendia, qui voluit eſſe Dei mediator & hominis, diſcrepantes Dominorum Cardinalium ſpiritus ad illius reduxit monochordium unitatis quòd properè nimis ultra quàm tunc credi poſſet Dominus Ottobonus ſancti Adriani Diaconus Cardinalis ad ſummi apoſtolatus apicem, conſulto priùs Rege à Cardinalibus Gallicis præter jus & conſuetudinem, concorditer evocatus, mutatoque proprio nomine vocari voluit Adrianus. Hic, pro eo quòd æſtiva tempora imminebant, quibus, neſcio qua ſuſpicione de aëre corrupto concepta, Romana Eccleſia vitare urbis Romanæ didicit incolatum, Viterbium ſtatim pergit, quaſi præſcitam feſtinantiam ad mortem; ibique infra quadraginta dies debitum naturæ perſolvit invitus. Poſt cujus obitum Domini Cardinales reducti more ſolito in palatio ſub conclavi in cordis duritia & animi obſtinatione præterita validiores effecti, ſed diverſitatem cor-

porum notis utriusque diversis diversitatem induunt animorum. Nihilominus tamen ex industria & sagacitate prædicti Domini Johannis Gaietani magister Petrus Hispanus Tusculanus Episcopus ad apicem apostolicæ dignitatis assumitur & Johannes XXI. mutato nomine proprio nominatur.

VII. Sub istius tempore Karolus Rex præfatus aliàs impresso gravi pondere onus addens & de perversorum suorum consilio novos novorum gravaminum modos invenit & imposuit. Quidam enim ex suis subdola suggestione susurrant, & aures regias vento nitentes adulationis implere, dum nil aliud cogitant nisi cum alterius Regi placere jactura, dicunt in aures. Domine mi Rex, forestas innumeras camposque diversos & nemora subdefensa necnon alia infinita hodie regium habet dominium; è quibus, quod est satis mirabile, consideratis expensis quas pro iis curia vestra subit, nulla provenit ut deberet utilitas fisco vestro. Totum forsan commodum omnisque fructus & usus est magistrorum massariorum aliorumque custodum & credentiariorum curiæ. Unde massarias vestras, Domine, per terras regni cum bonis viris qui massariis utuntur communicetis in totum & societates inite cum eisdem. Multiplicabuntur enim sine sumptibus curiæ tunc regiæ massariæ; semperque salva rerum substantia multa cameræ vestræ emolumenta provenient. Dividantur animalia vestra per subditos opulentos, & eis imponatur reddendum curiæ vestræ, salva semper sorte, certum quid annuatim. Subditi quippe vestri propter consequendam in bonis & animalibus suis prætextu societatis regiæ libertatem & habenda pascua libera libenter ad participium fructuum recipient sub suo periculo & fortuna qualibet massariam. Falsa igitur & fallaci suasione recepta & pariter approbata, per totam Siciliam,

quæ terra eſt fertilis & fœcunda, ſegetibus apta, & accommoda maſſariis, viros habentes aliquid, maximè archivillanos locorum & protoruſticos, eligit ad hujuſmodi officiorum onera officialium docta malitia. Huic invito ſues in numero, alii renitenti boves, illi compulſo vaccas, alii repugnanti pecora ſive oves & equas cuſtodiendas aſſignat, legem ponens cæteris, ac ſi naturæ dominaretur & aëri, aut eſſet humana virtus ſuper omnipotentia deitatis. Hæc eſt enim lex, hic eſt modus impoſitus cæteris talibus, hoc ſtatutum curiæ officialium mala fraude vallatum; ut ille videlicet cui ſocietatis nomine ſues cuſtodiendæ traduntur aſſignet fiſco curiæ anni circulo revoluto parturiſſe ſuem quamlibet bis quinque capita fœtus, duos ſcilicet fœtus maſculos & tres feminas, fœtuſque primos femineos eodem anno quinque ſimiliter quamlibet generaſſe, ita quòd de qualibet porca in omnem eventum viginti capita in univerſo poſt annum, velit nolit, de bona & æqua, ut aiunt, ratione reſignet, ſecundo verò anno & deinceps quolibet XXX. ſalinas frumenti & totidem ordei magiſtro maſſario curiæ repræſentet, receptis pro expenſis & mercede ſervitii & laboris duobus tantùm auguſtalibus per ſingulos duos boves. Alteri verò, cui bidentes ad participium fructus dantur, talis eſt rationis compulſio ad tapetum ut pro ſingulis centum ovibus ſibi dotis, de decem cantaris caſei, & de duobus reccocæ, ac quatuor cantaris lanæ, venditoque caſeo, de duodecim tarenis auri prò quolibet cantaro caſei, & de ſex tarenis pro cantaro, ſoluta omnino integrè pecunia curiæ anno revoluto faciat rationem. Si quæ ſint oves fœtæ portantes, nonaginta. Saltem ex quolibet centenario fœtus, ſexaginta videlicet feminas, & triginta maſculos anniculos, eaſdemque feminas

ſecundo anno ſuos pariter fœtus habere in ſui tempore ratiocinii omnino deponet. Pro ſtercoribus verò bidentium de terris impinguatis ab eis in quibus die ſtabulantur & nocte duas ſalinatas pinguis novalis procuret haberi ; ex quibus duabus ſalinatis duodecim ſalinas victualium de ſuo , ſi novalis caſu pereat , fiſco componat. Equarius verò per ſingulas duodecim equas ſuæ cuſtodiæ aſſignatas quolibet anno decem fœtus , quatuor maſculos , & ſex feminas , neceſſariò ſub omni ſuo periculo repræſentet. His & aliis gravaminibus , præter collectas & exactiones . . . . *Cætera deſunt.*

Poſtea legendus eſt Nicolaus Specialis editus in appendice Marcæ Hiſpanicæ pag. 597.



PRÆFATIONES BENEDICTI EPISCOPI MASSILIENSIS

in commentarium ſuum de ſancta trinitate & fide catholica.

SANCTISSIMO in Chriſto Patri ac reverentiſſimo Domino Alexandro Dei providentia Pontifici ſummo frater Benedictus Dei permiſſione dictus Epiſcopus Maſſiliæ, cum ſumma devotione, obedientia, & reverentia, devota pedum oſcula beatorum. Cùm citra & ultra mare varios errores invenerimus deviantes ab orthodoxæ fidei puritate & Eccleſiæ catholicæ adverſantes, nos toto animo cupientes ad honorem Domini Jeſu Chriſti fideles ac fidem catholicam munire firmiter ac firmare contra fidei inimicos rationibus, auctoritatibus, & exemplis, & erroneos cum ſuis erroribus radicitus extirpare, & qualiter per doctrinam, ſollicitudinem, & diligentiam ſanctæ ſedis apoſtolicæ extirpati & extirpandi ſint evidentiùs declarare, ideo, prout nobis divina gratia inſpiravit, ſtuduimus exponere ſymbolum conſtitutum in univerſali Concilio Lateranenſi à bonæ memoriæ Papa Innocentio tertio celebrato. quod ſymbolum incipit: *Firmiter credimus.* in quo notavimus qui errores in verbis ſingulis dicti ſymboli eliduntur, & quibus erronei innituntur contra fidem & Eccleſiam catholicam, & qualiter eis valeat reſponderi, & qualiter fides catholica, quam tenet &

docet ſedes apoſtolica, poteſt probari rationibus, auctoritatibus, exemplis, & ſimilitudinibus, quibus infideles apertiùs convincuntur & fideles in fide firmiùs roborantur. Quia verò experti ſumus jam eſt diù quòd ſanctæ paternitatis veſtræ devotio ad hoc totis viribus invigilat ut fides Domini noſtri Jeſu Chriſti & catholica Eccleſia ſemper proficiat & errores ac erronei contrarii extirpentur, hoc opus ſanctæ paternitati veſtræ duximus deſtinandum, ſupplicantes ut ſi quid in eo gratum & utile invenerit, Deo gratias referat, ſi quid verò reprehenſibile vel inſufficiens, infirmitati meæ ac imperitiæ ſanctæ paternitatis veſtræ pia & dulcis affectio indulgeat, corrigat, ſuppleat, & emendet, noſque ac gregem nobis commiſſum in veſtris ſanctis orationibus & meritis habere dignemini commendatos.

Benigniſſimo in Chriſto Patri & reverentiſſimo Domino T. Dei providentia Epiſcopo Bethlemitano apoſtolicæ ſedis Legato Benedictus Dei gratia Epiſcopus Maſſilienſis, cum ſpeciali devotione, obedientia, & reverentia, promptam ad beneplacita voluntatem. Quia vitæ ſanctitas & bonus odor famæ publicæ ac evidentia ſanctorum operum & ſplendor ſcientiæ perſonam veſtram irradiant & venuſtant & ſplendore ſui luminis alios illuminant per doctrinam ſalubriter & exemplum, ſanctæ paternitati veſtræ mittimus tractatum quem compoſuimus ſuper erroribus quos citra & ultra mare invenimus à fide catholica aberrantes & ab unitate ſedis apoſtolicæ deviantes. Quem tractatum miſimus Domino Papæ bonæ memoriæ Alexandro, ſicut patet in littera præcedenti, & poſtea derivavimus ad religiones fratrum Prædicatorum & Minorum & Ciſtercienſium & de pœnitentia Jeſu Chriſti, & ad alias plures, & ad Archiepiſcopos

& Episcopos, & diversas provincias & dioeceses in partibus transmarinis, & per vos in istis partibus, ubi opus incepimus, volumus dirivari. Vos autem corrigatis quæ videritis corrigenda, & faciatis copiam aliis transcribendi secundùm quod videritis expedire, nosque ac gregem nobis commissum in sanctis vestris orationibus & meritis habere dignemini commendatos & aliis commendare. Adaugeat vobis Deus gratiam, & bene valeat sancta vestra paternitas nunc & semper. Datum Accon anno Domini MCCLXI. in festo sancti Matthæi.

Sanctissimo in Christo Patri & reverentissimo Domino Guillelmo Dei providentia Patriarchæ Hierosolymitano apostolicæ sedis Legato B. Dei permissione dictus Episcopus Massiliæ cum summa devotione ac reverentia promptum ad beneplacita famulatum. Quia præcellenti splendore scientiæ ac salubri experientia jugis exercitii ad impugnandum errores infidelium & ad tuendam fidem catholicam & unitatem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ vos novimus præminere, firmiter credimus quòd merito sanctitatis vestræ divina providentia vos vocavit ad purgandam terram sanctam ab erroribus infidelium & à spurcitiis vitiorum quibus extitit, peccatis exigentibus, longis temporibus multipliciter prophanata. Et quia optamus fieri participes tanti meriti ac laboris, etsi majora non possumus ut vellemus, saltem vobis offerimus munus exiguum, sed utile ad impugnandum infideles & ad muniendum fideles auctoritatibus, rationibus, & exemplis contra errores quos invenimus citra & ultra mare à puritate fidei aberrantes. Hoc opus incepimus olim quando primò transfretavimus pro subsidio terræ sanctæ. Quod opus misimus Domino Papæ Alexandro, sicut patet in littera præcedenti, & postea dirivavimus ad diversas pro-

vincias & dioceses & religiones, & ad dirivandum dedimus venerabili patri T. Dei gratia Episcopo Bethlemitano sedis apostolicæ Legato quando ultimò reversi fuimus à partibus transmarinis. Vos autem corrigite corrigenda, supplentes defectum, & quod minus bene fuerit indulgentes; nosque ad gregem nobis commissum habere dignemini in sanctis vestris orationibus ac meritis commendatos. Bene valeat vestra sancta paternitas, & sanctum vestrum propositum Deus dirigat, perficiat, & confirmet, & per vos terram sanctam restituat cultui Christiano, & adaugeat in vobis gratiam nunc & semper. Amen. Datum Massiliæ anno Domini MCCLXIII. in vigilia sancti Laurentii.

Venerabili & in Christo carissimo fratri G. Priori fratrum Prædicatorum Montispessulani B. Dei permissione dictus Episcopus Massiliæ cum speciali devotione ac reverentia augmentum gratiæ in præsenti ac gloriæ in futuro. Quia vir sanctorum desideriorum estis, licèt satiatus sitis favo sollicitæ fidei & ad impugnationem errorum & hæreticæ pravitatis appetitu salutifero esuritis, nos..... insalubrem esurientes, tanto affectuosiùs volumus satiare quanto satietatem hujusmodi esse credimus honori Dei, ædificationi Ecclesiæ, saluti proximorum, & utilitati studentium profuturam & vestro desiderio laudabili profuturam. Mittimus vobis.. ...... opus correctum transitorie....... funiculis sive corrigiis nec irretitum...... capitulatum sericis...... *Reliqua vix legi possunt, & continent tantùm brevem divisionem operis quod mittitur.*

Amantissimo & religiosissimo patri Dei gratia re & nomine Benedicto Massiliensi Episcopo frater G. suus Lemovicensis salutem, sanitatem, & pacem & optat jugiter & orat frequenter. Beneficiorum vestrorum memor publicè & privatim & consolationum

consolationum quas Massiliæ & in Montepessulano à vobis recepi, gratias multas ago, & hoc oro ut caritas vestra magis ac magis abundet quousque per Christum & in Christo perficiatur. Notum autem vobis facio, Pater, quòd in libro vestro multùm proficiunt fratres, & fides vestra nuntiatur in universo mundo. Cùm igitur Provincia Massiliæ, & Gotia in Montepessulano, & Italia Romæ per vos illum habuerint, rogo quatenus mihi vestro, qui libentissimè vestra relego, Lemovicas dictum librum mittatis, ut per Aquitaniam & Galliam dirivetur, ut vobis orationes & Deo gratiæ reddantur à multis. Commendo me & fratres sanctis orationibus vestris. Datum manu mea. Bene & semper valete. Conservet vos Dominus Jesus Christus & piissima Domina mater ejus Maria. Amen. Amen.

Sententia lata in synodo super decimis.

Quoniam in signum universalis dominii universorum dominus Deus de universis quæ dedit usui hominum decimas sibi retinuit, easque distribuit clericis & Ecclesiis, per quos & in quibus ejus cultus fieret, & sibi ut dominatori omnium serviretur, ideo decimæ per rectores Ecclesiarum ex debito requiruntur, in tantum quòd qui eas solvere integrè noluerit, debet ut invasor & detentator juris divini & ecclesiastici excommunicari tanquam pro peccato mortali, sicut docent jura canonica & divina. Cùm igitur nos B. Dei gratia Massiliensis Episcopus intellexissemus per plurimos, & etiam nos nostra conscientia remorderet quòd de negligentia eramus plurimùm arguendi tanquam immemores salutis nostræ nostrorumque subditorum, quia decimas in civitate Massiliensi non fa-

ciebamus ſolvere ut canonica docent jura. Et licèt huc uſque poſſemus aliquatenus excuſari, quia quondam errores hæreticorum invaluerant in civitate qui contemptibiliter irridebant eos qui decimas vel primitias vel oblationes clericis vel Eccleſiis materialibus perſolvebant, & impunitatem non præſtantibus prædicabant, nunc non haberet locum illa excuſatio, quia per Dei gratiam illi hæretici & eorum errores per ſalubre prædicationis & inquitionis officium à civitate Maſſilienſi extirpati ſunt & cotidie extirpantur; & ideo error de non ſolvendis decimis eſt meritò in civitate Maſſilienſi extirpandus. Hinc eſt quòd nos B. Dei gratia Maſſilienſis Epiſcopus de taciturnitate & negligentia pœnitentes, & honorem Dei & Eccleſiæ ac ſalutem ſubditorum promovere volentes, ſecundùm doctrinam Domini noſtri Jeſu Chriſti pluries moneri fecimus cives Maſſilienſes per capellanos parrochiales ſollemniter in Eccleſiis ad Miſſas, & nos perſonaliter viva voce pluries monuimus illos qui propter hoc ad nos veniebant de mandato & vice conſilii generalis Maſſiliæ ut omnes integrè ſolverent decimas ſecundùm ſtatuta canonica & divina, & poſt plures monitiones ſententiam excommunicationis ferri fecimus & publicari per dictas Eccleſias contra illos qui decimas integrè ſolvere denegarent. Et quia intelleximus quòd quidam ſunt in tantum in ſua malitia obſtinati quòd impudenter dicunt non eſſe ſolvendas decimas ex debito clericis vel Eccleſiis nec ad hoc debet per excommunicationis ſententiam quis compelli, & quòd illi qui volent ſolvere, poſſunt eas dare pro eleemoſyna quibus voluerint Epiſcopi licentia non obtenta, nos attendentes quòd ſecundùm jura canonica hæc omnia ſunt . . . . fecimus fieri ſollemniter iterum monitiones per Eccleſias quòd nullus verbo

vel facto excusaret vel defenderet quin quilibet teneretur reddere decimas Ecclesiis & clericis integrè secundùm quod in sacris canonibus & statutis apostolicis continetur. Et quia per plures dies sollemnes auctoritate nostra factæ fuerunt hujusmodi monitiones, cùm intelligamus quòd non cessant isti detractores Ecclesiæ, defensores errorum, & impugnatores justitiæ, nos eorum malitiæ obviantes, cùm dicant jura quòd si quis peccantem defenderit, maledictus erit apud Deum & homines & acriùs quàm ille qui peccavit debet coërceri, & qui alterius errori consentit, simili modo est culpabilis judicandus, (ut XI. qu. III. *Qui consentit.*) & qui aliorum errorem defendit, multò est damnabilior illis qui errant, quia non solùm ille errat, sed etiam aliis offendicula erroris præparat & confirmat, unde quia magister erroris est, non tantùm hæreticus sed hæresiarcha est dicendus, (XXIV. q III. *Qui aliorum.*) Nos B. Dei gratia Massiliensis Episcopus in plena synodo residentes, positis coram nobis evangeliis & sanctorum reliquiis, auctoritate Dei omnipotentis patris & filii & spiritus sancti in scriptis excommunicamus omnes illos qui in civitate Massiliensi contumaces fuerint in non solvendo decimas integrè & qui talibus in hoc verbo vel opere dederint consilium, auxilium, vel favorem, sententias etiam latas auctoritate nostra super hoc per officialem nostrum nihilominus confirmantes, & mandantes Notariis nostris præsentibus ut super iis faciant publica instrumenta. Lata fuit hæc sententia anno Domini MCCLXIII. IX. Kal. Novembris in majori Ecclesia beatæ Mariæ sedis Massiliæ.



Excerptum ex veteri collectione miraculorum patratorum in diocesi Magalonensi.

Dominus Benedictus quondam Episcopus Massiliensis & nunc frater Minor cùm quoddam frustum ligni veræ crucis de ultra mare asportasset, ut esset in majori reverentia & honore si divideretur & distribueretur in plures Ecclesias, ad dividendum cum subtilitate magistro tradidisset, assistente nepote dicti Episcopi vicario suo, ne quid de ipso ligno posset occultari vel per negligentiam perdi, & ipsis tribus in capella dicti Episcopi inclusis, & Episcopo dante se orationi, dum magister ligno in catestato & firmato vellet lignum scindere, subitò inde exiliens cum strepitu nimis, ac si sagitta emitteretur de balista, non per fenestram administrantem lucem, sed per aliam ex adverso, lignum exivit circumvolando, & ad oppositum parietem domus alterius ex parte fenestræ lucem ministrantis se in quodam foramine collocavit. Ad cujus strepitum surgens Episcopus quæsivit quid hoc fuit. Cùmque rei gestæ audisset processum, admirans Dei virtutem, & cogitans quare hoc contigisset, magister ille coram ipso prostratus cum magno dolore dicit; Ego sum causa hujus, quia vilis peccator immundus tam pretiosum thesaurum tangere ausus fui. Ad quod Episcopus: Vis, inquit, confiteri. Et ille: Volo, inquit. Quo confesso, & ligno sollicitè inquisito & invento, lignum magistro tractabile præbuit, ita quòd secundùm dictamen Episcopi illud incidit.



DE CONSTRUCTIONE CASTRI SAPHET.

Cum sit nostrum firmum & salubre propositum iis quæ sunt ad honorem Dei semper intendere ac in iis jugiter immorari, & præcipuè in iis quæ ad exaltationem fidei & Ecclesiæ, & quæ ad ædificationem proximorum, quæ ad salutem animarum, quæ ad subsidium terræ sanctæ, quæ ad defensionem fidelium, quæ ad confusionem & destructionem infidelium credimus pertinere, & propter hoc castrum Saphet specialiter sit constructum, quare & quando fieri incepit, & qualiter constructum fuerit, proponimus declarare.

Quare & qualiter & quando incepit construi castrum Saphet.

Cùm igitur ad subsidium terræ sanctæ venisset magnus exercitus Christianorum, in quo erant Rex Navarræ & Comes Campaniæ, Dux Burgundiæ, Comes Britanniæ, Comes Nivernensis & Forenciæ, Comes Montisfortis, Comes Barensis, & Comes Masticonensis, & plures alii Comites & Barones, & in quo Milites apparatu militari plusquam mille & quingenti numerati sunt, præter alios quibus non erat apparatus sufficiens militaris, & balistariorum & peditum quasi innumerabilis multitudo, & venissent apud Jopen, & deliberassent qualiter procedere deberent, quidam nobiles de suis viribus præsumentes, & Templariorum & aliorum religiosorum ac nobilium de terra consilium contempnentes, de nocte ab exercitu recesserunt,

& quia non dederunt gloriam Deo, cujus est victoria, sed eam sibi nisi sunt deputare, victi fuerunt ignominiosè, & plures capti ac mortui, & exercitus reversus est cum confusione maxima apud Jopen; ubi ad relevandum & mitigandum confusionem deliberatum fuit quòd reædificarent castrum Saphet, quia non poterant ita bonum opus construere toti terræ; & ut magister Templi inciperet, promiserunt quòd darent ei ad subsidium construendi septem millia marcarum, & quòd esset exercitus ibi per duos menses ut securiùs & leviùs ædificaretur. Sed cùm reversi fuissent in sabulo Accon, obliti sunt promissorum, nec iverunt ad construendum, nec ad hoc faciendum aliquid contulerunt. Cùm autem facta treuga cum Soldano Damasci dictus Rex & exercitus magnus repatriasset, Episcopus Marsiliæ re ac nomine Benedictus ivit ad sanctam Mariam de Sardinia prò peregrinatione cum competenti ducatu dicti Soldani. Et cùm de mandato Soldani per aliquos dies expectasset in Damasco, frequenter veniebant ad eum plures quærentes ab eo si ædificaretur Saphet. Et cùm ipse quæreret ab eis quare cum tanta instantia requirebant, respondebant quòd ædificato castro de Saphet, Damasci portalia essent clausa. Cùm ergo dictus Episcopus recessit à Damasco, consideravit diligenter terram usque Saphet; & non vidit munitionem aliquam præter Subebeam, quam tenebat nepos dicti Soldani. Et cùm venisset apud Saphet, invenit ibi asertium sine ædificatione ubi quondam fuerat castrum nobile ac famosum. Ibi recepit eum cum magno gaudio frater Raymundus de Caro, qui erat tunc ibidem Castellanus; sed non habuerunt ubi caput reclinarent nisi garbelarias quas portant servientes fratrum, ubi faciunt lectos dominorum suorum. Cùm igitur Episcopus

Vide Spondanum an. 1238. § 10 Ragnaldum an 1239. § 79. 81. To. V. Duchesnii pag. 334. Mar Sanut. Torsell. pag 215. extr.

inquisiisset diligenter circumstantias & districtum dicti castri, & quare Sarraceni ædificationem ejus tantùm formidarent, & invenisset quòd illud castrum fieret defensio & securitas & quasi scutum Christianorum usque Accon contra Sarracenos, & esset impugnatio fortis & formidabilis & facilitas & opportunitas faciendi insultus & discursus in terra Sarracenorum usque Damascum & propter ædificationem dicti castri amitteret Soldanus multam pecuniam & magnum succursum & servitium in hominibus & rebus illorum qui essent de feto dicti castri, amitteret etiam in terra sua propria casalia & agriculturam & pascua & alia consueta, quia non auderent terram excolere propter metum dicti castri, & inde verteretur in eremum & solitudinem sua terra, & iterum oporteret eum facere multas expensas & renere multos stipendiarios pro defensione Damasci & pro terris circumadjacentibus, & breviter invenit per famam communem quòd non esset castrum tam fortissimum in terra illa unde possent Sarraceni tantum damnificari & Christiani tantum adjuvari & Christianitas dilatari. Cùm hæc & similia audivisset dictus Episcopus, venit Accon; & cùm visitaret magistrum Templi Armannum nomine, qui jacebat infirmus; quæsivit ab eo idem magister quid viderat & audierat apud Damascum. Et Episcopus respondit sibi quòd videbatur sibi magnificentius quod viderat & audierat in quanto timore & tremore ac quærendi sollicitudine existerent Sarraceni super ædificatione castri Saphet. Sic referendo prædicta, cœpit persuadere diligenter & instanter quòd intenderent totis viribus & celeriter, dum habebant treugas, ad illud ædificandum. Magister verò cum suspirio dixit: Domine Episcope, non est facilis ædificatio Saphet. Nonne vos audivistis quòd

Rex Navarræ, Dux Burgundiæ, Comites & Barones exercitus promiserunt quòd venirent apud Saphet ut securiùs & citiùs ædificaretur, & starent ibi per duos menses, & darent septem millia marcarum pro faciendo ædificio, & tamen unde ad ædificium non dimiserunt; & vos dicitis quòd ædificemus sine subsidio aliquorum. Tunc Episcopus dixit: Magister, quiescatis in lecto vestro, & dicatis voluntatem vestram bonam & efficax verbum vestrum fratribus; & ego confido in Domino quòd plus facietis de lecto vestro quàm fecit totus exercitus cum multitudine armatorum & abundantia suarum divitiarum. Et cùm instaret Episcopus, dixerunt majores qui erant ibi: Domine Episcope, vos dicitis quod bonum vobis videtur; & magister habebit consilium, & respondebit vobis. Cùm autem recessisset Episcopus à magistro, vocavit eos qui erant majores in consilio, & persuasit eis illud quod Episcopus dixerat magistro; & placuit eis plenissimè, & dixerunt ei quòd sequenti die veniret & faceret tantum quòd magister poneret hoc in consilio coram illis.

Qualiter Episcopus Marsiliæ suasit magistro Templi & ejus consilio quòd construerent castrum Saphet.

Sequenti verò die venit idem Episcopus ad magistrum, & rogavit illum ut vocaret consilium suum, quòd volebat sibi loqui aliqua sibi cara. Et cùm venissent, dixit illis Episcopus: Domini, ego intellexi quòd religio vestra fuit primò & principaliter instituta per sanctos Milites qui se totaliter devoverunt ad tuitionem Christianorum & ad impugnationem Sarracenorum; & quia in hoc se strenuè ac fideliter habuerunt, Dominus dilatavit & exaltavit religionem vestram aqud se & apud Reges

& Principes, & est coram Deo & hominibus vestra religio hodie plurimùm celebris ac famosa; & quod factum fuit tunc per illos sanctos Milites, modò videtur quòd per vos sit similiter faciendum: quia cùm ego essem apud Damascum, intellexi per plures quòd non est aliquid quod Sarraceni tantum timeant quantum quòd Saphet ædificaretur, quia ædificato illo castro, portale Damasci reputant esse clausum; & nos ipsi vidimus & consideravimus circumstantias dicti loci, & est fama publica quòd non potest ædificari castrum vel fortalitium in terra ista per quod possit ita defendi Christianitas & Sarracenorum infidelitas impugnari sicut per castrum Saphet. Propter quod ego vester amicus, vester fidelis, attendens honorem Dei, salutem animarum, & promotionem religionis vestræ, rogo, consulo, & requiro ut vos, tanquam Deo fideles ac devoti & strenui Milites, respiciatis ad exempla illorum priorum & exponatis vos & vestra ad ædificationem castri de Saphet, per quod tanta impugnatio infidelium semper fiat. Ego autem non habeo pecuniam quam vobis ad hoc offeram sufficientem; sed personam offero ad faciendam ibi peregrinationem, si vultis ædificare. Si autem volueritis, prædicabo peregrinis, & vadam ibi ædificare cum eis damacia, similiter ibi acervus magnus lapidum, & faciam murum in circuitu de siccis lapidibus ad defensionem Christianorum & ad impugnationem Sarracenorum. Quo audito, dixit quasi ridendo magister: Domine, habetis in corde quòd fiat. Et Episcopus subjunxit: Habeatis & vos ad hoc bonum consilium, & Dominus sit vobiscum. Et tunc recessit ab eis. Dominus autem direxit eorum consilium, & concordaverunt unanimiter quòd dictum castrum reædificaretur sine mora, dum durabant treugæ cum Sol-

dano Damaſci; quòd ſi differretur, poſſet ædificatio de facili impediri.

Quòd gaudenter & magnificè inceptum fuit Saphet, & à quo, & quando.

Cùm autem deliberatum fuiſſet quòd ædificaretur Saphet, lætitia magna fuit in domo Templi & in civitate Accon & in populo terræ ſanctæ; & ſine mora electa eſt Militum, ſervientium, baliſtariorum, & aliorum armatorum laudabilis comitiva, & ſaumarii multi ad portandum arma & victualia & alia neceſſaria, & aperta ſunt granaria & cellaria & theſauraria & aliæ officinæ ad faciendas expenſas magnificè ac gaudenter; & miſſa eſt multitudo operariorum & clavorum cum inſtrumentis & impenſis ſibi neceſſariis; & lætata eſt terra in adventu eorum, & elevavit naturam Chriſtianitas terræ ſanctæ. Idem autem Epiſcopus Marſiliæ ibi venit cum quibus potuit peregrinis, & poſuit tentoria ſua in parte ubi fuerat agota Judæorum & meſquida Sarracenorum, ut per hoc innueret & apertè ſignificaret quòd caſtrum de Saphet ædificabatur ad debellandas infidelitates infidelium & ad roborandam & defendendam fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Cùm autem parata eſſent ea quæ ad incipiendum tam præclarum opus pertinebant, poſt celebrationem Miſſæ venit idem Epiſcopus, & facto brevi ſermone ad devotionem adſiſtentium provocandam, invocata ſpiritus ſancti gratia, cum benedictione & ſollemnitate debita poſuit primum lapidem ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti & ad exaltationem fidei Chriſtianæ, & ſuper lapidem obtulit cupam argenteam deauratam plenam pecunia in ſubſidium operis ſubſequentis anno Domini MCCXL. tertiò Idus Decembris.

Qualiter inventus fuit puteus aqua viva infra castrum Saphet.

Et cùm esset ibi defectus aquæ & cum multis somariis, laboribus, & expensis afferretur à remotis, & Episcopus singulis diebus quæreret fonticulos ad facienda barquilia ubi colligerentur, quidam Sarracenus senex dixit dispensatori Episcopi: Si dominus vester daret mihi tunicam, ego ostenderem sibi fontem aquæ vivæ infra castrum. Qui cùm ei tunicam promisisset, ostendit ei locum ubi est modò puteus, super quem erant ruinæ rupium & murorum, & ob hoc multi acervi lapidum. Et cum quæreretur ab eo signum certum, dixit quòd in ore putei invenirent ensem & capellum de ferro. & ita inventum est. Et propter hoc ibi attentiùs & fortiùs laboratum est donec aqua scaturiens optima inventa est in magna abundantia toti castro. Mansit autem ibi dictus Episcopus donec castrum firmatum fuit ita quòd posset se defendere contra fidei inimicos; & cùm repatriavit, dedit dicto castro tanquam filiolo Symon prælecto omnes equitaturas suas & tectoria & superlectilia; & data sibi benedictione, tradidit operis & operantium custodiam & promotionem Domino Jesu Christo, ad cujus honorem inceptum fuit & ejus nomini dedicatum.

In qua brevitate temporis tam magnificè sit constructum, & quanta sint fortalicia castri.

Cùm autem idem Episcopus reversus fuisset ad subsidium terræ sanctæ contra Tartaros anno Domini MCCLX. IV. Non. Octobris, & venisset ad visitandum Saphet, invenit quòd ab uno

passagio quo rediit Episcopus apud Marsiliam usque ad aliud passagium quo reversus est apud Saphet per Dei gratiam & providentiam & strenuitatem & magnificentiam fratrum sanctæ domus Templi dictum castrum cum tanta industria, tanta mirificentia & magnificentia est constructum quòd ejus exquisita & excellens constructio non solùm ab homine sed à Dei omnipotentia videatur potiùs esse facta. Ad quod sciendum pleniùs notandum quòd castrum Saphet situm est inter civitatem Accon & Damascum, quasi in medio Galilex, in quodam promontorio circumcluso montibus & collibus & præruptis præcipitiis & scopulis ac rupibus, & propter viarum difficultates, arduitates, & angustias ex magna parte quasi inaccessibile & inexpugnabile. A parte verò Damasci quasi pro vallo habet fluvium Jordanem & stagnum Genesaret & mare Galileæ ac mare Tyberiadis; & hæc sunt ei pro fortalitio naturaliter à remotis. Artificiosæ verò sunt ibidem propè intus & extra munitiones & ædificia admiranda. Quot autem & qualia sint ibi ædificia, quæ & quales, quot & quantæ munitiones & fortalitia in fossatis quæ habent in profundo rupis septem cannas & sex in lato, quæ in muris, quæ habent in altitudine viginti cannas & in latitudine decem cannas & in circuitu CCCLXXV. quæ immensibus terra profundè in antemuralia & fossata cum crotis quæ durus fossæ coopertæ quæ super scamas & sub antemuralibus, ubi possunt balistarii cum magnis balistis & defendere scama & alia propinqua & remota & non ab aliis exteriùs videri, ubi possunt esse securè sine aliis armaturis, quæ in turribus & propugnaculis, ubi sunt septem turres quarum quælibet habet in altitudine duodecim cannas, in latitudine decem, in spissitudine duo in summo, quæ in diversis officinis ad omnes

usus necessarios, quæ in balistarum & caleriorum & machinarum & aliorum armorum multitudine ac magnitudine & varietate artificialium, & cum quantis laboribus & sumptibus hæc sunt facta, quantæ cotidianæ custodiæ, quanta præsidia armatorum ad custodiendum & defendendum & adversarios impugnandum sint ibi necessaria continuè, quot operarii diversorum operum, quæ ac quantæ expensæ sint in iis cotidie faciendæ, non est facile scriptura vel verbo explicare. Quòd verò tam præclara & tam eximia tamque excellentia & necessaria opera ad honorem Dei & exaltationem Christiani nominis, ad offensionem infidelium, & ad ædificationem fidelium hæc sunt facta & etiam facienda, non convenit penitùs sub silentio præteriri, sed saltem aliqua ad devotionem & compassionem fidelium provocandam expedit recitari.

Quantis expensis sit constructum.

Ad honorem igitur Domini nostri Jesu Christi & ad ostendendam devotam strenuitatem & immensam necessitatem sanctæ religionis militiæ Templi, & ad provocandam devotionem & compassionem & accendendam caritatem Christianorum fidelium erga dictam religionem & dictum castrum, referimus expensas quas fecit ibi in ædificiis domus Templi. In primis duobus annis & dimidio expendit domus Templi in ædificando castro Saphet, præter redditus & obventiones dicti castri, undecies centena millia bysantiorum Sarracenorum; & singulis sequentibus annis secundùm magis & minus quadraginta millia bysantiorum Sarracenorum. In cotidianis expensis dantur victualia mille & septingentis personis & plus, & tempore guerræ duobus millibus & ducentis. In stabilimento cotidiano dicti

castri sunt necessarii quinquaginta milites & triginta servientes fratres cum equis & armis, & quinquaginta Turcopoli cum equis & armis, & balistarii trecenti, in operibus & aliis officiis DCCC. & XX. sclavi quadringenti. Et expenduntur ibi annuatim secundùm magis & minus plusquam duodecim millia muli onerati inter hordeum & frumentum, præter alia victualia & stipendia quæ dantur stipendiariis & personis adventitiis, & præter equos & equitaturas & arma & alia necessaria. Quod non est facile computare.

De excellentia & sufficientia castri Saphet.

Ad ostendendum verò excellentiam dicti castri, ne videatur inutile, onerosum, & dispendiosum & insufficiens tantum opus, vel ad habitandum inhabitabile, notandum quòd castrum Saphet est amœnitate aëris temperatum, & sanum ubertate, viridariorum, vinearum, arborum, & herbarum placitum ac jocundum, fœcunditate ac diversitate fructuum locuples & abundans, ubi crescunt & fructificant abundè ficus, malagranata, amygdala, & oliva; cui dedit Dominus de rore cæli & de pinguedine terræ benedictionem & abundantiam frumenti, vini, & olei, leguminum & olerum, & fructuum electorum, lactis & mellis copiam, pascua nutrimentis animalium congruentia, & nemora, arbores, ac arbusta pro faciendis furnis calcis & pro coquendis cibariis copiosè, & lapidicinas optimas ibidem ad opera facienda, & irrigua fontium, ac magna braquilia ad aquanda animalia & ad plantaria irriganda, non solùm extra castrum, sed etiam infra. Ibi sunt aquæ vivæ optimæ abundanter & plures magnæ cisternæ, secundùm quod sunt necessariæ cuilibet officinæ. Sunt etiam ibi

duodecim molendina de aqua extra, & infra plurima de animalibus & de vento, & furni etiam sufficientissimi, sicut decet. Ne quid autem desit nobilitati & necessitati dicti castri, ibi sunt venationes diversarum venationum, piscationes diversorum piscium copiosè de flumine Jordanis, de mari Galileæ, de mari Genesareth, & de mari magno, de diversis locis unde pisces afferri possunt salsi cotidie ac recentes. Inter alias excellentias quas habet castrum Saphet, illud est notabile, quòd per paucos potest defendi, & sub defensione in munitionem suam multos potest colligere, nec potest nisi per maximam multitudinem obsideri. Sed ista multitudo diù necessaria non haberet, quia nec aquam nec victualia inveniret; nec multitudo maxima potest ibi esse propè insimul; & si divideretur per loca remota, non posset se invicem adjuvare.

De utilitate predicti castri Saphet.

Quantum autem necessarium & utile sit castrum Saphet toti terræ Christianorum, & infidelibus quantum nocivum, scire possunt per experientiam qui noverunt quot & quantos contra ædificationem dicti castri Sarraceni, Biduini, Coromini, & Turcomani faciebant insultus frequenter usque Accon & per terram aliam Christianorum. Sed ædificato castro Saphet, positum est repugnaculum & obstaculum ne ad nocendum publicè transire audeant à flumine Jordanis usque Accon, nisi esset maxima multitudo; & ab Accon usque ad Saphet vadunt securè onerati sagmarii & quadrigæ & agriculturæ & terræ coloni liberè. Ab omnibus exaltetur Deus. A flumine verò Jordanis usque Damascum remanet terra inculta & quasi vasta propter metum castri Saphet. Unde fiunt grandes insultus & deprædatio-

nes & vastationes usque Damascum; ubi factæ sunt plures miraculosæ victoriæ per fratres contra fidei inimicos, quas non esset facile recitare, quia inde posset fieri magnus liber. Illud autem non est omittendum, quòd à parte Accon sub castro Saphet in forti loco est burgus sive villa magna ubi est mercatum & ..... instituto, & potest defendi à castro. Habet etiam castrum Saphet sub dominio & districtu suo casalia quæ in Gallico villæ dicuntur plusquam CCLX. in quibus manent plusquam decem millia hominum cum arcubus & sagittis, præter alios ex quibus haberi potest multa pecunia intus castrum Saphet, & alias religiones & Barones ac Milites ad quos pertinent dicta casalia, de quibus parum aut nihil habebant ante ædificationem Saphet, nec haberent hodie nisi castrum esset ædificatum, quia omnia haberet Soldanus & alii Sarraceni. Illa verò utilitas non est omittenda quæ supergreditur universas, quia potest prædicari liberè in omnibus prædictis locis fides Domini nostri Jesu Christi, destrui ac reprobari publicè in sermonibus blasphemia Machometi. Quod non poterat fieri ante constructionem Saphet. Neque Sarraceni ausi sunt in publico proclamare, sicut antè faciebant, blasphemias Machometi contra fidem Domini nostri Jesu Christi. Possunt ibi modò visitari loca famosa quæ sunt in districtu castri Saphet, ut cisterna Joseph, ubi fuit venditus à fratribus suis, & civitas Capharnaum, quæ est in finibus Zabulon & Neptalim, ubi habitavit & incepit prædicare multa & operatus est mirabilia multa personaliter Dominus Jesus Christus, ubi Petrus solvit tributum de statere invento in ore piscis pro se & pro Domino
Marc. 17. Jesu Christo, & ubi Matthæus sedebat ad theloneum, de quo sumptus est ad apostolatum. Item ibi in monte propè versùs Tyberiadim est locus ubi Dominus

Dominus de quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus satiavit quinque millia hominum, & de quibus superfuerunt duodecim cophini pleni fragmentorum. Et est ibi propè locus ubi post resurrectionem se manifestavit Jesus discipulis suis & comedit cum eis, secundùm quod legitur in evangelio feria quarta post Pascha; & ille locus dicitur vulgariter Mensa Domini, ubi est Ecclesia & peregrinatio solemnis. Item ibi propè juxta mare Tyberiadis est casale quod dicitur Bethsaida; ubi nati fuerunt Petrus & Andreas, Philippus & Jacobus minor, & ubi Christus elegit ad apostolatum Petrum & Andream & duos filios Zebedæi. Item ibi propè juxta mare Tyberiadis versùs Tabariam est locus qui dicitur Magdalon, ubi dicitur nata fuisse Magdalena. Loca etiam solemniora, scilicet Nazareth, mons Tabor, Cana Galilææ, & alia plurima, propter constructionem castri Saphet possunt liberiùs & securiùs visitari. Et propter hoc potest sciri quantum minuitur & subtrahitur infidelibus Sarracenis & quantum adcrescit & additur Christianitati per constructionem & stabilimentum castri Saphet, quod factum est ad damnificandum & destituendum & reprimendum infideles & ad delectandum, multiplicandum, & confortandum fideles, ad honorem Domini nostri Jesu Christi, & ad exaltationem Ecclesiæ & sanctæ fidei Christianæ.

Scriptor sum talis demonstrat littera qualis.

Ex Chronico Monasterii S. Martini Lemovicensis, auctore Petro Coral ejusdem loci Abbate.

MCCLXVI. Soldanus Babyloniæ obsedit castrum du Cephet, quod tenebant Templarii; & illud obtinuit in festo beati Christophori proditione *Vide VVading. an. 1266. §. 9.*

& Odor. Raynald. an. 1266. §. 41. 42.

cujusdam fratris sui natione Syrii, qui Leo vocabatur, & fuerat frater per triginta annos. Hujus proditionis quidam Anglicus dicebatur esse particeps, quem obsessi interfecerunt. Iste maledictus Leo, qui Castellanus erat loci, non permittebat quòd se defenderent Christiani, quia minabatur eis pejora. Tandem maledictus Soldanus affidavit per juramentum obsessos & quòd cum armis & oneribus suis recederent securi, castro reddito; de quibus cùm exisset interfecit & decapitavit septies viginti fratres & decem Templi, exceptis Hospitalariis, & septingentos & sexaginta septem viros bellatores, & quatuor fratres Minores, exceptis mulieribus & parvulis. Qui omnes æstimati fuerunt usque ad tria millia. Et maledictus Leo fidem nostram coram omnibus negavit. Dicebatur etiam quòd caput unius fratris Minoris abscissum consummavit antiphona beatæ virginis quam cantabant, scilicet *Salve Regina*. Hac de causa Ludovicus Pius Rex Franciæ omnes Barones regni qui habebant trecentas libras in redditibus Parisius in Annunciatione beatæ virginis venire fecit, & ipsis præsentibus [ipse] & tres filii sui cruces sumpserunt, & Comes Atrebatensis, & Britanniæ, & plures alii Archiepiscopi & Episcopi & Barones, quorum non erat numerus.



URBANI PAPÆ II.

EPISTOLÆ XVI.

Litteræ ad Hugonem Abbatem Cluniacensem de electione sua.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei Hugoni reverendissimo Abbati Cluniacensi omnique ejus sancto conventui salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam sanctitatem vestram satis avidam exaltationis Romanæ Ecclesiæ novimus, ea quæ circa nos acta sunt compendio vobis notificare curamus. Notum itaque facimus dilectioni vestræ quòd apud Terracinam Campaniæ civitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopi & Cardinales, Portuensis videlicet, Sabinensis, Tusculanus, Albanensis, & Signensis cum aliis Episcopis numero XVI. & Abbatibus quatuor aliisque quamplurimis viris religiosis convenientes, cùm Portuensis Episcopus omnium Romanorum clericorum catholicæ parti faventium se legatum diceret, Abbas verò Cassinensis Cardinalis Diaconus cæterorum Diaconorum, P. quoque Cardinalis tituli sancti Clementis omnium Cardinalium, Præfectus autem urbis laicorum omnium se ferre assereret legationem, cùmque post triduanum jejunium supplicationibus multis magnisque ad Deum precibus vehementer insisterent, quod ego quidem omninò dignus non fui, tandem me sibi quarto Idus Martii in Pontificem elegerunt. Quibus, Deum testor, non ambitionis causa nec alicujus dignitatis desiderio assensum præbui, sed quia tot tantisque viris

inobediens esse verebar; talique quali tempore si quantum ad me periclitanti Ecclesiæ non subvenirem, Deum me offendere metuebam; præsertim cùm prædecessores meos viros omni veneratione dignos, Gregorium scilicet atque Victorem, hoc sibi divinè præcepisse asserunt. Rogo igitur, desiderantissime, nimiùmque te deprecor ut si qua tibi sunt pietatis viscera, si qua filii & alumni tui est tibi memoria, me multùm id cupientem tua præsentia consolari sanctamque matrem tuam Romanam Ecclesiam, si unquam possibile fuerit, tuo multùm nobis optabili adventu visitare digneris. At verò si id fieri nequit, ut tales de filiis tuis confratribus meis te ad nos mandare non pigeat, in quibus te videam, te suscipiam, tuæ consolationis in immensis perturbationibus positus verba cognoscam, qui tuam caritatem, tuæque dilectionis affectum mihi repræsentent, qui qualiter & tu omniumque fratrum nostrorum se habeat congregatio mihi denuntient. Precor autem ut omnem sanctorum fratrum congregationem commonere facias ut apud omnipotentis Dei clementiam preces effundant quatenus & nos & Ecclesiam suam sanctam, quæ tantis videtur subjacere periculis, in pristinum restaurare statum dignetur. Noveris enim ..... specialiùs hoc negotium super te pendere. Vale. Datum III. Idus Martii apud Terracinam.

Privilegium Domni Rainoldi Remorum Archiepiscopi.

An. 1089. URBANUS Episcopus servus servorum Dei Rainoldo carissimo fratri Remorum Archiepiscopo ejusque successoribus legitimis in perpetuum. Potestatem ligandi atque solvendi in cælis & in terra beato Petro ejusque successoribus auctore Deo principaliter traditam illis Ecclesia verbis

agnoſcit quibus Petrum eſt Dominus allocutus: *Quæcunque ligaveris ſuper terram erunt ligata in cælis, & quæcunque ſolveris ſuper terram erunt ſoluta & in cælis.* Ipſi quoque & propriæ firmitas & alienæ fidei confirmatio eodem Deo auctore præſtatur cùm ad eum dicitur: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua, Petre. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos, qui, licèt indigni, Petri reſidemus in loco, prava corrigere, recta firmare, & in omni Eccleſia ad interni arbitrium judicis ſic diſponenda diſponere ut de vultu ejus judicium noſtrum prodeat & oculi noſtri videant æquitatem. Fraternitatis igitur tuæ juſtis petitionibus annuentes ex antiquo Remenſis Eccleſiæ uſu apoſtolicæ ſedis auctoritate ac benevolentia conceſſum tibi pallium hujus decreti noſtri pagina confirmamus, Primatemque totius ſecundæ Belgicæ provinciæ ſecundùm anteceſſorum tuorum dignitatem eſſe cenſemus. Statuimus etiam ut nulli niſi ſolummodo Romano Pontifici ſubjectionem & obedientiam debeas, omniſque cauſæ tuæ judicium ſolius Romani Pontificis diffiniatur arbitrio. Primam præterea præcipuamque tibi tuiſque ſucceſſoribus poteſtatem contradimus Francorum Reges conſecrandi; ut ſicut beatus Remigius ad fidem Clodoveo converſo primum illi regno Regem Chriſtianum inſtituiſſe cognoſcitur, ita tu quoque tuique ſucceſſores, qui ejuſdem ſancti Remigii vice in Remenſi Eccleſia Domino diſponente fungimini, ungendi Regis & ordinandi ſive Reginæ prima poteſtate fungamini. Statuimus etiam præſentis noſtræ paginæ auctoritate firmantes ut ſicut primum diadematis inſigne per veſtræ manus impoſitionem Francorum Reges ſuſcipiunt, ita quoque in ſolemnibus proceſſionibus quibus eoſdem Reges fuerit coronari, te præſente vel tuorum catholicorum quomodolibet

ſucceſſorum à nullo alio Archiepiſcopo vel Epiſcopo coronetur. Veſtram ergo dilectionem apoſtolicæ ſedis gratiæ vicem debita ſubjectione rependere ejuſque decreta inviolabiliter obſervare, ut à ſubjectis tibi Franciæ populis ut obſerventur pro viribus exigere. Nos ſiquidem antiquam omnem veſtræ Eccleſiæ dignitatem ſervare ſpeciali devotionis intuitu cupientes, totum honoris, totum dignitatis & excellentiæ tibi tuiſque legitimis ſucceſſoribus manere decernimus quicquid beato Remigio prædeceſſor noſter Ormiſda legitur contuliſſe. Itaque dilectionis tuæ reverentia, frater cariſſime Rainolde, ſecundùm anteceſſorum tuorum conſuetudines pallio uti noverit ad Miſſarum ſolummodo celebrationes diebus tantùm determinatis, videlicet dominicæ nativitatis, circumciſionis & epiphaniæ, ſabbato ſancto, reſurrectione, & ſecunda feria, aſcenſione, Pentecoſte, in ſolemnitatibus ſanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, natalitiis quoque Joannis Baptiſtæ atque omnium Apoſtolorum, & feſtis ſanctorum Nicaſii, Remigii, Martini, in commemoratione etiam omnium ſanctorum, in conſecratione chriſmatis, Eccleſiarum, & tam Epiſcoporum quàm aliorum clericorum, in benedictione Regis ac Reginæ, in anniverſario tuæ conſecrationis & Eccleſiarum ſanctæ Mariæ ſanctique Remigii dedicationis die. Cujus indumenti honor quoniam modeſta actuum vivacitate ſervandus eſt, hortamur ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo rectè utrobique poſſis eſſe conſpicuus. Quamobrem, cariſſime frater, quem paſtoralis curæ conſtringit officium, dilige fratres, ipſi quoque adverſarii propter mandatum dominicum tuo circa te copulentur affectu, pacem ſequere cum omnibus, ſanctimoniæ, ſine qua nemo videbit Deum, piis vaces operibus, virtutibus pol-

leas, fulgeat in pectore tuo rationale judicii cum superhumeralis actione conjunctum. Ita procedas in conspectu Dei & totius Israel hujusmodi gregi commisso præbeas exempla, ut videant opera tua bona & glorificent patrem nostrum qui in cælis est. Sit in lingua sermo, sit zeli fervor in animo, creditum tibi agrum dominicum exerce dum licet, semina in timore dum tempus est bonum faciendo, ne deficias tempore suo metes indeficiendo. Vigilanter itaque terrena negotia relinquendo cælestibus anhela; quæ retro sunt obliviscens, in ea quæ antè sunt temetipsum enixiùs extende. Mens tua in seculari vanitate non diffluat, in unum currat atque confluat finem, quem mira suavitate David respexerat cùm dicebat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Sancta trinitas fraternitatem tuam gratiæ suæ protectione circumdet & ad finem qui non finitur pervenire concedat. Datum Romæ per manus Johannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis anno dominicæ incarnationis MLXXXVIIII. Indictione XIII. VIII. Kal. Januarii, anno pontificatus Domni Urbani II. Papæ secundo.

De confirmatione electionis Manassis Episcopi Cameracensis.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei universis in clero & populo Cameracensi salutem & apostolicam benedictionem. In Concilio apud Clarummontem Arverniæ celebrato, cùm pro electione dilecti filii nostri Manasses & item Gualcherii à vobis facta quæstio habita & diligenti fuisset investigatione tractata, patuit Manassem quidem à vobis canonicè electum, Gualcherium verò contra sanctorum canonum auctoritatem in vestram *An.* 1095.

se Ecclesiam intrusisse. Totius igitur Concilii judicio placuit Gualcherium quidem, tanquam invasorem, à vestra Ecclesia propellendum, Manassem verò electioni suæ & Ecclesiæ vestræ restituendum. Gualcherius itaque suæ conscientiæ malè fidens, & justitiæ sententiam audire permetuens, Concilio se subtraxit. Tertiò igitur evocatum, cùm omnino subterfugisset, nos ejus fugam pro confessione habentes, secundùm universalem Concilii sententiam ex sanctorum canonum auctoritate prolatam ab omni episcopali ordine deposuimus, & Manassem electioni suæ & vestræ Ecclesiæ restituimus, collaudantibus & corroborantibus tam Metropolitano vestro Remensi antistite quàm & universis ejusdem metropolis suffraganeis. Nunc vos litteris præsentibus commonemus & apostolica auctoritate præcipimus ne Gualcherium ulteriùs recipere præsumatis, Manasse autem tanquam vestro verè catholico Episcopo obedientiam pleniùs impendatis. Neque vos lateat Gualcherium anathemati esse subjectum, si se ulteriùs de Ecclesiæ vestræ prælatione profana præsumptione intromittere tentaverit. Si quis igitur deinceps his decretorum nostrorum præceptis contraire præsumpserit, omnipotentis Dei & Apostolorum ejus indignationem inveniet, & ultionis apostolicæ gladio ferietur. Omnes autem qui Gualcherio fidelitatem juraverunt ab ejusdem sacramenti vinculo apostolica auctoritate absolvimus. Data apud Arverniam II. Kal. Decembris.

Bulla confirmationis privilegiorum monasterii Celsiniacensis.

An. 1095. URBANUS Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Celsiniacensis cœnobii monachis salutem & apostolicam benedictionem. Ad

hoc nos disponente Domino in apostolicæ sedis servitium promotos agnoscimus ut ejus filiis auxilium implorantibus efficaciter subvenire & ei obedientes tueri ac protegere prout Dominus dederit debeamus. Unde opportet & nos venerabilibus locis manum protectionis extendere & servorum Dei quieti attentiùs providere. Igitur tam pro vestra speciali religione quàm pro venerabilis fratris nostri Hugonis Cluniacensis Abbatis dilectione, ad cujus curam ex Cluniacensis cœnobii jure locus vester pertinet, vestris, filii in Christo carissimi, precibus annuentes, monasterium vestrum præsentis decreti autoritate munimus. Statuimus enim ut quæcunque hodie vestrum cœnobium justè possidet sive in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium justè atque canonicè poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus semper & illibata permaneant, in quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda, in ipso videlicet burgo qui monasterio adjacet sanctæ Mariæ & sancti Martini, in pago Ucionensi Ecclesiam sancti Remigii de Carniaco, sancti Jacobi de Varennis, sancti Quintini, sancti Stephani, sancti Juliani de Paleariis, sanctæ Mariæ de Masliaco, sancti Germani Brennacum, Ecclesiam novam in Luridensi pago, cœnobium Calcidi montis, sanctæ Mariæ de Beverias, Ecclesiam de Monterevello, de Viverolo, de Basia, de Grandirivo, de Zalmantanias, de Ambert, de Marcac, de Teuleiras, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Monte, sancti Ferreoli, sancti Eligii, in Privatensi pago Ecclesiam sanctæ Florinæ, sancti Gervasii, Ecclesiam de Abulnac, de Burnunculo, de Leuton, de Lendan, de Clais, de Vescon, de Girmac, in pago Talendensi Ecclesiam sancti Hilarii, sancti Martialis, Ecclesiam de Chidrac, de Monte acuto, de Plauzac, de Ozac, de Soletis,

capellam de Monte, in pago Todornensi Ecclesiam sancti Lupi, sancti Juliani & sanctæ Mariæ apud Cauriacum, Ecclesiam de Matesc cum Ecclesiis ad ipsum locum pertinentibus, in pago Taluensi Ecclesiam sanctorum martyrum Cyrici & Julitæ, sancti Pardulfi, sancti Donati, sancti Victoris, Ecclesiam de Cingulis, cum universis possessionibus & appendiciis eorum. Præterea decernimus ut nulli omnino liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura; salva tamen in omnibus debita Abbatum Cluniacensium reverentia. Nulli etiam facultas sit adjacentem monasterio burgum invadere, deprædari, vel noxias aliquas, consuetudines exactionis imponere. Porrò sepulturam ejusdem loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum qui illic sepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicati sint, nullus obsistat. Et quia largiente Domino monasterii vestri Ecclesia nostris manibus est consecrata, hoc quoque præsenti capitulo subjungimus, ut pro beati Petri & nostræ consecrationis reverentia nullus deinceps audeat in idem monasterium excommunicationis aut interdictionis proferre sententiam, quatinus ab omni servitii singularis infestatione securi omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti in sanctæ religionis observatione seduli atque quieti omnipotenti Domino placere totius mentis & animæ virtutibus anheletis. Si qua sanè ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita

si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hìc fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen. Datum apud oppidum sancti Flori per manum Johannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, indictione III. VII. Idus Decembris anno dominicæ incarnationis MXCV. pontificatus autem Domni Urbani secundi Papæ VIII.

Adversùs Canonicos Biliomenses.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei Duranno carissimo fratri Arvernorum Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Adversùs fraternitatem tuam pro Biliomensibus Canonicis, qui tuæ ditionis habentur, non exigua querela pervenit. Hi nimirum beati Lupi cœnobium, quod sub Cluniacensis cœnobii jure multis jam ultra nostram memoriam temporibus est retentum, invasione horrenda & catholicis auribus non ferenda contra omne jus & fas usurpantes, altare ipsius cœnobii diruerunt, reliquias in eo latentes diripuerunt, quodque dictu & auditu nefas est, ipsum quod super altare ad infirmorum usus repositum fuerat corpus dominicum ipsis supercælestibus virtutibus reverendum humo dispergere minimè timuerunt, & cætera ornamenta omnemque monasterii supellectilem in usus proprios apportaverunt. *An.* 1095.

Hæc quàm gravia, quàm horrenda, quàm catholicis auribus importabilia videantur fraternitatis tuæ non credimus latere prudentiam. Quòd igitur multa hæc pati sollicitudo tua potuerit non minimùm, si tamen ita se rei veritas habeat, admiramur. Præsentibus ergo litteris officii tui debitum admonemus ut prædictum locum & ex eo direpta utensilia universa Celsinianensibus restitui facias. Quibus reinvestitis, si quam in loco illo justitiam se habuisse Biliomenses Canonici confitentur, tempore congruo cum Celsinianensibus monachis nostro se conspectui repræsentent. Si autem nostræ huic jussioni Biliomenses Canonici obedire contempserint, divinum eis officium interdicito quoadusque resipiscentes Celsinianensi Præposito & fratribus quæ diripuere restituant. Quòd si episcopalis auctoritatis judicium exercere neglexeris, nostra se à divinis officiis auctoritate ita se noverint interdictos, ut nec ipsi uspiam nec alii in eorum Ecclesia id exhibere præsumant quoadusque hæc à nobis præcepta perficiant.

Confirmatio electionis Gerewini Episcopi Ambianensis.

An. 1095. URBANUS Episcopus servus servorum Dei clero & populo Ambianensi salutem & apostolicam benedictionem. Reverentissimus frater noster Gerewinus vester Episcopus ad sedem apostolicam veniens causam suam cum testimonio litterarum reverentissimi confratris nostri Remorum Archiepiscopi Rainoldi & legatorum ipsius nobis notificavit. Nos autem electionem ejus canonicam approbantes, & illum qui è transverso se injecit reprobantes, simulque diù nobiscum eum retinendo, & si qui contra eum venire vellent attendendo, postquàm in duorum mensium spatium, quo

nobiſcum deguit, nemo contra eum quicquam attulit, ex condeſcenſione miſericordiæ rigorem juſtitiæ temperantes, in loco eum & officio ſuo confirmatum vobis remittimus. Propter quod fraternitatem veſtram auctoritate apoſtolica commonemus ut omnem ei obedientiam velut idoneo paſtori exhibeatis, omnem conſilio & auxilio ad retinendum & regendum epiſcopatum ſollicitudinem impendatis, ut cum ipſo tam de doctrina ſua quàm de obedientia veſtra gaudere valeatis. Quòd ſi poſt hanc commonitionem quiſquam ei de epiſcopatu contradicere præſumpſerit, eique ſicut Epiſcopo ſuo ſubdi recuſaverit, ſententiam qua ipſe pro inobedientia eum multaverit nos apoſtolica auctoritate confirmamus. Data XIII. Kal. Januarii.

URBANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Ambianenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Accuſationem ſimoniacæ pravitatis venerabili fratri noſtro Gerewino veſtro Epiſcopo coram Metropolitano & comprovincialibus Epiſcopis intentatam nos quidem vires nullas habere cenſuimus, quia ad unius, præſertim infamis aut minùs, idonei, vocem condemnandum neminem arbitramur. Ideoque cùm nullus ad nos adversùs eum canonicè accuſationem attulerit, nos nullam ab eo expurgationem duximus exigendam. Ipſe tamen opinioni ſuæ religionis in poſterum providens ultro ſe tactis ſacroſanctis evangeliis expurgavit quod pro abbatia ſancti Richarii aut pro Ambianenſi epiſcopatu pecuniam ipſe nec dedit nec promiſit nec pro ſe ipſo alius ſe ſciente. Quamobrem à præſentis accuſationis læſione liberum arbitrantes, ad vos cum noſtræ gratiæ plenitudine remandamus. Vobis itaque officii noſtri auctoritate præcipimus ut eum tamquam paſtorem An. 1096.

proprium obedientia debita vereamini & ejus monitis obsequamini, ut errata præterita corrigentes, ad dominicorum præceptorum observantiam convertamini. Clericos quos contra sanctorum canonum disciplinam mulieribus copulari contempto catholicæ Ecclesiæ usu accepimus apostolica auctoritate præcipimus ut ab hujusmodi aliisque quibus involvuntur flagitiis omnino desistant & secundùm antistitis sui judicium divinæ se mancipent servituti. Si verò, quod absit, nostra præceptione contempta vestro antistiti ad salutis vestræ jacturam pertinaciter resistere ulteriùs præsumpseritis, quamcunque in vos sententiam justitia dictante protulerit nos auctoritatis nostræ pondere confirmamus. Data XV. Kal. Augusti.

Bulla pro monasterio sancti Ægidii, confirmata in Concilio Placentino.

An. 1095. URBANUS Episcopus servus servorum Dei universis per Gothicam provinciam fidelibus salutem & apostolicam benedictionem. Notum omnibus vobis volumus quia dilectus filius noster Raimundus Tolosanus Comes tam nostris quàm aliorum religiosorum virorum monitis excitatus & omnipotentis Dei timore compunctus partem immo rapinam quam ex parentum suorum invasione in altari sancti Ægidii & reliquis ipsius altaris Ecclesiæ altaribus habere solitus erat Deo ac sanctæ Dei genitrici Mariæ sanctisque Apostolorum principibus Petro ac Paulo & beato confessori Ægidio reddidit. Quæ redditio sive dimissio in Tolosana Synodo facta est coram Legato nostro Bernardo Toletano Archiepiscopo & pluribus tam Episcopis quàm Abbatibus. Item in festivitate

ſancti Ægidii coram eodem Legato noſtro aliiſque quamplurimis Epiſcopis vel Abbatibus eandem redditionem cum uxore ſua Hervira & filio Bertranno ſuper altare beati Ægidii confirmavit, duobus illic nummis Ægidienſis monetæ poſitis. Igitur nos ſecundùm ipſius Comitis poſtulationem pro ſua & parentum ſuorum ſalute factum hoc auctoritate apoſtolica confirmamus & omnipotentis Dei miſericordiam deprecamur quatenus quod de rerum eccleſiaſticarum uſurpatione hactenus admiſerunt ſua eis propitiatione indulgeat & à ſuorum delictorum vinculis per ſanctorum Apoſtolorum & ſancti Ægidii merita & preces abſolvat. Porro tam ipſum quàm ejus poſteros univerſos, ſi altarium oblationem ulteriùs invadere tentaverint, anathemati ſubjicimus & ab univerſo Eccleſiæ conſortio ſegregamus. Quicunque etiam vel ab ipſo Comite vel ab aliquo quolibet de oblationibus illis feudum tenet, hujus decreti tenore cognito niſi omnino Eccleſiæ reddiderit, eidem anathemati ſubjaceat. Ipſis etiam monachis ſub anathemate interdicimus ne ullo unquàm tempore laïcorum cuiquam in ipſis altarium oblationibus partem habere permittant. Alioquin & qui dederit & qui receperit anathemati quod propoſuimus ſubjacebit. Data per manum Johannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis Cremonæ XII. Kalendas Martii, indictione III. anno ab incarnatione Domini MXCV. pontificatus verò Domni Urbani Papæ ſeptimo.

Relecta verò & confirmata in Concilio quod idem Papa Placentiæ celebravit. *Sequentia addita poſtea ſunt.*

Ego Johannes Portuenſis Epiſcopus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Albertus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Ricardus Presbyter Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Massiliensis Abbas subscripsi.

Ego Bonus Senior Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Teuzo Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Daibertus Pisanus Archiepiscopus subscripsi.

Ego Rodulfus Turonensis Archiepiscopus subscripsi.

Hugo Cardinalis Diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ subscripsi.

Heimannus Cardinalis.

Ego Philippus Lunensis Episcopus subscripsi.

Ego Aurasicensis Episcopus Gilelmus subscripsi.

Ego Rogerius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus subscripsi.

Ego Johannes Portuensis Cardinalis Episcopus subscripsi.

Ego Willelmus Ausciensis Archiepiscopus cum meis suffraganeis, scilicet Dodo Bigorritano Episcopo, Sancio Lascurrensi Episcopo, Ottone Olorense Episcopo, Willelmo Consorano Episcopo, subscripsi.

Ego Imolensis Episcopus Otto subscripsi.

Ego Rodulfus Reginus Archiepiscopus subscripsi.

Petrus Venetus Patriarcha, Petrus Archiepiscopus Medionalensis, Gotafridus Episcopus Magalonensis, Berengarius Episcopus Forojuliensis, Amatus Archiepiscopus Burdegalensis, Aldebertus Archiepiscopus Bituricensis, Petrus Archiepiscopus Aquensis, Fulco Belvacensis Episcopus interfuerunt.

Tetbaldus Bercellensis Abbas laudavit. Poncius Abbas Casæ Dei, Frotardus Abbas sancti Pontii.

Isti

Isti & omnes Archiepiscopi, Episcopi & Abbates in Placentina Synodo residentes hanc dimissionis chartam præcepto Domini Papæ laudaverunt & confirmaverunt, ac hujus dimissionis deinceps invasorem vel subreptorem perpetuo anathemati subdiderunt, & monasterium omne, si aliquando invasio accideret, ab omni divino officio interdicendo cessare jusserunt.

Littera Haymonis Episcopi Matisconensis in quibus continentur quædam epistolæ Urbani Papæ II. & aliorum summorum Pontificum de monasterio sancti Germani Autissiodorensis.

HAYMO permissione divina Matiscensis Ecclesiæ minister humilis universis præsentes litteras inspecturis salutem in vero salutari. Noverit universitas vestra nos diligenter inspexisse ac perlegisse privilegia inferiùs annotata, in bulla, filo, pargameno, & litteras, & in qualibet sui parte omni vitio penitùs carentia, quorum tenorem verbo ad verbum præsenti paginæ duximus inserendum. Urbanus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Hugoni Cluniacensi Abbati salutem & apostolicam benedictionem. In Nemausensi Concilio monasterii sancti Germani quod Altissiodori situm est. Abbas eandem abbatiam in manu nostra refutavit, & sæpe ab eo rogati locum ipsum ei restituere noluimus. Filius præterea noster Stephanus Comes cum uxore sua nos deprecatus est ut idem monasterium tibi committeremus. Hoc ipsum in Romana nuper synodo coram ejusdem civitatis Episcopo & prædicti loci fratribus à nobis statutum est. Fraternitati igitur tuæ litteris præsentibus mandamus ut præfatam abbatiam in tua deinceps provisione perpetuò disponendam suscipias & An. 1096.

monasticam ibi religionem secundùm fratrum tuorum conversationem instituas, ita tamen ut locus idem proprio Abbate non careat.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei. & cætera. Et infrà. Cæterùm omnipotentis Dei misericordia beati Germani meritis locum illum respiciente venerabilis fratris nostri Umbaldi Altissiodorensis Episcopi postulatione præsenti & nobilium virorum videlicet Stephani Blesensis Comitis & Adelæ uxoris ejus, & Guillelmi Comitis Nivernensis allegatione supplici prædecessori nostro sanctæ memoriæ Urbano secundo subjectum est ut idem monasterium reverentissimi fratris nostri Hugonis Cluniacensis Abbatis sollicitudini committeretur in disciplina regularis ordinis reducendum. Sic nimirum & principalium precum votis & præcepti pontificalis auctoritate compulsus loci curam suscepit, teque, fili carissime Hugo, in Cluniacensi claustro probabiliùs eruditum illic Abbatem constituit, & disciplinæ regularis ordinem Domino largiente restituit. Et nos ergo nostri prædecessoris institutionem legitimam præsentis decreti pagina per Dei gratiam confirmamus, ut videlicet prædictum beati Germani monasterium in præfati Hugonis Abbatis Cluniacensis & successorum ejus ordinatione perpetuò permaneat. & cætera.

Clemens Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Hugoni Abbati & conventui Cluniacensi salutem & apostolicam benedictionem. Quanto specialiùs cœnobium vestrum beati Petri juris existit & ad nostram provisionem nullo mediante pertinet & tutelam, & vos & prædecessores vestri in eo cælestis magisterio subditi disciplinæ per infusionem sancti spiritus odorem honestatis & religionis in vestro hactenus ordine observatæ latiùs expandistis, tanto ad conservandum jura vestra illæsa &

justas devotionis vestræ petitiones benigniùs admittendas tenemur existere promptiores. Quia igitur, sicut ex scriptis S. quondam Comitis Blesensis & A. uxoris ejus & felicis recordationis Urbani secundi & Paschalis Romanorum Pontificum sub sigillis dilectorum filiorum nostrorum B. sancti Angeli & S. sanctæ Mariæ in via lata Diaconorum Cardinalium sedis apostolicæ Legatorum ad præsentiam bonæ memoriæ Urbani tertii prædecessoris nostri transmissis innotuit, monasterium sancti Germani Altissiodorensis, in quo adeo per negligentiam provisorum regularis observantia perierat disciplinæ & terrenæ defecerant facultates quòd ejus custodia abjectis traderetur personis, ad preces prædicti Comitis monasterii ejusdem patroni & bonæ memoriæ Humbaldi tunc Altissiodorensis Episcopi & aliorum plurium prædictus Urbanus secundus antecessor noster beato Hugoni tunc monasterii vestri Abbati & successoribus ipsius provida deliberatione concessit secundùm beati Benedicti regulam reformandum & sub ordine monasterii Cluniacensis futuris temporibus perpetuò possidendum, sic tamen quòd monasterium ipsum Abbatis non debeat provisione carere, quam concessionem & prædicti Comitis donationem prædictus Paschalis & Urbanus tertius prædecessores nostri postmodum confirmarunt, & nos eorum vestigiis inhærentes ad exemplar ipsorum eandem concessionem ratam esse decernimus & præsentis scripti pagina confirmamus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani IIII. Kal. Martii, pontificatus

nostri anno primo. Nos verò ad faciendum fidem super privilegiis præmissis à nobis seriatim perlectis & absque omni vituperatione cognitis & inspectis sigillum nostrum ad petitionem venerabilis & religiosi viri Hugonis Abbatis Cluniacensis huic præsenti paginæ duximus imprimendum. Anno Domini MCCXXX.

Bulla pro monasterio sancti Martialis Lemovicensis.

An. 1097. URBANUS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Ademaro Abbati Lemovicensis cœnobii quod in honore beati Martialis ædificatum est ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Ad sollicitudinem ac benignitatem apostolicæ sedis pertinet & religionem augere & religiosis locis sive personis auxilium suæ protectionis impendere. Quamobrem devotioni tuæ, fili in Christo carissime Ademare Abbas, non minimùm gratulamur quòd in beati Martialis apud Lemovicas monasterio per te potissimum, præcepto scilicet atque industria reverentissimi Hugonis Cluniacensis Abbatis, religionis status largiente Domino instauratus est. Quam instaurationem per beati & apostolici confessoris Martialis merita augeri & provehi cupientes, per præsentis decreti paginam stabilimus locum ipsum sicut hodie est, & sicut ab Episcopo atque Canonicis Lemovicensis Ecclesiæ noscitur institutum, semper sub disciplina, dispositione, & custodia Cluniacensis Abbatis persistere, & ut obeunte Abbate nullus ibi qualibet surreptionis astutia vel violentia præponatur nisi quem præfatus Cluniacensis Abbas illic vel successores ejus secundùm Dei timorem elegerint. Quia verò disponente Domino & sancti ejus confessoris dignatione factum est ut per nos ipsos ejus tumulum visitare & lo-

ci ipsius Ecclesiam in honore sancti salvatoris consecrare meruerimus, nos pro ejusdem confessoris apostolici devotione & reverentissimi confratris nostri Hugonis Abbatis dilectione, pro tuæ etiam religionis petitione, & monasterium ipsum & quæcunque ipsius sunt sub tutela apostolicæ sedis perpetuò confovenda suscipimus; in quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda. In Lemovicensi pago monasterium sanctæ Valeriæ, sancti Valerici, sanctæ Mariæ, quæ vocatur Subterranea, capellam de Buxo, Ecclesias de Valera, videlicet sancti Sulpitii, sanctæ Mariæ, sancti Martini, Ecclesiam sancti Martialis de Rociaco, sanctæ Mariæ de Claravalle, apud Pairac Ecclesias sancti Martini & sancti Dionysii, item sancti Dionysii de Murs, sanctæ Mariæ de Roera, sancti Petri de Parazol, sancti Silvani de Castel, sancti Martialis de Rot, sancti Martialis de Roser, sancti Petri de Vernol, sancti Alpiniani de Tarne, sancti Martialis de Manave, abbatiam sancti Petri Vosiensis, monasterium sancti Pardulfi de Arnaco, capellas de Colret & de Monzac, Ecclesiam de Sirac, sanctæ Mariæ Magdalenæ de Quadris, sancti Martialis de Cosei, capellam sancti Michaelis quæ dicitur Anteana, & castellum vestro monasterio circumsitum cum universis pertinentiis suis, sicut illud religiosus Imperator Hlodouvicus beato Martiali tradidisse cognoscitur. In Santonensi monasterium sancti Martialis apud castrum Colesium, sancti Petri de Monte Andro, sancti Martini de Saliono, sancti Salvatoris, quæ dicitur Vita æterna, sancti Petri de Anesio, Ecclesiam de Doaz. In Arvernensi Ecclesiam sancti Martini de Vernojol. In Bituricensi monasterium sancti Martialis apud Rosiacum, Ecclesiam sancti Leodegarii de Malvera, sancti Martialis de Duno. In Pictavensi apud castrum Monmorde Ec-

ecclesiam sancti Martini de Monzac, & juxta castellum novum beati Martialis Ecclesiam. In Rutenensi Ecclesiam de Teuciac, sanctæ Mariæ de Panesa, sancti Martialis de Rivo petroso. In Biterrensi Ecclesias de Laurenc & de Paimolo. In Narbonensi Ecclesiam sancti Cassiani. In Petrogoricensi monasterium sancti Martialis apud Palnatum. In Engolismensi Ecclesiam sancti Martialis de Multene & de Cantrazac, & capellam in silva Biarga, & aliam in bosco Nigreto, & sancti Hilarii in castello de Roca. In Burdegalensi Ecclesias sancti Petri de Tortirac & de Fornel & de Petrafictà. In Diensi Ecclesias sanctæ Mariæ de Sermea & de Soant cum pertinentiis & appendiciis suis. Quæcunque præterea in præsenti vestrum cœnobium justè possidet, sive in futurum justè atque canonicè poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva Lemovicensis Episcopi canonica reverentia, siquidem catholicus fuerit & gratiam & communionem apostolicæ sedis habuerit. Alioquin quandiu fortè, quod absit, Lemovicensis Ecclesia pastore caruerit, vobis vestrisque successoribus liceat ordinationum sive consecrationum quarumlibet gratia catholicum quem malueritis Episcopum adire & ab eo quæ sunt oportuna suscipere. Item constituimus ut secundùm antiquæ consuetudinis modum, absente Episcopo, beati Martialis Abbas præcipuè cum majoribus Canonicis Lemovicensis Ecclesiæ curam gerat, & episcopalis electio ex ejus potissimùm arbitrio disponatur.

Præſente quoque Epiſcopo, non ſine ejuſdem Abbatis conſilio graviora ipſius Eccleſiæ negotia peragantur. Hoc quoque præſenti capitulo ſubjungimus, ne pro communi parrochiæ interdicto vel excommunicatione monaſterium veſtrum interdicto excommunicationive ſubdatur, ut tamen excommunicati illic vel interdicti nequaquam ad divina officia admittantur. Si qua ſanè eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire temptaverit, ſecundò tertiòve commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini noſtri redemptoris Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Datum Sanctonis per manum Johannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis II. Idus Aprilis, indictione IIII. anno dominicæ incarnationis MXCVII. pontificatus autem Domni Urbani ſecundi Papæ IX.

Bulla confirmationis privilegiorum monaſterii Moyſſiacenſis.

URBANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei *An.* 1097.
dilectis fratribus & coëpiſcopis Iſarno Toloſano, Simoni Agennenſi, Geraldo Caturcenſi, Raymundo Lectorenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Fraternitatem veſtram non ignorare credimus quòd Moyſſiacenſe monaſterium magnæ

quondam religionis & magnæ famæ magnæque fuerit excellentiæ. Postmodum verò cùm illic habitantium negligentia religionis gloria decrevisset, substantiarumque copia diminuta & penè ad nihilum redacta est. Gratias autem Deo, qui nostris temporibus per Cluniacensium Abbatum industriam religionem in eo loco abolitam reparare dignatus est. Oportet ergo & vestram fraternitatem pro beatorum Petri & Pauli devotione, quorum nomini locus ipse dicatus est, operam dare quatenus antiquarum possessionum substantias recipere & quas in præsenti tenet retinere firmiter ad usus servorum ibidem manentium mereatur. Proinde monasteria vel abbatias quas nunc usque tenuerunt vel tenent confirmamus Ecclesiæ Moyssiacensi apostolica auctoritate, ut possideant & teneant sub dominio Cluniacensis Abbatis, scilicet in episcopatu Tolosano abbatiam Lezatensem, in Agennensi abbatiam sancti Gervasii Exiensis, in Elenensi sanctæ Mariæ Arulensis, in Gerundensi sancti Petri Campirotundi. Sed in hac constituimus & mandamus ut non ibi ampliùs Abbas ordinetur, sed à Moyssiacensi Abbate ibi Prior præponatur. Prioratum etiam sanctæ Mariæ Tolosæ, sancti Petri de Coquinis, & sancti Genii Lectorensis, & Durivollis & Villænovæ in Ruthenensi pago, & conquetas cum appendiciis suis, & omnia quæ nunc in præsenti tenent, ut in æternum possideant in pace volumus & mandamus; & hoc ex beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate & nostra adjicientes, ut in abbatiis suprà enumeratis sine Moyssiacensis Abbatis consilio & voluntate Abbas nullatenus eligatur vel ab aliquo ordinetur. Quod si contigerit ausu temerario ab aliquo fieri, & electus & eligentes, ordinatus & ordinator excommunicentur & à suis ordinibus ex beati Petri auctoritate sub anathematis

interminatione deponantur. Conqueruntur etiam ipsi fratres Moyssiacenses plurimas sui juris Ecclesias à laicis hominibus occupari, in Tolosano quidem episcopatu Ecclesiam sancti Martini de * Melzago, sancti Juliani, sancti Rustici, Ecclesiam de Affiniano, de Corduba, de Bisingis, de Monte Berterio, in Agennensi Ecclesias sancti Amancii de * Trangon, de Verbegaria, de Angairiago, in Caturcensi Ecclesias sancti Martini & sancti Vincentii de Antejago, sancti Petri de Biolo, sancti Stephani de Liciaco, sanctæ Liberatæ, sancti Amancii, sancti Martini, sanctæ Mariæ, & sancti Petri de Casecs, sancti Saturnini de Bos, sancti Johannis de Pertica, Ecclesiam sancti Saturnini quæ conjuncta est Ecclesiæ sancti Petri, & Ecclesiam d'Antiago, sancti Petri de Brugarias, sanctæ Mariæ de Troilo, & Ecclesiam de Cogornago, de Gratacumba, sancti Lupi de Malausa, Ecclesiam cum curia quæ dicitur de Sals, Ecclesiam de Arduno, Ecclesiam sancti Sulpicii, sancti Mauricii, item in Lectorensi episcopatu, in parrochia Lomaniæ, Ecclesiam de Sarraciago, de Flamalingis, de Aliciano, de Oriols, Ecclesiam sancti Martini, sancti Quiriaci, sancti Hilarii, sancti Saturnini Mancionis villa. Vestram igitur prudentiam litteris exhortamur atque præcipimus ut supradictarum Ecclesiarum occupatores pro vestri officii debito commoneatis ut quæ Dei servis vel ipsi vel ipsorum parentes perperam abstulerunt restituere compellatis. Quòd si vestris noluerint commonitionibus obedire, noverint se beatorum Apostolorum indignationem sicut ecclesiasticarum rerum pervasores in pervasione ipsa contumaciter permanentes habere & excommunicatos esse. Data Tolosæ Nonis Maii, indictione IV. anno dominicæ incarnationis MXCVII. per manum Johannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis.

* al. Manacho.

* al. Tairago.

Bullæ duæ pro Ecclesia sancti Saturnini Tolosæ.

An. 1097. URBANUS Episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis Canonicis in Ecclesia beati Saturnini regularem vitam professis, & eorum successoribus in eadem religione victuris in perpetuum. Sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, ita legitima desiderantium non est differenda petitio. Querela siquidem illa quæ inter vos & fratrem nostrum Isarnum Tolosanum Episcopum de oblationum altaris & Ecclesiæ parte quarta prolixis temporibus agebatur per omnipotentis Dei gratiam præsentibus nobis * Synodique est judicio pertractata & legitimorum testium qui audierant & viderant jurejurando finita est. Patuit enim clericos quondam, qui apud beati Saturnini Ecclesiam ante vestra tempora citra canonicam disciplinam vixerant, oblationum altaris seu Ecclesiæ & quartam & cæteras portiones integras tenuisse. Quod videlicet tunc temporis ita actum etiam ante testium probationem ipsemet Episcopus fatebatur. Quoniam ante Petrum Rogeri Tolosanum Episcopum, qui oblationes omnes causa ædificandæ novæ basilicæ recollegit in suis domibus viventes clerici liberè beati Saturnini oblationibus fruebantur. Iniquum itaque visum est ut quod sæcularibus clericis anteriores Episcopi permiserant vobis jam per Dei gratiam communiter & sub regulari disciplina viventibus auferretur. Unde etiam idem frater noster Isarnus in Præpositi & quorumdam de vestro collegio quartam partem illam quam tenebat in conspectu nostro & fratrum qui nobiscum aderant refutavit, atque ut id nostro privilegio firmaretur suppliciter exoravit. Secundùm ipsius ergo & vestram petitionem, & quartam illam & cæteras oblatio-

* *Nimirum in Concilio Nemausensi.*

num altaris vel Ecclesiæ portiones in integrum vestro vestrorumque successorum usui per præsentis decreti paginam apostolica auctoritate perpetuò confirmamus, & ne quis Episcopus eas deinceps exigere debeat interdicimus. Præterea quoniam largiente Domino beati Saturnini Ecclesiam nostris manibus consecravimus, & sanximus & sancimus ne quis Episcopus aut Archiepiscopus sine nostra vel Legati nostri audientia interdictionis vel excommunicationis in locum audeat proferre sententiam, nec alicui liceat eum qui illic hodie habetur statum ordinis commutare; nec post possessionem Canonicorum cuiquam facultas sit aut proprium habere aut sine Præpositi vel congregationis licentia de claustro discedere. Quòd si discesserit, & commonitus redire contempserit, Præpositi intersit, si opportunum viderit, eum ubilibet à suis officiis interdicere. Interdictum verò Episcoporum vel Abbatum sine ipsius permissione nullus absolvat. Obeunte ejusdem loci Præposito, nullus ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur, nisi quem fratres regulares communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundùm Dei timorem providerint regulariter eligendum. Si qui sanè clerici cum Episcoporum suorum licentia conversionis gratia locum ipsum adierint, Præposito liberum sit præter omnem Episcopi Tolosani contradictionem suscipere, ut nulla eis erga Præpositum suum inobedientiæ causa & superbiæ relinquatur. Porro Præposituræ, Decaniæ, Sacristiæ, Capitiscolæ, & cætera Ecclesiæ vestræ bona omnia vobis vestrisque successoribus confirmamus. Archidiaconatus etiam dignitatem & cemeterium, sicut in Episcopi & Canonicorum sancti Stephani chirographo continetur. Candelas quoque cereas, quas filius noster Raimundus Tolosanus Comes in Ecclesiæ

dedicatione nobis præsentibus abdicavit, ne quis ulteriùs exigere audeat interdicimus. Prohibemus etiam ne quis ejusdem Ecclesiæ claustrum violenter insilire, aut infra id rapinam aut injuriam audeat irrogare. Ad hæc Ecclesias beati Petri de Valeriis & de Artaxena, Abbatias quoque sancti Aviti, sancti Cypriani, Ecclesias sancti Petri de Slaniaco & de Mascarano, quicquid præterea eadem Ecclesia justè possidet sive in futurum justè atque canonicè poterit adipisci, vobis vestrisque successoribus regulariter viventibus confirmamus. Si quis igitur in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes, Vicecomes, Judex, aut ecclesiastica quælibet sæcularisve persona hujus decreti paginam sciens, citra eam temerè venire tentaverit, secundò tertióve commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hìc fructum bonæ actionis percipiant,& apud districtum Judicem prœmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum apud Montem Andaonis in Monasterio sancti Andreæ per manum Johannis S. R. E. Diaconi Cardinalis XI. Kal. Augusti, indictione IV. incarnationis dominicæ anno MXCVII. pontificatus autem Domni Urbani II. Papæ IX.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei Abbati sancti Joannis de Piana salutem & apostolicam benedictionem. Clamor Canonicorum sancti Saturnini de injuria quam à te patiuntur jam

ad nos rediit, non longitudine itineris, non asperitate remansit laboris. Pampilonensis Episcopus, vitæ venerabilis vir ac religiosus, dedit eis in episcopatu suo quandam Ecclesiam, cui tu aufers maximam partem decimarum contra jus & contra voluntatem prædicti Episcopi & contra voluntatem & diffinitionem, ut aiunt, Abbatis Favel Poncii. Asserit enim Hugo de Conchis noster clericus in Romana Ecclesia satis dilectus quòd Abbas prænominatus, causa utriusque audita, pacem inter te & Hugonem composuit, & quòd partem illam decimarum unde lis erat inter vos Canonici beati Saturnini haberent judicavit ac laudavit. Hanc pacem retinendo decimas eorum rupisti. Litteris Abbatis tui monentibus ut emendares non obedisti. Quapropter monemus te & per obedientiam præcipimus ut prædictas decimas Canonicis beati Saturnini deinceps non auferas, & eis judicio Pampilonensis Episcopi de illis quas retinuisti satisfacias. Quòd si infra triginta dies postquam litteras has videris, non emendaveris, confratrem nostrum Pampilonensem Episcopum monemus ut vice nostra ita te & monachos tuos constringat ne vinculum anathematis quod in privilegiis beati Saturnini firmatum est vos incurrere permittat, atque ne amplius querimonia ad aures nostras redeat. Regem Sancium carissimum amicum nostrum ex nostra parte saluta, & Comitissam sororem ejus.

Epistola ad Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri & coepiscopi Hugoni apostolicæ sedis Legato salutem & apostolicam benedictionem. Quod de Guapicensi seu Diensi Episcopis prudentiam tuam egisse significasti nobis admo- *An.* 1099.

dum gratum est, & si jam ampliùs actum esset, gratius haberemus, ut & Guapensis ab incubantis porci faucibus erueretur, & Diensis pastore quem appetit fueretur. In Ecclesia Lemovicensi nil potestatis confratri nostro A. nos dedisse cognoscas, nisi quòd cùm ab ipso pro eadem Ecclesia rogaremur, ut apud Comitem Lemovicem consuleret pro ampliori familiaritate præcepimus. Electionem igitur sive consecrationem illic non jure factam nos quidem irritam habemus, sed adhuc sententiam pro non spernenda domni patris nostri Cluniacensis Abbatis postulatione distulimus. Suppliciter enim exoravit ne in fratrem illum impatienter ageremus. Nos autem in nullo legationis tuæ jus operante Domino minuemus, & quæ dictante justitia oris nequaquam per nos suo robore cessabunt. De Aurelianensi quod statuisti & nos statuimus, siquidem quæ de eo tam apud nos quàm apud te allegata sunt vera esse constiterit. Quod autem de Senonensibus clericis postulasti libentiùs exequemur, si clerici ipsi pro electi sui causa ad nos fortè pervenerint. De Belvacensi etiam quod egisti nobis omnino non displicet, quia pro personis nullis sanctos canones volumus aut impune præstante Domino patimur conculcari. Pro causa Cluniacensis monasterii strenuitatem tuam sollicitam volumus, ut cùm à Domino Abbate requisitus fueris, de Duce Burgundiæ, de Aimone Borbonensi, qui eos acriter molestant, congruentem justitiam exequaris. De statu nostro nobiscum Deo gratias age, quia usque ad urbem cum Com. M. pacificè venimus, urbem honestissimè cum procedentium stipatione frequentissima introivimus. Urbem ipsam
1099. majori jam ex parte habemus. Synodum Laterani sollemniter celebravimus. Cives nobis & regiones omnes sacramentis astringimus. Gratias Deo, ho-

nestè, tutè, alacriter sumus. Vos nobiscum Deo gratias agite, & pro nobis ejus misericordiam exorate, neque inter hæc matri vestræ Romanæ Ecclesiæ subvenire attentiùs neglegatis.

Bulla pro Fulcone Episcopo Belvacensi.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei carissimis fratribus R. Remensi Archiepiscopo ejusque suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem. Fraternitati vestræ notissimum credimus quemadmodum anno præterito ad Apostolorum limina Fulco Belvacensis Episcopus veniens ultro in manibus nostris episcopatum ex integro refutavit. Nos autem necessitati ecclesiasticæ dispensatione apostolica providentes eidem fratri nolenti & renitenti episcopatus curam injunximus, retenta tamen pontificalis officii plenitudine, quoniam quidem patrem ejus pro ipsius electione pecuniam obtulisse rumor exstiterat. Cæterùm post aliquantum temporis & pater ejus & Odo venerabilis Belvacensis Ecclesiæ Canonicus ad nostram præsentiam pervenientes, tactis sacrosanctis evangeliis ab omni cum simoniacæ pravitatis suspicione liberum reddiderunt. Ita nos, Ecclesiæ nostræ fratribus satisfactum justitiæ judicantibus, plenitudinem illi pontificalis officii restituimus. Cùm igitur nemini unquam apostolicæ sedis liceat retractare judicium, cùm nemini de se confesso credi debeat; cùm ad unius accusationem nemo valeat legitimè condemnari, miramur qua præsumptione post datam à Petri vicario sententiam præjudicium intulistis, quo spiritu prædictum confratrem & coëpiscopum nostrum ob unius accusationem hominis addixistis, qua temeritate eidem uni semetipsum simoniacum accusanti adversùs alium adeo

Vide S. Anselm lib. 2. ep. 32. 33.

credideritis ut quem de cauſa eadem canonico ordine diſcuſſum Eccleſia Romana abſolverat, vos in ejus injuriam iterato illum judicio purgationi canonicæ ſubiceretis. Quia ergò adverſus matrem veſtram Romanam Eccleſiam brachium extendiſtis, magna eſtis animadverſione digniſſimi, quippe ut auctoritatem ſanctorum canonum conculcantes. Te præcipuè, cariſſime ac reverentiſſime frater R. Remenſis Archiepiſcope, ſalva dilectionis inclitæ reverentia, te ſuper hoc ducimus arguendum, quòd in conſpectu tuo tantam pati potueris Apoſtolorum principi injuriam irrogari. Nos itaque accuſationem illam & ſententiam illam contra ſanctorum canonum inſtituta prolatam omnino irritam eſſe cenſemus, & Belvacenſem Epiſcopum religioſæ & ſimplicis vitæ virum loco ſuo & officio reſtitutum firmamus. Sanè quicunque ex vobis adversùs eum non judicium ſed præjudicium protulerunt, noverint ſe auctore Petro & judicium uſque ad ſatisfactionem congruam ſubituros & jacturam quam frater ille perpeſſus eſt æſtimatione legitima ſoluturos. Illum autem ita eſſe abſolutum eſſe cenſemus ut ſi qua in eum deinceps quæſtio emerſerit, ſolo Romanæ ſedis judicio terminatur. De cætero rogamus te, reverentiſſime frater Remenſis Archiepiſcope, ut Belvacenſem Epiſcopum noſtræ gratiæ plenitudinem obtinentem in ſuis tam ſpiritualibus quàm corporalibus oportunitatibus adjuvetis. Data Lateranis III. Idus Maii.

Bulla pro Abbate Majoris monaſterii Turonenſis.

URBANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili filio B. Majoris monaſterii Abbati ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sic apud bonos viros eſt ſervanda humilitas ut veritatis ac

justitiæ

justitiæ non deferatur auctoritas. Ita ergo humilitatem tuam suscipimus ut veritatem ac justitiam teneamus. Te siquidem per omnipotentis Dei gratiam catholicum ac verè religiosum habemus. Si quid verò in ordinationis tuæ primordiis vel per ordinantis culpam vel per tuam negligentiam deliquisti, nos tibi, beati Martini meritis confidentes, beati Petri vice & auctoritate dimittimus. Hanc autem tibi pœnitentiam indicimus ut de cætero commissorum fratrum saluti vigilantiùs ac ferventiùs instare non desinas. In hac siquidem parte omnibus adversùs te oblocutionis vocem auferimus & perpetuum silentium imperamus. Universis autem vestri cœnobii fratribus præsentium litterarum auctoritate præcipimus ut devotione plenissima debitam tibi reverentiam obedientiamque persolvant; quatinus annuente Deo & ipsi de tuæ sollicitudinis gratia & tu de ipsorum obedientia pariter gaudere possitis.

Epistola ad Guillelmum Comitem Tolosanum.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei Guillermo Comiti Tolosano salutem & apostolicam benedictionem. Super religione & eleemosynis quas erga Deum & ejus famulos diceris exhibere maximo gaudio exultamus, maximas agimus lætitias. Est autem quod nostram benivolentiam te. . . . . afficiat quòd adeò justitiam exequi te audivimus. Hoc autem ex eo accipit augmentum quia Moyssiacensis & Lezatensis cœnobii Abbates injustè expelli & in eorum locis iniquè alios subrogari pati nullo modo potuisti. Notum autem tibi facimus quòd venerabilem fratrem nostrum Ansquilinum in Moyssiacensem Abbatem consecravimus, Hunaldum autem invasorem ex eodem cœnobio

recedere decrevimus; idque totum Episcopo Caturcensi nostris litteris intimavimus. Studeat ergo religio tua sedis apostolicæ decretis vigilanter insudare & ut nostris affectibus præceptorum detur insistere. Sanè quia te sanctæ Mariæ deauratæ apud Tolosam omnino Ecclesiam diligere & honorare accepimus, tuis assentientes precibus, tuæ dilectionis religioni concedimus quatinus tibi tuæque progeniei illic cimiterium construas & benedici facias. Ut autem beatæ Mariæ beatique Petri Apostoli studeas devotis servitiis incubare, te & omnes qui in eodem loco religionis gratia optaverint sepeliri per beati Petri gratiam ab omnibus absolvimus vinculis delictorum. Episcopo autem civitatis ut illud consecret ex nostri parte mandabis.

Hist. des Comtes de Toulouse pag. 125.

Epistola ad Guillelmum Episcopum Caturcensem.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei Guillermo Caturcensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Quamvis supra matrem suam & Ecclesiarum omnium Romanam Ecclesiam calcaneum elevaverit Hunaldus ex monasterio Moyssiacensi, qui in ipso cœnobio Abbas factus contra Romanæ Ecclesiæ voluntatem Ansquilinum ejeçit, tamen ex sedis apostolicæ benignitate ac patientia sententiam suspendimus & tantæ parcimus præsumptioni. Jubemus autem ut Hunaldum ab eodem monasterio repellas & fratrem nostrum venerabilem virum Ansquilinum in eodem loco restituas in Abbatem, & hoc infra quadraginta dies postquam litteras nostras acceperis à nobis. Quod nisi infra præscriptum perfeceris terminum, etiam invitum ab omni te suspendemus officio. Ut autem omnino satagas, noveris te Domini nostri oris benedictionem nostræ manus dispositione affe-

cuturum. Si ergo nostris obedieris præceptis, apud nos bene judicaberis. Sin autem, te jaculis nostris feriemus. Qualem ergo te exhibueris, talem non habebis.

Epistola monialium Blasiliæ in Arvernis ad Urbanum Papam II.

SUMMO Domino Papæ Romanæ Ecclesiæ Urbano humilis grex monialium seu clericorum monasterii Blasiliæ in Domino optimam gratiam & salutem atque in omnibus obedientiæ sibi servitutem. Apostolica & venerabilis tua dignitas, Domine Pater, manifestè sciat & credat nos quotidie flexis genibus Deum orare ut te tuosque salvos & incolumes custodiat necnon dignè & laudabiliter regimen vestrum omni Ecclesiæ vigere & præsidere concedat. Vestra enim targa nobis arma & scutum inexpugnabile debet esse. Vestri autem privilegii auctoritas nos tutos ac liberos ab omni aliorum servitute sibi in perpetuum debet habere. Temporibus igitur priscis matrona quædam nomine EMENGARDA COMITISSA uxor Bernardi Comitis Pictavorum pro salute sua utriusque sui & pro animabus filiorum suorum defunctorum, Warini scilicet & Willelmi, monasterium Blasiliæ in prædiis suis constituit atque circa adjacentibus campis & villis & Ecclesiis sanctimoniales Deo servientes ibi unde viverent hereditavit. Deinde diligenter Romam petivit, ipsumque cœnobium beato Petro Apostolo atque Episcopo qui tunc temporis apostolicæ sedi præsidebat in proprio jure concessit. Ipse autem Papa huic dono benignè favens quinque solidos monetæ Pictaviensis sancto Petro semel in anno [dari] decrevit, insuper etiam apostolici privilegii auctoritate idem cœnobium

Vide lib. 1. hist. geneal. gentis Arvern. cap. 1.

abbatiam monacharum in perpetuum conſtituit, altare etiam quod adhuc habemus ſua propria manu conſecratum per ipſam matronam nobis tranſmiſit. Apoſtolicam quidem abſolutionem & benedictionem noſtris benefactoribus, excommunicationem atque anathematiſationem calumniam atque inquietudinem nobis inferentibus propriis litteris ſemper nobis notavit. His igitur firmiſſimis decretis & conſtitutionibus noſtrum monaſterium ædificatum cum omnibus nobis appendiciis diù in pace & magna in proſperitate permanſit. Statim ut Roma caput noſtrum & defenſio noſtra inquietari & perturbari cœpit inſurrexerunt monachi Caſæ Dei & Eccleſiam ſancti Stephani protomartyris & ſancti Leonis Papæ urbis Romæ, quem Romani, quia Carolus Imperator elegit eum, excœcaverunt, corpus cujus, ut credimus, ibi requieſcit, manu ac violentia cujuſdam potentis Stephani Mercorienſis nobis contradicentibus abſtulerunt, & auxilio Domini Durandi Claromontenſis Epiſcopi ipſum tenuerunt quandiù vixit ſupradictus Stephanus. Poſt mortem verò ejus judicio Præpoſiti & Abbatis Claromontenſis ſeptem Preſbyteri noſtri juraverunt alodium eſſe ſancti Petri ut altaris Blaſiliæ, recipiente Epiſcopo hoc ſacramentum. Ipſi tamen monachi adhuc rebelles rectum quod firmaverunt per ſeptem Milites tenent, & excommunicatione Epiſcopi illam Eccleſiam deſtitutam & abſque miniſterio faciunt eſſe, miniſtrum etiam ejus in modum ſacrilegi extra Eccleſiam. Ideoque ſuppliciter & benignè rogamus & obſecramus ut conſuetudinem quam tui anteceſſores fecerunt facias & Eccleſiam quam clamaverunt atque monaſterium noſtrum cum omnibus rebus ſuis ab invaſione & ereptione ſupradictorum monachorum eripias & nos à ſervitute om-

nium aliorum in perpetuum protegas & defendas. Vale.

Epistola Abbatum Lemovicensium ad Richardum Archiepiscopum Bituricensem de electione Humbaldi Episcopi Lemovicensis.

REVERENDO Patri domno R. sacerdotali gloria coronato A. Abbas sancti Martialis, & G. Abbas Usercensis, & G. Abbas Tutelensis, & W. Abbas Solemniacensis, & G. Abbas Vosiacensis, simulque A. Vicecomes Lemovicensis, ita curam habere gregis ut placere valeat vero pastori. In diebus transactæ quadragesimæ misistis ad nos litteras vestras, in quibus sub anathematis interdictione prohibuistis ne Humbaldi Eliæ, qui contra canonum statuta & Ecclesiæ decreta videbatur esse electus, societatem amplecteremur vel ei quolibet modo obedientiam exhiberemus. At ubi litteras vestras vidimus, vestramque super hoc negotio voluntatem cognovimus, per omnia vobis obedivimus, & non solùm nos ab ejus communione, verùm etiam ab universorum qui ejus parti favebant societate abscidimus. Pro qua causa insurrexerunt adversùm nos illi qui nobis antea erant amici, & asserentes nos incentores esse malorum, intolerabilia mala nobis inferunt. Incendiis namque & rapinis ea quæ nostra sunt destruentes, homines quoque neci tradentes, ingerunt nobis maximam perturbationem. Et insuper ille vester Humbaldus, qui quamvis injustè fuisset electus, debuerat saltim usque ad suam clamationem cujuscunque religionis prætendere decus, quosdam sagittarios diabolica artę imbutos confestim ad civitatem misit, qui novo sacrificandi genere corporibus occisorum plateas de die in diem replent. Et licèt hæc omnia

ſuſtineamus, tamen cum omni ſollicitudine juſſa veſtra obſervamus. Verùm pervenit ad nos fama vos tandem Humbaldum abſolviſſe à conſpectu Eccleſiæ & in iſto menſe ſacerdotalem gradum vos ei velle contradere. Sed quia multa dicuntur quæ à veritate aliena eſſe probantur, petimus veſtram excellentiam quatinus pro reſpectu Dei omnipotentis & veſtræ auctoritatis, quæ nullo fuco debet obnubilari, vos ab ejus ordinatione ſuſpendatis donec ejus mores & actus modumque electionis ſubtiliùs cognoſcatis; ſi tamen electio dici poteſt quæ ſine noſtro conſilio, ſine communi arbitrio, ſine populi voto facta eſt. Nonne canones contradicunt ut nullus invitis detur Epiſcopus? Nonne auctoritas Romana & canonum inſtituta prohibent ut ſi in Eccleſia cui Epiſcopus debet præfici idonea perſona poteſt inveniri, nullatenus de alia Eccleſia quiſpiam, cujuſlibet ſit dignitatis, alteri Eccleſiæ debeat ſubrogari? Certè ſi ipſe omnium virtutum flore eſſet ornatus, durum nobis videretur ut homo nobis vita & moribus incognitus noſter repentè efficeretur Epiſcopus. Quanto magis nunc, quando ille qui electus eſt nulla vitæ honeſtate, nulla morum probitate, nulla litterarum eruditione ſit ſuffultus, ſed contrà variis ſceleribus & criminibus irretitus eſſe apertiſſimè convincatur. Quæ omnia nobis contradicunt ne in hac re debeamus præbere conſenſum. Et vita incompoſita & inhoneſta, & electio injuſta, & fama terribilis & perverſa. Quale verò periculum ſit tales provehere ad honorem ſacerdotii qui nondum didicerunt perfecti eſſe Chriſtiani, & illos qui nondum fuerunt tyrones ſpirituales ..... fieri duces, beatus Papa Gregorius expreſſim demonſtrat ſcribens Virgilio Arelatenſi Epiſcopo inter cetera. *Alia quoque*, inquit, *nobis res nuntiata valde deteſtabilis, quòd qui-*

Lib. 4. *epiſt.* 50.

dam ex laico habitu per appetitum gloriæ temporalis defunctis Episcopis tonsorantur & fiunt subitò sacerdotes. Qua in re jam notum est qualis ad sacerdotium venit qui repentè de laico habitu ad sacrum transit ducatum, & qui miles nunquam extitit, dux religiosorum fieri non pertimescit. Quam iste suam prædicationem habiturus est qui fortasse nunquam audivit alienam? aut quando aliena mala corrigat qui necdum flexit sua. Januario quoque Episcopo Caralitano scribens idem Papa Gregorius inter alia sic dicit: *Ne unquam hi qui ordinati sunt pereant, provideri debet quales ordinentur ut priùs aspiciatur si vita eorum continens in annis plurimis fuit, si studium lectionis, si eleemosynæ amorem habuerunt. Quærendum.....* *Lib. 3. ep. 26.*

Cætera desunt. Sed paulò pòst sequuntur ista, quæ videntur esse ex fine ejusdem epistolæ. parti favere, sed etiam omnes optimates & proceres regionis nostræ ut hoc idem faciant admonete. De his quæ scripsimus si quis vobis aliter voluerit suggerere non credat, quia teste veritate, quæ Deus est, ea quæ scripsimus vera esse scimus, & si necesse fuerit sub jurejurando hæc probare parati sumus. Quapropter petimus obnixè ne ullam diffinitionem faciatis super hóc negotio absentibus nobis.

Duæ bullæ suppositæ Urbano Papæ II. ab Humbaldo Episcopo Lemovicensi.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei clero & populo universo Lemovicensium salutem & apostolicam benedictionem. Universos vos scire credimus quemadmodum anno præterito vester Episcopus, cùm se nostro conspectui præsentasset super quibusdam capitulis accusatus quæ secundùm sanctorum canonum regulam tam electionem ejus quàm consecrationem ejus, præsente etiam Bituricensi Archiepiscopo, qui eum consecraverat, *An.1094.*

infirmabant, super quibus omnibus cùm se canonicè expurgare nequiverit, imparatus quippe sine defensoribus venerat, ille episcopatu, sub spe licèt misericordiæ, abdicato, Jerosolimam petiit, rediens misericordiam imploravit, nos multis multorum filiorum nostrorum precibus inclinati eandem causam reverentissimo confratri nostro Hu. Lugdunensi Archiepiscopo permisimus intra provinciam diligentiori examine quærendam, ubi & accusatorum personæ notæ sunt, & Episcopus de testium absentia conqueri nullo modo valeret. Causa igitur diligentiùs requisita, cùm simoniacum eum accusatores probare nequiverint, misericordiæ & ecclesiasticæ pacis intuitu facultas ei concessa est ut se ab hoc unà cum idoneis testibus expurgaret. Igitur ceteris, licèt depositionem solam asserent, apostolicæ mansuetudinis pietate propter pacem & tranquillitatem vestræ Ecclesiæ indultis, simoniaco scelere jusjurandum præstitit quòd pro adipiscendo episcopatu pecuniam nec ipse dederit aut promiserit aut pro ipso alius se sciente. Quod videlicet sacramentum, quia per tantas hujus temporis angustias comprovinciales Episcopi coram nostra neutiquam possent præsentia convocari, Stirpensis F. & J. Floriacensis Abbates pariter, viri nimirum religiosæ vitæ & famæ integræ, cum aliis tribus clericis suis, sacramentis asseruerunt. Eum itaque ad vos cum nostræ gratiæ & episcopalis officii plenitudine remandantes, ut ipsi tanquam pastori proprio obediatis præsentibus apicibus admonemus. Obedientes vos misericordia divina custodiat.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei clero & populo universo Lemovicensium salutem & apostolicam benedictionem. Veniens ad nos confrater noster Humbaldus vestræ civitatis Epis-

copus multas matri Ecclesiæ à filiis suis questus est injurias irrogari. Quidam enim militum & Ecclesiarum bonis violenter abutuntur & honores tanquam possessionem hereditariam exigunt, & non consentienti Episcopo tanquam hosti molestias ingerunt. Unde nos dilectionem vestram cum litteris præsentibus exhortamur atque præcipimus ut à præsumptione hac abstinere deinceps omnino satagatis. Quòd si post hæc contempseritis, quamcunque sententiam in vos Episcopus vester canonica auctoritate dictaverit, assensus nostri authoritate confirmamus. Nos enim universas diocesis Ecclesias Episcopo subjectas esse & canonicam volumus reverentiam exhibere. Salvis, si qua sunt, Romanæ Ecclesiæ privilegiis. Universis sanè tam clericis quàm laicis eum commendatum volumus, tanquam ad vos cum benignitatis nostræ gratia revertentem. Obedientes vos monitis nostris misericordia divina custodiat. Data Pisis V I. Idus Octobris.

Ex veteri codice Mſ. Ecclesiæ Lemovicensis.

GUIDONI Episcopo Lemovicensi mortuo successit Humbaldus. Et quia Abbas sancti Martialis non fuerat vocatus ad electionem, sicut antiquitus fieri solebat, ut dicebat, ad Romanum Pontificem appellavit. Et tunc Romanæ præerat Urbanus, qui fuerat monachus Cluniacensis. Et quia in electione Pontificis Abbas disceptavit cum Canonicis, idcirco burgenses castri insurrexerunt contra cives & inter illos........ guerra fuit orta. unde multi gladio perierunt. Cùmque Abbas adisset Papam, Episcopus secutus est eum. Et obtinuit Abbas contra partem. Rediit Episcopus. Nunquam potuit impetrare aliquas litteras nisi deprecatorias ad Abbatem quòd ei consentiret. Sed rediens litteras apostolicas falsavit de consilio Heliæ de Gimel

Archidiaconi, machinante Matthæo Vitalis, qui erat aurifex Lemovicis, & illas ostendit Abbati, quibus recipiebatur tanquam Episcopus. Abbas verò recepit illum, admirans, sicut sic credebat, Dominum Papam suam mutasse sententiam. Anno M X C V. Papa Urbanus venit apud sanctum Martialem. Admiratus fuit Papa de Abbate quare sine scientia sua consenserat in Episcopum. Sed idem Abbas statim ostendit litteras apostolicas sibi traditas. Unde Papa deprehendens & cognoscens falsitatem, sceleris ministros excommunicavit, & ne aliquis qui nomine Helias de Gimel vocaretur, aliquando dignitatem in Ecclesia Lemovicensi haberet in perpetuum interdixit, & Episcopum Humbaldum publicè deposuit.

Vide Gaufredum Vosiensem. cap. 26.

Excerptum de Geraldo Abbate Usercensi ex antiqua historia ejusdem monasterii MS. scripta tempore Eugenii Papæ III.

PERFECIT monasterium ab altari sanctæ crucis usque ad portale. Cùmque ipsum consecrari disposuisset, audiens Dominum Papam Urbanum, qui & Concilium Placentiæ celebravit, ubi præfationem beatæ virginis instituit, nihilominus apud Clarummontem Arverniæ venire in partibus Galliarum, ipsum Papam in locum istum fecit venire, obsecrans ut monasterium consecraret. Quod libenter ipse Dominus Papa facere voluit, sed ab Humbaldo Lemovicensi Episcopo ne hoc perficeret impeditus est. Proinde commotus Abbas Geraldus adversùs dictum Pontificem, adjunctis sibi Ademaro sancti Martialis & quibusdam aliis, eundem coram Domino Urbano quædam sinistra obiciens accusavit. Qui cùm titulum innocentiæ suæ ab objectis purgare non posset, sententiam depositionis quam meruerat sustinuit.

VARIA DE HUGONE

EPISCOPO DIENSI

& Archiepiſcopo Lugdunenſi, ſedis apoſtolicæ Legato.

Epiſtola Hugonis ad Radulfum Archiepiſcopum Turonenſem de Legatione ſua.

RADULFO venerabili Turonenſium Archiepiſcopo Hugo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Apocriſiarius æternæ vitæ beatitudinem. Quanti matrem veſtram ſanctam Romanam Eccleſiam liberalitas veſtra habeat, an ex corde Domino Apoſtolico adhæreat, quanto amore eum amplectatur, nunc oſtendetis; ex cujus parte habeo vobis quædam dare & dicere, pro quibus neceſſarium eſt vos ad me venire. Licèt enim ſuorum fidelium minimo, tamen ſuo & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ filio, in tradendis eccleſiaſticis negotiis vices ſuas mihi commiſit; pro quibus prudentiam veſtram elaborare vigilanter & ſcientiolam noſtram Deo auxiliante priùs quàm à vobis recedam diligentiſſimè oportebit inſudare. Unde admoneo precor auctoritate etiam mihi commiſſa & ſuggero ut mecum loqui quàm citiùs poteritis non differetis. Valete. *An.* 1075.

Alia ad eundem, qua eum invitat ad Concilium Divionense.

An. 1076. HUGO gratia Dei Diensis Episcopus sanctæ sedis apostolicæ Legatus Turonensi Archiepiscopo salutem. Dilectionem vestram, carissime, latere minimè credimus quanta dominicarum ovium pericula, abundante iniquitate & refrigescente caritate multorum, sancta patiatur Ecclesia, dum sanctæ fidei adversantium cotidie multiplicatur numerus, & pastoralis ordo ad susceptam curam minùs debito inveniatur sollicitus. Sed si sanctorum patrum auctoritas ut Christianæ religionis semper augeretur dignitas omni intentione laboravit, nobis invigilandum summopere est ne nostra depereat negligentia quod illorum crevit diligentia. Vestræ itaque fraternitati nos in Lugdunensi diocesi apud Ansam Concilium habuisse & quibusdam ecclesiasticis necessitatibus Deo auxiliante consuluisse notificamus; in quo nonnullis emergentibus causis ad reparandum sanctæ Ecclesiæ statum non minimum necessariis consilio confidentium fratrum aliud IV. Non. Januarii apud * Divisionem castrum Burgundiæ celebrandum proposuimus; ad quod vos venire & suffraganeos vestros ex parte nostra invitare præcipimus. Valete.

* *Divionem*

Alia ad eundem, qua eum invitat ad Concilium Arvernense.

An. 1077. HUGO dignatione Dei Diensis Episcopus Romanæ Ecclesiæ Legatus Rodulfo Turonensi Archiepiscopo salutem. Messis quidem multa, operarii verò pauci. Unde nobis magis lamentandum, qui in area Domini triturare videmur. Qua prop-

ter, quia Ecclesiam Domini undique distrahi videmus, apud Arvernicam urbem VII. Idus Augusti synodale Concilium indiximus. Comprovinciales tuos & aliarum regionum religiosos quos potuimus invitavimus. Te quoque sicut fidelissimum socium in via Dei & adjutorem ejus caritativè vocamus & auctoritate nobis [concessa] præcipimus ut venias, omnesque tuos suffraganeos venire invites omni remota excusatione. Vale.

Alia ad eundem, qua eum invitat ad Concilium Augustodunense.

HUGO gratia Dei Diensis Episcopus & sanctæ Ecclesiæ Romanæ Legatus Rodulfo Turonensi Archiepiscopo salutem. Gratias habeo innumeras quia semper obediens extitisti & sanctæ Ecclesiæ in necessitate subvenire pro posse & scire tuo non refugisti. Te igitur valde nobis necessarium pro tua ipsius etiam necessitate apostolica auctoritate vocamus, & per te tuos suffraganeos Episcopos, tuos etianam utiliores clericos & Abbates, ad synodum in Augustodunensi civitate IV. Idus Septembris celebrandam venire præcipimus. *An.* 1077.

Acta concordiæ inter Abbates Angeliacensem & Carrofensem de Ecclesia de Varezia, in Concilio Burdegalensi.

NOTUM sit tam præsentibus quàm futuris fuisse contentionem diutinam inter Abbatem sancti Johannis & Abbatem Carrofensem de Ecclesia de Varezia; constitutumque est ab eis ut de hac causa judicaretur in Concilio Burdegalensi. Quod & factum est. Duo enim Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ, scilicet Episcopus Amatus & Hugo *An.* 1079.

Episcopus Diensis, necnon Joscelinus Burdigalensis Archiepiscopus, atque Guillelmus de Auscis Archiepiscopus, Comes quoque Pictavensis Guido, deinde Rainaldus sancti Cypriani Abbas, Archidiaconusque Burdegalis Joscelinus Ammelinus. Hi omnes hujus rei fecerunt judicium; eoque facto, juxta consuetudinem Concilii, protinus Domnum Odonem Abbatem sancti Johannis pariter cum suis vocaverunt, ac postea Domnum Fulcradum Carrofensem Abbatem & suos; sub quorum præsentia præjudicatam confirmantes sententiam, jam dictam Ecclesiam beato Johanni vindicaverunt. Erant autem cum Domno Oddone sancti Johannis Abbate Ausculfus Prior, Andreas monachus, Aimericus, Raimundus, Ostendus, Constantinus. Carrofensis verò Abbas habebat secum fratrem suum Turonorum Archiepiscopum, Oddonem fratrem Aldeberti Comitis de Marchia, Petrum Ferricardum.

Littera Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis de Ecclesia sanctæ Fidis de Castelleto data monasterio Conchensi.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ filiis præsentibus & futuris quòd ego Hugo Dei gratia Lugdunensis Archiepiscopus dono Deo & sanctæ Fidi de Conchis & Begoni Abbati & successoribus ejus & fratribus monasterii ipsius Ecclesiam sanctæ Fidis de Castelleto & Ecclesiam sancti Victoris cum appendiciis suis, quam præfatam Ecclesiam dividit Liger fluvius, sub annuali censu octo solidorum; quorum medietas solvetur in festivitate sancti Martini, medietas verò in purificatione sanctæ Mariæ; retentis synodo & paratis secundùm morem aliarum Ecclesiarum, & obedientia exhibenda tam nobis &

ſucceſſoribus noſtris quàm & Archipreſbyteris noſtris. Facta eſt donatio hæc Lugduni in domo noſtra epiſcopali conſilio Canonicorum noſtrorum, Bladini Decani, Arbeti Archidiaconi, Verini Capellani noſtri. Et ut hæc donatio firma permaneat, ſigillo proprio ſubter ſignavimus, & teſtibus corroborandam tradidimus. S. Bladini. S. Arberti. S. Verini calvi. S. Verini Capellani noſtri. S. Roſtagni Ferlot. S. Fulcherii. S. Veraldi. S. Poncii. Ego Ugo ad vicem Cancellarii ſcripſi & ſubſcripſi.

Littera Gaufridi Comitis Mauritaniæ de Eccleſia ſancti Dionyſii Nogentenſis in Pertico.

IN nomine ſanctæ & individuæ trinitatis patris *An. 1081.*
& filii & ſpiritus ſancti, qui eſt trinus in nomine & unus in numero. Conditor mirabilis rerum, cùm ſit omnium dominus, nullaque niſi ab eo pro meritis ſubjectorum poteſtas hominibus in hoc ſalo ſit conceſſa, potentes hujus ſæculi bonis operibus inſiſtentes à ſe non abicit, ſed, uti Apoſtolus ait, perſonarum acceptor non eſt, verùm in omni gente qui timet eum & operatur juſtitiam acceptus eſt illi. Quapropter ego Gaufridus caſtri Mauritaniæ Comes notum eſſe volo omnibus orthodoxæ fidei cultoribus quoniam Eccleſiam pretioſi martyris Dionyſii ſociorumque ejus, quam avus meus Gaufridus inter Yogunæ fluvium caſtrumque Nogenti in Pertico fundavit, pater verò meus rebus ſuis magnificè auxit, annuentibus & factum confirmantibus Richerio Senonenſium Archiepiſcopo & Carnotenſis Eccleſiæ Canonicis, & Tetbaldo Comite, & uxore mea Beatrice, necnon Rotroco filio meo, cunctiſque optimatibus & Militibus meis, tam adquiſita quàm adquirenda, trado ad altare ſublimiſſorum Apoſtolorum Petri & Pauli

quod est situm in loco qui Cluniacus dicitur, ubi Domnus Hugo Abbas præesse videtur, & pro parentum meorum meaque salute necnon mearum sobolum incolumitate sine ulla contradictione ex mea potestate in illorum transfundo, ut deinceps ipse Domnus Abbas & successores ejus habeant, teneant, possideant, regant, & dirigant secundùm suum velle & posse. Imprecor autem Ananiæ & Saphiræ mortem Judæque proditoris pœnam cunctis qui cupiditatis visco de rebus datis vel concessis quicquam tentaverint subripere vel minuere. Dono etiam vicum supradictæ Ecclesiæ adjacentem cum X. prati agripennis totamque terram juris mei usque ad Rodnam fluvium, & super ipsum fluvium duos farinarios, Ecclesiam quoque sancti Hilarii cum decima & sepultura omnibusque appendiciis suis, terram etiam Burcardi cum broilo, terramque de Belseria, alodium etiam quod post mortem matris suæ avus meus in Asconis villa ipsi Ecclesiæ contulit, necnon Ecclesiam de Campo rotundo cum Nigellæ terra & omnibus appendiciis suis, super Heram fluviolum in loco qui dicitur Vivariis terram cultam & incultam cum pratis & silvis. Res quoque servorum meorum morientium tam in ædificiis quàm in rebus aliis concedo. Saltus etiam meos consuetudinarios esse jubeo usibus Ecclesiæ ædiumque monachorum; & remitto pasnadium porcorum suorum. In Carnoteno oppido dono censum quarundam arearum. In burgo castri Dunensis Ecclesiam sancti Sepulcri, quam avus meus Gaufridus servis suis ideo fundare permisit ut supradictæ Ecclesiæ subjaceret. Concedo etiam meorum fidelium dona futura emptionesque quas monachi à meis hominibus quocumque modo agere potuerint, & omnia data vel danda ab eis ita liberè possideri ac haberi ut mei hæredes succedentes neque per theloneum

lonеum neque per vicariam neque per bannum neque per collocationem suorum Militum neque per aliquam aliam consuetudinem, quamvis modicam, monachis vel suis inferant inquietudinem hominibus. Et dono ad omnes ædificationes suas agendas omnes saltus meos, excepto Pertico, & in castro Dunensi quinque stallorum salis ac carnis consuetudinem, & meo assensu in loco qui Oratorius dicitur Vivianus filius Otradi cum Hugonis filii sui assensu terram unius aratri dedit. Ego verò Gaufridus Comes, Domino meo Tetbaldo Palatino Comite annuente, in territorio Dunensi prædicto loco dono ex mea parte X. agripennos vineæ in loco qui Fracta vallis dicitur, & in Motismi villa terram unius aratri medietatemque Ecclesiæ de Margone atque molendinum de Ruitura cumtal imolta qualem in manu mea habebat, terram quoque de Bremerucurte cum mediatoria, ac terram Boeniaci cum mediatoria, medietatem etiam Bebanis villæ silvæque quæ dicitur Ostingavis. Hæc itaque data atque in futuro danda ita concedo esse libera ut avus meus Gaufridus & pater meus Rotrocus sua suorumque fidelium dona libera esse sanxerunt, quatinus ego & uxor mea & progenies de nobis exitura peccatorum nosttorum veniam in hoc sæculo adipisci mereamur, & in futuro æterna gaudia bonis omnibus repromissa nanciscamur. Ego Gaufridus Comes donationem hanc laudo, corroboro, & manu mea sigillo. S. Beatricis Comitissæ, quæ fecit & consensit. S. Rotroci filii eorum. S. Rotroci fratris Comitis. S. Rodberti Pagani. S. Hugonis de Silic. S. Willelmi Vuitardi. S. Genelonis. S. Vualterii de Matella. S. Pagani. S. Salonis. S. Herberti de Arro. S. Fulcoii de Mezuerola. S. Reinaldi Vicarii. S. Guitardi. S. Gaufridi filii Willelmi. S. Odonis de Re. S. Odonis

Brisardi. S. Gaufridi Ridelli. S. Odonis Bigo. S. Aymerici filii Reinaldi.

Hanc cartam Gaufridus Comes & uxor ejus Beatrix in Concilio Meldensi cui Domnus Hugo Episcopus Diensis Domini Papæ vicarius præsedit, cuique etiam Domnus Amatus Olerensis Episcopus ejusdem Papæ vicarius interfuit unà cum multis religiosissimis viris Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliisque orthodoxæ fidei cultoribus, præsentaverunt, humili devotione petierunt quatinus supradicti Papæ vicarii cum laude atque assensu circumsedentium auctoritate apostolica præmunirent atque indissolubili firmitate solidarent. Quorum petitioni jamdicti vicarii congaudentes cartam hanc laudaverunt, atque nullo contradicente, nemine calumniante, sed universa synodo applaudente atque favente, auctoritate Dei & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & Domni Gregorii Papæ sibi commissa inviolabiliter firmaverunt. S. Aganonis Æduensis Episcopi. S. Hugonis Lingonensis Episcopi. S. Walterii Cabilonensis Episcopi. S. Landrici Matiscensis Episcopi. S. Hugonis Nivernensis Episcopi.

Littera Guarini Comitis Rosnacensis de Ecclesia sanctæ Margaretæ data monasterio Cluniacensi.

An. 1082. IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Omnibus sanctæ catholicæ Ecclesiæ filiis præsentibus atque futuris notissimum volo fieri ego Guarinus dictus Comes Rosnacensis territorii quòd propter gratiam ejusdem honoris transitorii, dum essem filius sæculi, cogitavi ut in alimoniam filiorum Dei, qui pro peccatis meis & totius populi creduntur orare pietatem Domini, donarem partem allodii mei & illud quod habebam in Ecclesia

sanctæ Margaretæ Domino & sancto Petro Cluniacensis cœnobii. quod præcogitatum Domino volente perfeci, constitutis inibi fratribus qui sub proposito regulari Domino deservirent & sanctæ virgini. Sed altare & quartam partem ipsius Ecclesiæ tunc temporis possidebant fratres Dervensis monasterii, ubi honorificè requiescit corpus venerabilis Bercharii. Ut ergo prædictam Ecclesiam ex integro haberent Cluniacenses monachi, consilio habito cum Domno Apostolico Hildebranno nomine, in papatu autem dicto Gregorio, ut morerer mundo & viverem Deo, in remissionem omnium delictorum, & ad salutem antecessorum meorum, cum benedictione apostolica, & cum licentia Episcopi mei Domni Hugonis Trecasini, & cum favore Theobaldi Comitis Palatini, cum laude etiam propinquorum meorum, dedi me cum allodiis meis principibus Apostolorum Petro & Paulo, venerabili quoque Berchario, in præsentia Domni Abbatis Brunonis & monachorum fideliumque suorum. Itaque jamdictus Abbas & monachi annuerunt Cluniacensibus altare & quartam partem suprà memoratæ Ecclesiæ, acceptis sibi alodiis quæ erant liberæ conditionis, & absque jugo ullius advocationis, sine alicujus judiciaria potestate sive banno, ad postremum sine aliqua redhibitione omnis hominis. Hæc igitur sunt alodia quæ tradidi Deo & sanctis Apostolis Petro & Paulo, beato quoque Berchario, monachisque suis perpetualiter habenda. Roserias, Mucium, Junchereium, cum appendiciis suis, videlicet servis & ancillis, terris cultis & incultis, silvis, pratis, aquis, aquarumque decursibus. Ut autem hoc meum donum eidem Ecclesiæ & fratribus inibi Deo servientibus perpetuò habendum remaneat, & ut nullius calumniatoris injusta invasione rescindi valeat, Dom-

num Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum & apostolicæ sedis Legatum præcepto jamdicti Domni Apostolici Gregorii rogavi ut facta excommunicatione hanc chartam confirmaret sub testimonio & laude omnium Episcoporum, Abbatum, & cæterorum Dei fidelium Concilio Meldensi adstantium. Ipse verò libentissimè annuens petitioni meæ adsensum præbuit, & communi decreto totius sancti Concilii ut petieram confirmavit sub districtione hujus anathematis. Auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli excommunicamus, & à liminibus matris Ecclesiæ separamus & removemus, æterna quoque damnatione percutimus & damnamus eos quicunque de rebus supradictorum alodiorum Comitis Guarini aliquam fraudem vel injustitiam fecerint Ecclesiæ Dervensis monasterii, nisi resipiscentes & eidem Ecclesiæ satisfacientes dignum pœnitentiæ fructum egerint.

Signum Hugonis Diensis Episcopi.
S. Amati Vicarii Papæ Gregorii.
S. Richardi Archiepiscopi Bituricensis.
S. Hugonis Trecasini Episcopi.
S. Rogeri Cathalaunensis Episcopi.
S. Rorici Ambianensis Episcopi.
S. Hugonis Grannopolitani Episcopi.
S. Hugonis Lingonensis Episcopi.
S. Haganonis Augustidunensis Episcopi.
S. Hugonis Nivernensis Episcopi.
S. Arnulphi Suessionensis Episcopi.
S. Landrici Matisconensis Episcopi.

Comes etiam Tebaldus, & uxor ejus Alaidis nomine, & Odo filius ejus, laudaverunt & sua signa fecerunt. S. Tebaudi Comitis. Alaidis uxoris ejus. S. Odonis filii ejus.

Littera suffraganeorum Ecclesiæ Lugdunensis ad Episcopos & Abbates Turonenses pro monachis Majoris monasterii Turonensis.

AGANO Augustudunensis Episcopus, Robertus Lingonensis, Galterius Cabilonensis, Landricus Maticensis vice Primatis curam gerentes Ecclesiæ Ludunensis cum toto Ludunensis cleri conventu, omnibus provinciæ Turonensis Episcopis, Abbatibus, clericis & monachis, atque laicis obedientibus Radulpho Archiepiscopo Turonensi divinam gratiam & suam. Quàm mira crudelitate Fulco Comes Andegavensis matris Ecclesiæ Turonensis visceribus gladium suæ persecutionis immerserit, quàm superba præsumtione adversùs eandem matrem monachi Majoris monasterii insurrexerunt, nullum vestrum credimus ignorare. Nec vos latet Gaufrido Andegavensi Episcopo non deesse potestatem cogendi Fulconem ad tanti facinoris emendationem, si divinis quàm tyrannicis præceptis obedire præeligeret, si apud eum districtionis ecclesiasticæ quantumlibet studium vigeret. Ipse verò propositum suæ professionis violans, nec divinis mandatis nec Archiepiscopi sui monitis obediens cum fratribus in defensione justitiæ desudantibus, cor suum in ostio & delitiis enutriens, fovit magis quàm impugnavit supradicti Fulconis malitiam. Cùm ergo super his omnibus clamor Turonensis Ecclesiæ nostram pulsasset sollicitudinem, tam Fulconem Comitem quàm Episcopum Andegavensem & monachos ad sanctæ sedis Lucdunensis examen justitiam facturos & accepturos invitavimus. Quibus ad diem statutum judicium per absentiam fugientibus & in perversitate sua pertinaciter persistentibus, Episcopum quidem Andegavensem ab *An.* 1082.

episcopali & sacerdotali officio, quod & suus Archiepiscopus ei interdixerat, suspendimus, Fulconem verò cum monachis Majoris monasterii ex auctoritate beati Petri atque Domni Hugonis Primatis & Romanæ Ecclesiæ Legati excommunicationis gladio percussimus, omnes quoque factores eorum seu cum ipsis communicantes sub eadem excommunicatione conclusimus. Obsecrantes autem fraternitatem vestram hortamur ut matris vestræ doloribus sicut pii filii condolentes ipsi tota virtute solatiari studeatis & Radulfo ejus Archiepiscopo sicut patri vestro humiliter obediatis, neu cum supradictis excommunicatis communicetis, ne vestras animas alienis facinoribus aggravetis. Valete.

Littera Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis ad Hugonem Archiepiscopum Bisuntinum pro monachis S. Benigni Divionensis.

HUGO Dei gratia Lugdunensis Ecclesiæ servus dilecto in Christo fratri Hugoni venerabili Bisontinorum Archiepiscopo salutem. Significamus dilectioni vestræ Dominum Papam nuper nobis litteras direxisse in quibus post alia quædam nobis præceptum est ut vos conveniremus & auctoritate sua commoneremus quatinus Abbati Divionensi Ecclesiam sanctæ Mariæ de Salina redderetis. Super qua querimonia, prout reminiscimur, antecessor vester sæpe à nobis ad justitiam exequendam cum prædicto Abbate vocatus fuit, & ad ultimum ad Meldense Concilium invitatus; à quo cùm nulla existente canonica excusatione se absentasset, ab eodem Concilio judicatum est Abbatem inde investiendum aut Ecclesiam divino officio usque ad plenam justitiam esse privandam. Proinde præs-

cripta præceptione constricti dilectionem vestram apostolica auctoritate commonemus ut secundùm quod rationabiliter prædicti Concilii judicio provisum est Abbatem de prædicta Ecclesia investiatis. Quod quantum prudentiæ vestræ satagendum sit ex sententia Domini Papæ, quam per eadem verba hic subjecimus, poteritis cognoscere, quibus ita nobis scribit.

Præterea præcipimus strenuitati tuæ ut ex nostra parte Bisontinum antistitem convenias & Divionensi Abbati Ecclesiam sanctæ Mariæ de Salina reddere auctoritate nostra commoneas, insuper & fructum prædiorum quem retentionis tempore usurparunt.

Littera ejusdem Hugonis ad Lambertum Episcopum Attrebatensem, quibus eum invitat ad Concilium Augustodunense.

HUGO Lugdunensis Archiepiscopus apostolicæ sedis Legatus venerabili in Christo fratri Lamberto Atrebatensi Episcopo salutem. Novit fraternitatis vestræ dilectio quàm frequentibus Domni Papæ Urbani litteris de convocanda in Gallia synodo sim commonitus & obedientia adstrictus & quòd diutiùs onus illud suscipere recusaverim. Quia verò ulteriùs repugnare nec volui nec debui, tandem consilio Domni Abbatis Cluniacensis & religiosorum virorum Episcoporum atque Abbatum apud Augustidunum Idus Octobris Concilium habendum designavimus; ad quod dilectionem vestram apostolica auctoritate invitamus. Et quamvis credamus vos non ignorare quid de carissimo fratre nostro Remensi Archiepiscopo vel de privilegio quod ab apostolica sede accepit Domnus Papa nobis mandaverit, ipsa tamen ejus *An.* 1094.

scripta vobis direximus, quibus nos de his post aliqua in hæc commonuit verba. *Et nos Remensi Ecclesiæ debitam reverentiam conservantes in privilegio quod confratri nostro Rainaldo Archiepiscopo dedimus & statuimus ne ejus causæ alterius nisi Romani Pontificis arbitrio decidantur. quod & de cæterorum Episcoporum majoribus causis canonum scita constituerunt. Quod videlicet ita sentiendum est ut nullus Primas quasi pro peculiari Ecclesiæ suæ reverentia id præsumat exigere. Cùm verò Legato Romani Pontificis subjicitur, ipsi soli subjicitur cujus per Legatum vices aguntur. Et ipsum ergo Remensem & cæteros qui legationi tuæ solent esse subjecti ad Concilium tuæ sollicitudinis studium convocet & Ecclesiæ sanctæ utilitatibus omni dissimulatione seposita ferventer insudet.* Juxta hæc ergo Domni Papæ verba ad denominatum Concilium fraternitatem vestram cum Abbatibus vestris apostolica auctoritate invitamus, quia de amicitia vestra confidimus, & in re tànta utile amici consilium & pernecessarium nobis esse scimus. Nos quoque consiliis tuis acquiescere Deo volente parati sumus.

Acta concordiæ initæ in Concilio Claromontano inter Hugonem Abbatem Cluniacensem & Pontium Abbatem Casæ Dei.

An. 1096. NOVERINT omnes Ecclesiæ Dei fideles tam præsentes quàm posteri qualiter Domnus Hugo Abbas Cluniacensis & Domnus Pontius Abbas Casæ-Dei, fratresque eorum in Claromontensi Concilio per manum Domini Papæ Urbani secundi & venerabilium Archiepiscoporum Domni Hugonis Lugdunensis & Domni Aldeberti Bituricensis aliorumque multorum religiosorum virorum, sopita omni simultate quæ inter eos ex quibusdam occasionibus emerserat, in pacem & concordiam

redierint. Sciendum est itaque quia Domnus Abbas Pontius & fratres Casæ Dei concesserunt Domno Hugoni Abbati & fratribus Cluniacensibus Boortense monasterium & Ecclesiam de Amberto, Ecclesiam quoque sancti Stephani de Castello, & Ecclesiam Digneio, atque Ecclesiam de Cosantia, Ecclesiamque de Vongeio, & Ecclesiam de Prisceio, atque Ecclesiam de Snireiaco, cum omnibus earum appendiciis, tam in terris & possessionibus quàm in decimis cæterisque reditibus, & partem decimæ de Ecclesia Cosiaci, partem quoque decimæ quam habebant in Ecclesia de Judæis, ut habeant deinceps hæc omnia in perpetuum. E converso Domnus Abbas Cluniacensis & fratres ejus concesserunt Domno Abbati Casæ Dei & fratribus ejus obedientiam de Castellione juxta castrum Corziacum & Ecclesiam de Casa Mediana cum omnibus ad eas pertinentibus ut possideant ea omnia in perpetuum, ita tamen ut in Casa Mediana habitantes monachi præter duos aut tres non habeantur, habitantes autem in castello quod vocatur Castellutium habeant facultatem sepeliendi vel in cimiterio capellæ ipsius castelli vel in Ecclesia de Auzac, quæ est parrochialis. Cætera verò omnia quæ eo die in quo hæc concordia facta est aliqua investitura tam fratres Cluniacenses quàm fratres Casæ Dei tenebant finierunt sibi in perpetua pace, nec sibi deinceps ea ad invicem calumniabuntur. Convenerunt etiam inter se ut quæcunque de cætero terræ vel possessiones sibi darentur ab illis qui eas aliqua investitura tenerent, fratres illi qui inde qualecunque donum susceperint, eas sibi sine calumnia & quæstione aliorum habeant. In Ecclesiis verò adquirendis, quicunque eorum primum partem adipisci dono ejus qui investitus est poterit, tenebit eam in pace, nec quilibet alterius con-

gregationis vim aut calumniam inferre poterit, nec adquirendi vel ædificandi Ecclesiam in ipsa parrochia licentiam vel facultatem habebit. Clericorum autem vel Militum quisquis in extremis positus, cuicunque loco eorum sese ad sepeliendum destinaverit, ibi sine calumnia sepelietur, & quæcunque dederit locus ipse in pace retinebit, etiamsi se vel sua priùs alteri parti devoverit; excepto quòd si aliqua aliis cum investitura primum dedit, non licebit ea nisi ipsis qui inde investiti fuerant habere. Cupientium venire ad monasticum ordinem & habitum, nulli suscipiendi aditus, quocunque ire velit, ab altero prohibebitur, etiamsi se ei primùm devoverit. Et si qua tunc largitus fuerit, locus ipse quem ingreditur in pace possidebit, exceptis his quæ cum investitura aliis primùm contulit. Suscepti ad habitum transire ab uno ad alterum monasterium non poterunt, nisi fortè cum licentia Abbatis sui. Actum publicè apud Clarummontem & laudatum atque confirmatum auctoritate Domni Papæ Urbani II. ut sic ab utrisque inconvulsè teneatur, anno ab incarnatione Domini MXCV. Kal. Decembris, indictione IIII.

Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis epistola ad Ivonem Episcopum Carnotensem.

Respondet epistolæ 60. Ivonis.

HUGO primæ sedis Lugdunensis Episcopus reverendo fratri Ivoni Carnotensi Episcopo salutem. Inter cætera capitula quorum congestione innocentiam nostram quasi ex obliquo tangendo inficere nisus estis, quibus suo tempore respondebimus, secundùm petitionem vestram de duobus ultimis ad præsens respondere decrevimus. Quòd tam vobis quàm suffraganeis vestris ne Senonensi electo manus imponeretis interdiximus donec obe-

dientiam & debitam subjectionem nobis promitteret, primatum Lugdunensis Ecclesiæ secundùm Domni nostri Papæ Urbani & prædecessorum ejus apostolicas sanctiones recognosceret, non irrationabiliter vel contra antiquas patrum regulas factum esse putavimus. Non enim notitiam vestram subterfugisse credimus quàm contumaci pertinacia & pertinaci contumacia Senonenses clerici, de quorum grege electus ille esse dinoscitur, apostolicis de primatu Lugdunensi institutis ac privilegiis obviantes & inobedientes extiterint & Archiepiscopum suum modò defunctum usque ad mortem in sua inobedientia perseverare fecerint. Propter quam videlicet inobedientiam Domnus noster Papa Urbanus ab episcopali eum officio suspendit, & vos & alios suffraganeos vestros obedientiam & subjectionem nobis ut Primati vestro promittere fecit. Testante autem Gregorio in ultimo moralium libro inobedientia ariolandi peccatum dicitur, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere. Obedientia verò fidei meritum possidet: qua sine quisque infidelis convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Hac itaque beati Gregorii ratione & auctoritate tam prædictus quàm alii clerici Senonenses cùm primatum Lugdunensis Ecclesiæ respuendo apostolicæ auctoritati tam arroganter tamque pertinaciter obedire recusaverint, & Episcopum suum, quemadmodum diximus, usque ad vitæ exitum, non solùm persuadendo, verùm etiam violenter instigando, in sua inobedientia perdurare compulerint, quamvis fideles videantur, infideles tamen & quasi idolatræ esse convincuntur. Perpendat igitur vestra discretio utrum infidelis aut idolatra, donec ab infidelitate vel idolatria resipiscat, in Episcopum canonicè possit aut debeat eligi vel consecrari. Perpendat etiam utrum si hoc

Vide Ivonem Carnot. epist. 60. 65.

fieri prohibemur privatis legibus & novis traditic nibus, quemadmodum dicitis, veteres traditione & consuetudines de Metropolitani consecration removere contendamus, vel in hoc facto imprope rastis culicem colantes camelum glutiamus. Legationis autem nostræ privilegio nec ipsum de qu agimus vel quemlibet alium electum nobis præsentari contendimus, sed secundùm apostolicam traditionem electionem & nomen electi ad notitian nostram referri volumus, ut eam cognitam approbemus. Si verò jure primatus Lugdunensis Ecclesiæ privilegiis & auctoritate Domni nostri Papæ Urbani ac prædecessorum ejus firmati à Senonen electo obedientiam & subjectionem Primati debitam ante consecrationem exigimus, per hoc sanctorum patrum traditiones nos rescindere vel illi si professus fuerit, officere, quasi hac profession consecrationem comparasse videatur, nequaquan cognoscimus, cùm episcopalis dignitas bonis meritis & fructibus ex obedientia prodeuntibus acquiri debeat, & in examinatione consecrandi elect utrum Romanæ Ecclesiæ obediens esse velit ant consecrationem requiratur. His itaque freti rationibus, quod de eo vobis vel comprovincialibu vestris præcepimus immutare nolumus. Si auten Domnum Papam de traditione probatissimorur patrum præcedentium aliquid diminuisse vel immutasse aut novitatem aliquam admisisse dicitis vel decreto ipsius de investitura episcopatuum vc aliarum dignitatum ecclesiasticarum, quam Regc olim mutationes usurparunt & adhuc usurpare con tendunt; contraire vultis vel contraeundum es decernitis, vos videritis. Quod videlicet cùm no solùm modò verùm etiam tempore beatæ memori Gregorii Papæ tam firmiter promulgatum videriti vel audieritis, si quid addendum vel demendu

vel ad tempus intermittendum, ne spiritualia vel temporalia commoda impedirentur, cognovistis; non quasi insidiando vel redarguendi occasionem haberetis reticere, sed magis ipsis velut patribus bonus ac prudens filius reverentiam suggerere & intimare deberetis. Nos verò ipsam constitutionem canonicam & secundùm antiquas legales sanctorum patrum consuetudines factam videntes & servare volumus & servandam omnibus super quibus legationis officio fungimur præcipimus. Dixistis nos Puteacenses à vobis & coëpiscopis vestris *Vide Ivonem epist. 60.* propter prædam in vos & in Carnotensem Ecclesiam communione privatos vobis nescientibus communioni reddidisse. Quod cùm nec videritis nec audieritis, neque nos fecerimus talia, nequaquam objicere deberetis. Nos tamen bonum pro malo reddentes, & hanc contumeliam sive criminationem dissimulantes, Puteacensibus capellanis & clericis litteras direximus, & divinum officium, excepto parvulorum baptismate & infirmorum visitatione, ibidem fieri prohibuimus. Quoniam nostram redargutionem de consecratione Sanctionis graviùs justo tulistis, prout exitus divina virtute probabit, omnipotentis Dei clementiam obsecramus ut animi vestri motus in nos immeritos temperare dignetur.

Ejusdem epistola ad Archiepiscopum Senonensem pro Abbate sancti Petri vivi.

HUGO Lugdunensis Ecclesiæ servus apostolicæ sedis Legatus venerabili fratri & coëpiscopo Daimberto Senonensi Metropolitano salutem & servire Domino in timore. *An.* 1104. Pro quorundam adversùm vos querimoniis Abbatum vestrorum sæpius nos vobis scripsisse meminimus; sed quòd in

nullo apud vos profecerimus, nec vestræ dignatio nis responsa aliqua habuerimus, non minima ad miratione stupemus. Sanè si vos Romanæ Ecclesi Legatus essetis, sicut nostrum salubriter esset vob obedire, ita vestra magnificentia ex auctoritat nostræ super vos legationis parvitati nostræ debe ret obaudire. Ecce itidem venerabilis nostri fratr. Abbatis sancti Petri vivi querimonias vobis recet semus. Queritur enim sub occasione debilis cujus dam Presbyteri & justitiam reclamantis quandam suam à divino officio per vos cessare Ecclesiam cuidam etiam Presbytero defuncto nulla culpa dur adhuc viveret notato, bene & sapienter testato sepulturam negatam, ipsis quoque qui eundem pi & officiosè sepelierunt communionem Ecclesiæ in terdictam. Mandamus igitur & sicut fratrem atten tiùs commonemus ut intermissa vestra, si qua est justitia Abbati & Ecclesiis suis pacem conservetis taliter excommunicatos salubriùs absolvatis, & in Concilio quod secunda post octabas Pentecoste feria adjuvante Domino Trecis celebraturi sumu de vestris pariter ac ejusdem Abbatis querimonii justitiam & accipiatis & exhibeatis. Verendum profectò vobis est, si aliter egeritis, ne & sacri obvietis canonibus & Domni Papæ indignationem aliquatenus incurratis, à cujus liberalitate privile gium idem Abbas nuperrimè acceperat, & hac quoque vice nostra videamini contempsisse man data.

Epistola Ernaldi Abbatis sancti Petri vivi ad Ar chiepiscopus Senonensem.

DOMINO suo pastori D. Senonensi Dei gra tia Archiepiscopo E. monasterii sancti Petr vivi indignus Abbas cum Episcopis & Abbatibu

ei assidentibus, quæ pacis sunt & obedientiæ. Si ex arbitrio nostro res processisset, volenti animo huic sancto conventui vestro interfuissem, utpote quæsiturus ut sub tantis intercessoribus in favorem & gratiam vestram quoquo modo redirem. Propter hanc enim recuperandam, & quia præter prædecessorum vestrorum & nostrorum [morem] in nos & in nostra manum extendebatis, Dominum Papam adii; cujus accepta epistola ut Ecclesias vestras & nostras in pace laxaretis, precibus & interminationi ejus hactenus acquiescere distulistis, insuper & homines causæ nostræ implicitos & justitiam reclamantes excommunicastis. Ad evitandum itaque tantæ oppressionis periculum Dominum Lugdunensem Romanæ sedis Legatum consultum nisi, qui eos quos anathemate ligaveritis debere solvi mandavit, & de reliquis inter vos & nos non diffinitis si quis nodus inesset in Concilio differendum. Utraque verò mandata æquè vos ponderastis. De cætero de Episcopo Lingonensi nobis Ecclesiam auferente querelam coram Papa faciens Dominum Legatum judicem inde acceperam, cujus vocatu his diebus adire Lingonas debueram, sed infirmitate intercedente nec ejus nec vestræ vocationi interesse potui. Valete.

Notitia de Ecclesia de Viancio.

EX prædictis antiquorum testamentorum codicillis Ecclesiam sancti Eugenii de Viancio alodium esse atque fuisse Episcopi Albiensis & Canonicorum Ecclesiæ Albiensis sedis comperimus; ex quorum providentia & cura ab antiquis temporibus Rege Carolo & Agamberto ejusdem Principis contemporaneo & Albiensis Ecclesiæ Episcopo Viancium regebatur usque ad tempora quibus Fro-

tardus Albiensem episcopatum obtinuit. Hic erg Albiensem episcopatum ambitione adeptus est datis pro episcopatu equis numero quindecim pc tentis pretii Froterio Nemausensi Episcopo & Bei nardo ejus germano, qui pro inductione Episcoj Albiensis pecuniam non parvam accipere erant sc liti, ita ut nonnisi de eorum manu episcopatus ill posset haberi. Sicque episcopatu adepto, de simc nia coram præsentia Domini Papæ Gregorii septi mi alio nomine Aldebranni vocati accusatus est à quo cùm canonicè evocatus fuisset, Romam ve nit habens itineris sui socium Conchensem gran maticum Hugonem nomine. Erat eodem [tempore quidam Ravennæ Archiepiscopus Guibertus no mine papatum ambiens, qui ad invidiam Domir Gregorii septimi à quibusdam seditiosis Papa elec tus fuerat. Hunc adiit, quia à Domino Papa Gre gorio VII. auditus Romæ fuerat & pro simoniac hæresi repulsus. Cujus deposcens suffragium, lit teras quidem ab eo accepit; reversusque celavi eas, & alias ex nomine Gregorii VII. prænotata Albiensis Ecclesiæ Canonicis præmonstravit: qu nomini apostolico reverentiam adhibentes, tun quidem su ceperunt eum. Paucis verò evolutis die bus grammaticus Conchensis Hugo, cùm mular quam sibi promiserat nollet dare, litteras quas Ravennate Episcopo acceperat reddidit Gausbert religioso viro Albiensis Ecclesiæ Thesaurario, & eas quas & nomine Gregorii VII. prænotans mon traverat non ab eo acceptas indicavit, & quomc do ab eo repulsus abjectusque fuisset narravit. Qu certissimè comprobato, tandem ab Hugone Lug dunensi Episcopo tunc Romanæ sedis Legato con monitus est & evocatus Tolosam, celebrato il Concilio, & nec agere ipse per se nec acturum etia procuratorem mittere curavit. Unde comprobat certissim

certissimè quòd esset simoniacus, præscriptus Hugo Lugdunensis pontificale ei officium interdixit, & excommunicavit eum in Concilio illo. Sub qua excommunicatione biennium egerat cùm quidam Artmannus Galliacensis monasterii transfuga & propter inobedientiam Conchensis repulsus, postea Aureliacensis monasterii monachus, qui in primævo ætatis suæ in Ecclesia Viancensi fuerat nutritus & doctus, excogitavit eundem Viancium, si posset, de jure Albiensis Ecclesiæ subripere & Aureliacensi monasterio subjugare. Cujus rei gratia Bernardum Aimerici & Guillelmum Aimerici Cadalonensis castri principes convenit: qui laici quidem, ut Viancensem Ecclesiam manutenerent & defenderent, partem honoris ejusdem Ecclesiæ de Episcopo Albiensi & Canonicis sanctæ Cæciliæ habebant ad feudum; qui ut eandem Ecclesiam cum universis pertinentiis suis Aureliacensi monasterio donarent multis modis operam dedit. Sed illi primò quidem omnimodis restiterunt. Videns autem Artmannus ille quòd eos ad hoc impellere non posset ut hanc facerent donationem, sentiensque quòd promittendo & donando, sicut in istiusmodi negotiis fieri solet, ad hoc essent concutiendi, effecit per quosdam internuntios ut iterum iterumque convenirentur. Egit denique per quendam laicum, Poncium Ademari nomine, cui pro mercede mulam unam promisit si prædictos viros ad hoc impellere posset ut acceptis à monachis Aureliacensibus c c c c. solidis Ecclesiam sancti Eugenii de Viancio Aureliacensi Abbati & monachis venderent; à quibus c c c. solidos Bernardus Aimerici & Guillelmus Aimerici acceperunt, & pro c. solidis mulam unam. Poncius verò Adamari, qui eos ad hanc donationem provocaverat, pro mula sibi promissa x x x. solidos accepit. Amblar-

Vide Gregor. 7. lib. 7. epist. 19.

dus quoque de Arifac & Ermengaudus frater eju unum ab eis mulum acceperunt, & Petrus Bor dencs unam mulam liairam, quòd eidem causa consilium & assensum præstiterunt. quam viderun Frotardus de Causac & Ademarus Raimundi de Viancio. Quòd autem ccc. solidos Bernardu Aimerici & Guillelmus Aimerici acceperint, à monachis ipsis didicimus. His ita perpetratis, Artmannus consiliarios Frotardi, sicut præscriptum est tunc excommunicati convenit, Rogerium scilicet de Cardonag & Bernardum Amalfredi, & promi sit illius duas mulas si cum eo agere possent ut prædictam Ecclesiam Abbati Aureliacensi donaret Echardo præterea, qui, licèt laicus, archidiaconatum Albiensis Ecclesiæ tenebat, unam mulam eodem pacto promisit. Quibus suffragantibus ad Frotardum veniens, Ecclesiam prædictam donari Aurelianensi Abbati promissis multis & beneficiis & donariis auri & argenti & jumentorum postulavit Constituerunt itaque diem & locum ubi promissiones ipsæ dari firmarentur. Frotardus interim Dominum non timens, nec personæ suæ modum considerans, sciens excommunicationem suam, chrisma consecravit, si talem consecrationem dici fas est consecrationem. Quo tempore Romanæ Ecclesiæ Legatus Amatus nomine missus ad partes Aquitanicas & Hispanicas, qui postea fuit Oleronensi Episcopus, vir religiosus & reverentia dignus, castello quod Avalatz vocatur hospitatus est. Quem cùm quidam in eo castro deprecaretur ut filium suum baptizaret, afferri sibi chrisma postulavit quod & factum est. Cùmque à circumstantibus illud ab Episcopo Albiensi Frotardo audisset consecratum, dixit chrisma illud non consecratum, sed execrandum, asinorum magis unctioni convenire quàm Christianorum, & in circumstantium aspectu

in terram everso vasculo distillando effudit. Hic itaque Frotardus veniens Viancium, Canonicos ejusdem Ecclesiæ adunari præcepit; & sub occasione religionis eos eicere cupiens & Aureliacenses monachos introducere, dixit eis velle se eos aut religiosam vitam deinceps ducere aut Ecclesiam Viancensem suæ dispositioni dimittere. Qui monachorum subreptionem & versutiam sentientes, ex parte Canonicorum Albiensis Ecclesiæ illi contradixerunt Viancensem Ecclesiam cum universis pertinentiis suis, ut monachis eam nec donare nec vendere posset, se quoque die statuta regulares Canonicos fieri velle spoponderunt. Quod audiens Frotardus respondit, si hoc facerent, nolle se eos eicere; deditque eis diem quousque hoc fecissent. Ex ejus itaque consilio &, ut ipse fraudulenter promittebat, auxilio Tolosam ierunt ut ibi edocerentur de communi vita & consuetudine, & singula superpellicia & professionem suam testamentis inscriptam, sicut mos est illius religionis, inde secum attulere die constituta. Cùmque regressi fuissent, Canonicos qui remanserant expulsos invenere & monachos immo simoniacos introductos; cunctique, & Frotardo & monachis illis præsentibus, Romanam sedem appellavere & Albiensem, & ingressi claustrum dixerunt se, nisi pellerentur, in Ecclesia sua, sicut promiserant, religiosè victuros, nec eam monachis dimissuros. Quod audiens Frotardus, furore repletus superpellicia scidit quibus erant induti, & ejecit eos. Dum hæc agerentur, sentientes hoc Canonici Albienses, Pontius scilicet Præpositus Albiensis Ecclesiæ, & Guillelmus Bego Decanus, & Guido Sacrista, & Gauzbertus Thesaurarius, & cæteri ejusdem Ecclesiæ Canonici & clerici Arnaldum de sancto Quintino ejusdem Ecclesiæ Choraulam & Petrum germanum ejus no-

biles viros Viancium miserunt ut ex eorum part Frotardo contradicerent. Quibus in Viancio cùr Frotardus obviasset & balbutienti lingua, sicut e mos erat, dixisset, Bene venistis Arnalde, respon derunt: Nos quidem bene venimus, sed tu, qu pro simonia excommunicatus haberis, malè venist vendere Ecclesiam simoniacis; & nos ad hoc veni mus ut ex parte Præpositi & Decani & Sacristæ & Thesaurarii & cæterorum Canonicorum nostræ Ec clesiæ & nostra huic donationi & magis vendition contradicamus. Videns ad hæc Arnaldus Choraul: Albiensis Ecclesiæ contradictionem suam Frotardo contemptui fore, ut posteri contradictionis Albien sis Ecclesiæ testimonium haberent, cordas signorum Viancensis Ecclesiæ secuit, & partes abscissas inde secum Albiam tulit. His ita peractis, Frotardus quæ sibi promissa erant exigere cupiens, Echardo se comitante & mulam sibi promissam accipere cupiente Aureliacum perrexit. Cùmque regrederentur, capti sunt & ducti ad castrum quod vocatur Peirola; & dedit pro se redemptionem Echardus solidos mille, nec mulam accepit; Frotardus verò pro se ducentos solidos dedit & unum equum. Bernardus quoque Amalfredi horum omnium, sicut prædiximus, consiliarius & instigator, & ejusdem itineris socius, regrediens Conchis ægrotare cœpit. Contigit illis diebus Pontium Stephani Ruthenensem Episcopum, qui Tolosæ in eo Concilio quo Frotardus fuerat excommunicatus episcopalem susceperat consecrationem, præsentem fieri: qu cùm audiret hunc ægrotare & communionem petere, didicissetque eum de grege esse Frotardi quem ipse audierat Tolosæ excommunicatum, in terdixit ipsi pœnitentiam & corpus & sanguinem Christi donec super quatuor evangelia juravit, si convalesceret, quòd Frotardi consiliis & negotii

nunquam ampliùs in vita sua communicaret; sicque viam universæ carnis ingressus est. Non longo pòst tempore Frotardus veniens Albiam ægrotavit. Cui viaticum petenti, nec pœnitentiæ nec communionis ei suffragio participare ausi sunt clerici Albiensis Ecclesiæ donec episcopatum reliquit & anulum virgamque reddidit. post quæ miserabiliter mortuus est. Quo mortuo, monachi Ecclesiam Viancensem taliter adquisitam tenuerunt sub continua Albiensium Canonicorum querela. Succedente verò in episcopatum Guillelmo Pictavino, Albienses Canonici coram eo & super Ecclesia prædicta questi sunt: qui Aureliacensem Abbatem Albiam venire commonüit, ut ibi causa hæc audiretur. Ad quod audiendum advocavit Carcassensem Episcopum Artallum & Abbatem Soricinensem & Priorem Ecclesiæ sancti Saturnini Tolosani. In quorum præsentia Clerici Albiensis Ecclesiæ causam suam in medium protulerunt. Monachi verò legerunt cartam in qua Pontius Albiensis Ecclesiæ Præpositus & Guillelmus Bego Decanus & Guido Sacrista & Gauzbertus Thesaurarius testes ejus donationis legebantur, cùm potiùs reclamassent & contradixissent. Qui ibidem præsentes, cartamque lectam audientes, insurrexerunt contra eam, & eam falsam ex ea causa probaverunt. In quo placito cordarum partes quas Arnaldus de signis Viancensis Ecclesiæ ruperat, & superpellicia quæ Frotardus Canonicis ex ejusdem consilio factis regularibus violenter sciderat, argumenta hæresis exhibuere. Et hoc ita factum est tempore Kalendarum Januariarum. Adfuit autem quidam Choraula Viancensis Ecclesiæ nepos nomine Rainaldus Amelius Adalberti vocatus, qui coram omnibus testificatus est se vidisse quando Frotardus Canonicorum superpellicia scidit. Data est ergo judicialis sententia

à prædictis viris ut Aitmannus ille in octavis Pentecostes eodem anno secuturis Albiam veniens super sancta quatuor evangelia septima juraret manu ut pro ejus Ecclesiæ adquisitione ipse aut Abbas & monachi Aureliacenses nullam omnino pecuniam promisissent vel dedissent aut aliquis pro eis. Quod nisi die prædicta facerent, Albienses Canonici ab eo tempore Viancensem Ecclesiam possiderent, & monachi ad propria monasteria repedarent. Hujus rei testes sunt, Bernardus Stephani Præpositus, & Benedictus Prior, & Amatus Canonicus, & Isarnus de Donazag, & Isarnus Capellanus de Causac, & Raimundus Archidiaconus, & Durantus Choraula, & Durantus Hugo. Cui sententiæ monachi illi immo simoniaci parere noluerunt, nec Canonicis Ecclesiam suam dimittere. Et ab eo tempore violenter & simoniacè, secundùm quod suprà scriptum est, Abbates & monachi Aureliacenses Ecclesiam sancti Eugenii de Viancio nullo titulo adquisitam nisi hæresis simoniacæ damno sub continua Albiensis Ecclesiæ querela possederunt usque ad tempora Domni Episcopi Albiensis Bertrandi magnæ honestatis & bonæ memoriæ viri & Antifossi Tolosæ nobilissimi Consulis; qui ambo, cognità injuria quam monachi diù fecerant sanctæ Cæciliæ Canonicis reddiderunt sub illorum manu & religione. unde illis Deus propitietur & nobis. Amen.

Epistola Clementis IV. ad Bertrandum electum Aurelianensem.

An. 1266. DILECTO filio Bertrando Aurelianensi clerico. Cùm vacante Ecclesia & postulatione majoris partis Capituli dilectum filium ejusdem Archidiaconum postulantis de fratrum nostrorum consilio non admissa, de te à multo tempore nobis

noto, qui siquidem olim Parisius noster in domo fuisti socius in scholis, eidem duxerimus Ecclesiæ providendum, tu tamen nostra voluntate percepta ad nostram præsentiam accessisti petens humiliter & instanter ut cùm ab olim te totum dedisses studio, & jam satis ætate provectus ad laborem pontificalis officii non sufficeres, te ab hujusmodi onere relevare misericorditer dignaremur. Quod cùm à nobis obtinere non posses, nobis demum humiliter revelasti quòd de sacerdote genitus & soluta, licèt dudum gratiam obtinueris apostolicam quòd ad sacros ordines promoveri & ad ecclesiasticas posses dignitates assumi, super episcopali tamen tecum non fuerat dispensatum, sicque dictum episcopatum recipere sicut non poteras, sic nec etiam ambiebas. Nos igitur nostrum volentes aliud propositum quod ex solita conscientia super tua promotione concedimus, magis etiam intendentes providere Ecclesiæ quàm personæ, ut defectu proposito non obstante ad episcopalem & archiepiscopalem assumi valeas dignitatem tenore tibi præsentium indulgemus, in remissionem tibi peccaminum injungentes ut Aurelianensis Ecclesiæ regimen mente prompta suscipiens ad eandem gubernandam accedas quàm citiùs facultas se obtulerit in Presbyterum promovendus & in Episcopum consecrandus. Datum Viterbii VIII. Idus Decembris anno secundo.

Ejusdem epistola ad nepotem.

RAYMUNDO de Engoyssoliis clerico. Quòd te scripsisti velle studere Bononiæ nec reprobare possumus nec probare, cùm nomen studii sumptum propriè censeatur adeo favorabile ut aures mulceat audientium quibus offertur aliquis *An. 1266.*

amator studii vel solo nomine studiosus, quamquam multoties agatur aliud, aliud simuletur. Sanè in dubiis præsumentes in dexteram potiùs quàm sinistram, tuum propositum circa studium, quod ab olim nutrivimus, commendamus. Sed an tuo proposito locus congruat ipse discute, cùm sit ex insolentia modernorum supervacuis expensis obnoxius, ut necessitates omittamus ad quas situs civitatis invitat, quæ in via publica constituta multorum exhibet studentibus ibi præsentiam verecundam non obstantibus & sequentibus onerosam. Tuæ igitur deliberationi committimus ut vires tuas fideliter metiaris. Nec enim ut Papæ nepos ibi vivere poteris. Et si vixeris ut Raymundus, forsan à pluribus contempneris. Quòd si adeo fortis es animi ut contemnere scias & valeas te contempni, hic est gradus humilitatis sublimior, ad quem pauci te judicant ascendisse. Et si datum est tibi desuper, refer gratias largitori gratiarum benivolo. Alioquin consultius tibi credimus alium locum eligere proposito tam laudabili non mutato. Nec culpes nuntium de mora diutina, quem ideo detinuimus ut per eum ordinationem Aniciensis Ecclesiæ mitteremus. Sed tandem æstimavimus meliùs eam per alium destinari. Datum Viterbii III. Non. Novembris anno secundo.

Nicolai Papæ III. de electione Episcopi Parisiensis.

An. 1280. NICOLAUS Episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri salutem & apostolicam benedictionem. Divinæ gratia majestatis acquiritur si ministris suis, & iis præcipuè qui pontificali præditi sunt dignitate, pro ipsius reverentia condignus honor impenditur & favor necessarius exhibetur.

Sanè vacante dudum Parisiensi Ecclesia per obitum bonæ memoriæ Stephani Parisiensis Episcopi, de dilecto filio magistro Oddone de sancto Dionysio inibi electio facta fuit, & quibusdam ex Capitulo ipsius Ecclesiæ se opponentibus electioni prædictæ, & propter hoc ad sedem apostolicam appellationibus interjectis, hujusmodi negotium extitit ad sedem eandem legitimè devolutum; sicque nos, quos commissi nobis gregis dominici cura perstringit, inhærentes verbis Apostoli dicentis, *Nemini citò manum imponens*, nos ipsos hujusmodi negotio contulimus, & ex officio nostro in negotio procedentes eodem, illud discussimus diligenter, & prout ejus qualitas exigebat, ex certis causis in litteris apostolicis quas super iis fieri fecimus plenius comprehensis electionem ipsam exigente justitia, sicut moris est inter fratres nostros, cassavimus, eam cassam & irritam nuntiantes. Dictus quoque Oddo ante publicationem cassationis hujusmodi omni juri sibi ex tali electione quæsito in manibus nostris cessit. Nosque nihilominus cessione admissa hujusmodi, & cassatione ac cessione prædictis in sollempni consistorio publicatis, inter nos quoque ac fratres eosdem consultatione habita si esset in electionis celebrandæ remissione Capitulo ipsius Ecclesiæ saltem de gratia deferendum, tandem prolixiorem vacationem ipsius Ecclesiæ inter alia pericula quæ per hoc possent occurrere formidantes, cùm præterita consueverint esse præsagia de futuris, nec deceret quòd tanta & talis Ecclesia, quæ multa claritate refulget, diù remaneret viduata pastore, provisionem ejusdem Ecclesiæ, prout in eisdem continetur litteris, auctoritate apostolica nobis duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum & inane si secus à quoquam scienter vel ignoranter contingeret at-

temptari, ac sperantes prædictam Ecclesiam
hujusmodi vacationis dispendio relevare, illi
dilecto filio fratre Johanne de Allodio ordinis fr
trum Prædicatorum tunc Cancellario ejusdem E
clesiæ providimus, & per hoc nobis & eidem E
clesiæ sperabamus obtatæ consolationis solamii
provenire. Sed dum desiderabiliter audire de hu
jusmodi provisione nostra consummationem pro
peram sperabamus, dilectus filius frater Johann
de Viterbio generalis ipsius ordinis procurator co
ram nobis comparuit deferens nobis litteras
parte ipsius fratris Johannis de Allodio sigillo Pri
ris Parisiensis ejusdem ordinis sigillatas, quaru
tenore suppliciter petebatur à nobis ut cùm ipse i
ejusdem ordinis observantia derelictis curis tem
poralibus servire Domino ac in eodem ordine m
litiæ suæ tempus terminare Deo propitio decrevi
set, ibidem spiritum suum reddere creatori invic
labili firmitate proponens, eum eximere à cu
hujusmodi dignaremur, omne jus, si quod il
esset ex hujusmodi provisione nostra quæsitum, l
berè per easdem litteras in nostris manibus resig
nando. Nos autem prædictum fratrem Johanne
de Allodio in hujusmodi pio proposito non tu
bare sed confovere potiùs intendentes, ut eo libe
riùs obsequatur altissimo quo se devotiùs ejus be
neplacitis dedicavit, tam ex hiis quàm ex ali
piis causis petitionem & resignationem hujusmo
de fratrum eorundem consilio duximus benigni
admittendas, ac provisionem ipsam de dicto fr
tre Johanne de Allodio factam omnibus viribu
vacuantes, eandem Parisiensem Ecclesiam ab e
dem fratre Johanne de Allodio prætextu provisi
nis ipsius plenariè reddimus absolutam. Et ta
dem, ut conceptus noster circa salubrem & cel
rem provisionem Ecclesiæ præfatæ illi reddatu

dante Domino fructuosus, & prædicta Ecclesia, quæ hac vice in nostra dispositione consistit, ex apostolicis studiis adepta sponsi consolatione respiret, prosperè consurgat & vigeat, ac de bono in melius augeatur sedulò cogitantes, ac attendentes laudabile testimonium quod dilecto filio Renoldo de Hombloneria electo Parisiensi de honestate morum, conversatione vitæ laudabilis, litterarum eminenti scientia, cùm theologicæ facultatis cathedram meruerit ascendere magistralem, & aliis virtutum studiis perhibetur, & advertentes quòd ipse commissam sibi ab olim Ecclesiam sancti Gervasii Parisiensis in statu prospero laudabiliter conservare studuit, ipsum tunc Canonicum Parisiensem, licèt absentem, de prædictorum fratrum consilio Ecclesiæ memoratæ præfecimus in Episcopum & pastorem, administrationem ejusdem Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus eidem electo plenariè committentes, firma spe fiduciaque concepta quòd Ecclesia præfata per suæ circumspectionis industriam præservabitur à noxiis & spiritualiter ac temporaliter optatis dante Domino proficiet incrementis. Rogamus itaque serenitatem regiam & hortamur attentè quatinus te præfato electo pro divinæ & apostolicæ sedis reverentia reddens affectu benivolum & opere gratiosum, ejusdem Ecclesiæ jura, quantum in te fuerit, benigno favore protegas & defendas, ita quòd idem electus in exequenda sollicitudine sibi tradita possit prosperari faciliùs, & nos celsitudinem regiam dignis inde laudum præconiis attollamus. Datum Suriani V. Kal. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

Ex libro Bernardi Guidonis Episcopi Lodovensis viris illustribus ordinis fratrum Prædicatorum MS.

IN provincia Franciæ Parisius fuit magist Johannes de Allodiis Aurelianensis, qui cù esset Canonicus & Cancellarius Parisiensis, vir b nus & rectus, summus Pontifex audita ejus fan & scientia episcopatum Parisiensem ut susciper sibi misit. Quo percepto, homo Dei justus & t moratus, solius Dei & nullius hominis usus cons lio, cautè & secretè in conventu Parisiensi, ign rantibus ejus domesticis, qui mundum fugere ci pientibus inimicari noverunt potiùs quàm juvare instanter petivit sibi dari habitum ordinis & pers veranter accepit anno Domini MCCLXXX. i vigilia Paschæ, in quo annis XXVI. & amplii in honore sui & ordinis laudabilem vitam duxit salutarem sibi, & aliis exemplarem; ubi senex & plenus dierum, doctrina, scientia, & spiritu Dei sicut unus ex patribus antiquis in se ipso recollectu & in Deum fixus appositus est ad eos in festo sanct Remigii migrans anno Domini MCCCVI. Se pultus est in choro fratrum Parisius juxta fratren Matthæum.



Bulla Joannis XXII. de privatione fratris Isnardi olim Patriarchæ Antiocheni & administratoris Ecclesiæ Papiensis.

Ex libro Bernardi Guidonis Episcopi Lodovensis de viris illustribus ordinis fratrum Prædicatorum MS.

Frater Isnardus Papiensis fuit factus Archiepiscopus Thebanus per Clementem Papam V. anno Domini MCCCVIII. circa festum Pentecosten, qui fecerat eum priùs pœnitentiarium, cui factus notus erat quia in necessitate magna itineris sibi astiterat cùm esset Burdegalensis Archiepiscopus, & quasi ignotus & solus per partes transiret Lombardiæ anno Domini MCCCII. Hic postmodum factus fuit Patriarcha Antiochenus per eundem Dominum Clementem Papam V. anno Domini MCCCXI.

JOANNES Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Imperscrutabilis ac incomprehensibilis divinæ sapientiæ altitudo, cui noscuntur futura ut præterita fore nota, interdum mala futura per ora prophetarum, ut eò minùs conturbarent venientia quò fuissent præscita, & ne mala ipsa in ipsis malis coalescerent, ac quasi quodam exemplari alveo ad inficiendos alios pertransirent, superiores qualiter circa tales se habere debeant voluit informare. Prævidens itaque fore futuros nonnullos sacerdotes reprobos & perversos, hoc ore prænuntiavit prophetico dicens: *Erit sicut populus, sic sacerdos*; ipsorumque superiores erudire volens subdidit dicens: *Visitabo super eum vias ejus, & cogitationes ejus reddam ei.* Talem profectò fore sacerdotem, populo videlicet similem, Isnardum Patriarcham Antiochenum ac administratorem Ecclesiæ Papiensis frequens & clamosa insinuatio per nonnullos clericos regulares & seculares civitatis & diocesis Papiensis nobis facta in

An. 1319. *Vide Odor. Raynald. an.* 1320. §. 19.

consistoriis publicis & privatis evidentiùs man
tat. Populus quidem ille, videlicet Antiocher
devotorum sanctæ matris Ecclesiæ persecutor
crudelissimus noscitur ac imperio hujus inobedi
existere, & mandatorum ipsius violator esse te
rarius non veretur. Talem utique fore Isnard
prædictum denuntiatio sæpius coram nobis &
tribus nostris iterata describit. Habet quidem
nuntiatio supradicta quòd idem Isnardus devo
sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Italiæ partibus,
præcipuè in prædictis civitate & dioecesi Papiei
bus, est immanissimè persecutus. Famæ siquid
suæ prodigus, & modestiæ pontificalis oblitus
eorum exterminium sævire non erubuit seque i
miscere in eorum perniciem ac scandalum pul
cum pontificalem gravitatem indecentibus r
expavit, quòdque multorum homicidiorum,
crilegiorum, seditionis in patria, incendioru
rapinarum, multarum quoque excommunicat
num sententiis, & irregularitatum, ac perjur
rum, spoliationum multorum clericorum à be
ficiis suis factarum sine justis causis & juris ordi
non servato, & aliis erat diversis tunc specifica
per eos gravibus & facinorosis criminibus irretit
Nolentes itaque antè præmissa credere quàm p
bare, vias ejus tam detestabiles quàm enormes
sitare volentes, horum examinationem & inqu
tionem dilectis filiis nostris Guillelmo tituli san
Cyriaci Presbytero & Bertrando sanctæ Mariæ
Aquiro Diacono Cardinalibus vivæ vocis orac
duximus committendam, eidem Patriarchæ
excommunicationis & depositionis injuncto ne
curia Romana recederet absque nostra licen
speciali. Qui quidem Cardinales adeò in dicto
gotio processerunt quòd tam ab ipsis quàm à di
denuntiato & denuntiantibus in eodem renunt

tum extitit & conclusum. Cùmque non restaret nisi relatio à præfatis facienda Cardinalibus, & per nos postmodum diffinitiva sententia proferenda, dictisque Cardinalibus ut relationem hujusmodi ordinarent & facerent à nobis fuisset injunctum, ad nostram audientiam deduxit relatio fide digna quòd præfatus Isnardus nondum finem imponens vitiis, sed ea potiùs deputans consuetudini quàm emendæ, velut ve mundatus ut faciat malum, inquisitione prædicta pendente ab æmulis ac persecutoribus devotorum Ecclesiæ propter eorum inobedientiam, contumaciam, & contemptum quos adversùs dictam Ecclesiam commiserunt à communione fidelium per excommunicationis sententiam cum adjutoribus, auxiliatoribus, & fautoribus suis solenniter separatis nuntios & exploratores frequenter receperat & litteras ut in prosecutione persisterent eorundem ac contra ipsos quæ possent facere non differrent perversis suasionibus inducendo. Et specialiter dicta [relatio] continebat quòd præfatus Isnardus cursorem quendam Oddorinum nomine ad ipsum missum ex parte Matthæi Ferrabo magistri spiarum nobilis viri Matthæi Vicecomitis his diebus receperat, & per ipsum eidem Matthæo litteras perversas persuasiones continentes & consilia cum quibus captus fuerat transmittebat. Volentes itaque de prædictis litteris & exploratione scire pleniùs veritatem, dictum cursorem ad nostram duci præsentiam facientes, ab eodem cursore in dilectorum filiorum nostrorum Bertrandi tituli sancti Marcelli Presbyteri & præfati Bertrandi sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconi Cardinalium & Geraldi de Lalo Capellani nostri apostolica auctoritate notarii præsentia de dicenda veritate super litteris & exploratione prædictis recepimus juramentum. Qui juratus nobis

asseruit quòd per dictum Matthæum Ferrabo
dictum Isnardum ad dicendum sibi nova ilları
partium , videlicet quòd licèt fuisset discor‹
inter Theothonicos & Alexandrinos , & aliqui
eis se invicem occidissent , tamen exercitus c
erat ante Valenciam non recesserat, & quòd na‹
gium quod recesserat fuerat jam reversum , quò
que Passarinus de Mantua & Ponsonus de Ponsoı
bus de Cremona erant apud Pisium Guictonium
facien[illegible]m guastum , & quòd ipse Patriarcha d
Beret stare lætus , quia illi domini de Mediola
& de Mantua de aliquibus non timebant , & e
trinseci Januenses ceperant Pastoranam , & ad ı
ferendum eidem Matthæo Ferrabo nova ex par
dicti Patriarchæ quæ erant in nostra , & faciendu
omnia quæ sibi dictus Patriarcha imponeret f
cienda , fuerat specialiter deputatus. Dixit etia
quòd idem Patriarcha sibi dixerat ut eidem Ma
thæo referret quòd non oportebat dictos Domin
timere in aliquo pro æstate præsenti , quia ex par
carissimi in Christo filii nostri Roberti Regis Sic
liæ illustris hac æstate erant ad partes Pedimont
& Lombardiæ paucæ gentes armigeræ profectura
sed in alia æstate oportebat forsan quòd faciaı
custodiam meliorem , litteris cum quibus captı
fuit assignatis. Dixit etiam quòd idem Patriarcl
plures alios nuntios & spias venientes à Mediol
no receperat , quorum unus vocabatur Ambrosius
& alter Leo , & plures alios quorum nomina ign
rabat. Post hæc autem scire volentes super i
pleniùs veritatem , eundem Isnardum Patriarcha
ad nostram præsentiam propter hoc evocantes , a
eo de dicenda veritate super prædictis & ea ta
gentibus corporale recepimus juramentum ; & o
tendentes sibi dictas litteras cum quibus capt
fuerat dictus cursor , quarum tenor inferiùs ann
tatu

tatur, ab ipso quæsivimus si ipse destinasset easdem. Qui in præsentia nostra, Cardinalium, & notarii prædictorum, illis priùs perlectis, recognovit ac confessus extitit illas esse quas ipse fieri & scribi fecerat & mittebat cuidam qui Ambrosius nominatur, & eas Oddorino cursori tradiderat supradicto. Tenor autem ipsarum litterarum noscitur esse talis. *Scias missum esse pro.. Comite Sabaudiæ & Domino Philippo quòd veniant vel mittant, & die Jovis venerunt ambassiatores ex parte Comitis, & hodie intrat Martinus de Abbiate miles, ut dicitur, oblationibus præmissis. Milites ducenti vel circa vadunt in Pedemonte, qui bene defendent insultus fatuorum Gebellinorum. Et ille Presbyter qui debebat ire Yporegiam firmiter asserit, & credendum est, si mittantur mille milites, illi tyranni & eorum sequaces fugient à facie ipsorum. Et nisi librum citò mittas, forsitan non poteris quando voles propter discrimina viarum. Nisi aliter provideat, Michaël omnino deficit in expensis. Impiè enim & ingratè agitur circa eum.* Interrogatus igitur idem Isnardus sub virtute præstiti juramenti quare scripserat *Milites ducenti vel circa vadunt in Pedemonte*, dixit se scripsisse ad terrendum Gebellinos. Et cùm diceretur eidem quomodo terrerentur per ducentos, cùm pars adversa haberet mille & amplius, nihil respondit aliud, sed quia ita credebat, ut dixit. Interrogatus etiam super verbis videlicet *ille Presbyter qui debebat ire Yporegiam*, de quo Presbytero loquebatur, respondit de se ipso, quia condixerat cum illo Ambrosio quòd debebat ire Yporegiam. Et cùm diceretur sibi quòd hoc non patiebantur verba sequentia, respondit quòd ita intelligebat ipse de se. Interrogatus etiam quare scripserat de illis mille militibus, & quòd si mitterentur, illi tyranni & eorum sequaces fugerent, respondit quòd ad terrendum dictos Gebellinos hoc scripse-

rat. Dixit enim se intellexisse de mille militib
mittendis per Regem præfatum, & vocabat tyra
nos partem Gebellinorum, præsertim filios M
thæi Vicecomitis, qui communiter vocantur in il
partibus tyrannelli, & quòd ipse odit eos, & cre
eos tales esse, eos & partem eorum dixit se oc
habuisse. Interrogatus de verbis illis contentis
dictis litteris, *si librum illum citò mittas, &c.*
quo libro intelligeret, respondit se intellexisse
quibusdam quaternis Isidori quos dictus Ambros
habebat ab ipso. Et cùm diceretur sibi quomo
mittebat pro illis quaternis ex quo dicebat Ypor
giam se iturum, respondit quia nesciebat quan
posset ire propter causam quam habebat in cur
Interrogatus de verbis, *Nisi aliter provideat, M*
chael omnino deficit in expensis, de quo Michaele i
telligebat, respondit de se ipso, scribens quòd p
cuniam quam illi Ambrosio mutuaverat mitteret
sibi. Interrogatus etiam de quo nomine proprio p
sito in margine litteræ prælibatæ, quod est *Prosd*
cimus, de quo Prosdocimo intelligebat, dixit qu
de se ipso. Interrogatus insuper si dictus Oddorin
ex parte ejusdem Matthæi Ferrabo dixerat sibi ve
ba prædicta, simpliciter negavit per proprium jur
mentum. Interrogatus etiam an ipse eidem curs
dixisset præmissa verba ex parte sua eidem Matth
referenda, respondit quòd non. Et tunc in ejusde
Isnardi præsentia eundem Oddorinum cursorem c
ram nobis iterum fecimus accersiri: qui omnia q
suprà deposuerat, tam ex parte dicti Matthæi c
cenda eidem Patriarchæ, quàm ex parte ipsius P
triarchæ referenda dicto Matthæo, affirmavit
asseruit esse vera sub virtute ab eo de novo in di
Isnardi præsentia præstiti corporaliter juramen
Deinde eidem Isnardo iteratò sub pœna suspensio
& depositionis injunximus, quòd de Romana cu

non recederet absque nostra licentia speciali. Postquam dicti Bertrandus Presbyter & Bertrandus Diaconus Cardinales ex commissione nostra eis facta oraculo vivæ vocis, intellecto ex confessione ejusdem Patriarchæ quòd Antonius de Galerata scripserat litteras suprascriptas, eundem Antonium ad suam præsentiam evocantes, recepto ab eo de veritate dicenda super præmissis corporaliter juramento, ostenderunt sibi litteras sæpe dictas, & quæsierunt ab eo si scripsisset easdem. Qui respondit quòd sic. Et interrogatus qui esset ille Presbyter qui debebat ire Yporegiam in dictis litteris nominatis, dixit quòd Archiepiscopus Mediolanensis, causam sui dicti reddens quia sic audiverat à Patriarcha prædicto. Interrogatus de quo librò in dictis litteris loquebatur, dixit quòd idem Patriarcha intelligebat per librum civitatem Astensem, & quòd nisi illi quibus scribebat citò expellerent illos qui tenebant dictam civitatem, quòd non possent eos expellere & eam habere quando vellent, scientiæ causam reddens quia ita audiverat ab eodem. De nominibus verò Michaelis & Prosdocimi respondit se credere quòd idem Patriarcha intelligeret de se ipso, quia aliàs in litteris suis à se scriptis se illis nominibus nominabat. Demum idem Isnardus videns se super prædictis gravibus & enormibus excessibus & delictis, multisque perjuriis, variationibus, & scelestis factionibus superari clarioribus excusationibus inexcusabiliter & convinci, de prædicta curia sine socio sui ordinis habitu transformato cum caligis rubeis & laicalibus indumentis, sine Breviario & Missali, prout nobis legitimè constitit, in contemptum mandatorum nostrorum & dictarum pœnarum interminatarum eidem, immemor juramenti in sua promotione præstiti quòd esset summo Pontifici qui tunc erat & ejus successo-

ribus obediens & fidelis, jugo suæ religionis abj
to, contumaciter arresta nostra temerè violans r
absque nota criminis læsæ majestatis, absque no
licentia, tanquam sibi malè conscius & de just
suæ causæ diffisus, latenter aufugit. Nos igitur
eodem Gullelmo Presbytero & Bertrando Diacc
Cardinalibus facta nobis super inquisitis per
contra dictum Isnardum relatione plenaria & fi
li, ac super illa cum fratribus nostris & nonnu
aliis peritis deliberatione præhabita diligenti, r
valentes absque gravi offensione majestatis divi
iniquitates ejus ulteriùs tolerare, urgente nos co
cientia cogimur justæ animadversionis censuram
rigere in eundem. Et ut ad præsens de aliis ejus c
minibus taceamus, quæ denuntiata fuerant con
eum, & in inquisitione præfata pleniùs continet
de quibus tam ex ipsius fuga nostrorumque fracti
ne arrestorum quàm ex multis aliis indiciis osten
se obnoxium & juris interpretatione convictu
pauca de illis gravissima super quibus inexcusab
ter reus esse convincitur providimus exprimen
Nam cùm dictus Isnardus contra castrum Rora
pertinens ad Ecclesiam Papiensem exercitum co
gregasset, & in obsidione dicti castri cum di
exercitu permaneret, ipseque dux & caput exi
ret exercitus memorati, quidam Presbyter nom
Alkerinus ibidem captus extitit & ad ejus præs
tiam deductus in quadam Ecclesia territorii d
castri. Et licèt ipse, tum quia dicto exercitui pr
rat, tum etiam quia per familiares suos dictus P
byter tenebatur, tum pro eo quòd postquam di
Presbyter fuerat in dictam Ecclesiam introduct
debebat ecclesiastica immunitate gaudere, pot
set & debuisset eundem à mortis periculo libera
permisit tamen ipsum de Ecclesia prædicta per i
qui eum captum abduxerant, nullo verbo pro

liberatione prolato, extrahi, libertate & immunitate ecclesiastica violatis. Et quamvis dictus Presbyter, dum in manibus, brachiis, & pedibus ibi prope Ecclesiam excoriaretur, vociferans, clamans, & ejulans, dicens *Sancta Maria adjuva me*, clamores hujusmodi repetisset, idem Isnardus in dicta Ecclesia tunc existens, ejusque valens audire clamores, non solùm liberationi ejus debitam opem non præstitit, quamvis posset, sed intentioni ejus patientiam commodavit, dictosque familiares post occisionem dicti Presbyteri per eos factam in sua malitia fovendo receptavit ut priùs. Ex quibus homicidii crimen & excommunicationem latam à canone apertè convincitur incurrisse. Quibus etiam perjuriorum reatus adjunxit multipliciter & multociens dejerando. Nam in principio inquisitionis prædictæ à dictis Cardinalibus interrogatus per proprium juramentum quòd diceret veritatem sine admixtione falsitatis quicquid sciret de ipsius Presbyteri captione & morte, primò respondit se novisse Presbyterum memoratum, & quòd nunquam ductus fuerat coram eo. Repetitus autem & super eodem interrogatus per proprium juramentum, contra primum dictum variando respondit quòd dictus Presbyter fuerat sibi præsentatus per illum qui ostium custodiebat ipsius. Et sic contraria super eodem deponens perjurus convincitur manifestè, cùm per dictam confessionem posteriorem ipsius Isnardi priori contrariam, cùm per depositionem multorum testium, qui deposuerunt apertè quòd idem Presbyter coram eodem Isnardo ad dictam Ecclesiam ductus fuit. Asseruit etiam idem Isnardus per proprium juramentum, cùm super hoc fuit interrogatus secundò, quòd dictus Presbyter solus intravcrat Ecclesiam in qua erat. Super quo etiam deprehenditur esse perjurus ex eo quòd multi testes

deposuerunt quòd multi de exercitu & familia e
dem Isnardi coram eo dictum Presbyterum du
captivum. Dixit etiam per proprium juramentur
ignorare quòd dictus Alxerinus esset Presby
vel quòd fuisset ductus coram eo in tonsura &
bitu clericali. Super quo nullam potuit ignorant
allegare, cùm per multos testes sit clarè probat
quòd notorium erat illum esse Presbyterum &
fuisse ante mortem ipsius, & quòd in clericali
bitu & tonsura publicè ductus fuerat coram eo.
quibus apparet eundem Isnardum multorum pe
riorum crimina, excommunicationem à canone,
plurium irregularitatum maculas, tam propter c
tum homicidium, quàm quia postmodum sic liga
celebravit existens etiam in curia divina, & imm
cuit se eisdem sicut priùs damnabiliter incurri
Convictus est etiam quòd in pluribus exercitib
præsens fuit, & nedum præsens, immo etiam c
& caput erat exercituum prædictorum, ejus vexi
& cruce aliquando exercitum præeuntibus publi
elevatis, cum quibus ad occupanda castra ad su
Ecclesiam non spectantia quoquo modo, sed per
nentia ad alios dominos temporales, contra stat
pastoralis decentiam noscitur processisse & occ
passe aliqua castra: in qua occupatione multi in o
gladii perierunt; rapinæ innumeræ sunt commiss
Ecclesiæ & altaria incendio consumpta, sacrile
& alia mala multiplicia perpetrata; ex quibus h
micidiorum, rapinarum, & incendiorum occasio
exercituum prædictorum & sacrilegiorum in lo
sacris & Ecclesiis commissorum noscitur pluri
irregularitatum notas & maculas contraxisse.
aliquibus etiam castris ejusdem Ecclesiæ Papiensi
cujus administrationem, ut præmittitur, ex apost
lica concessione gerebat, præsens, sci..s, & a
diens permittebat excubatores dictorum castroru

apertè in ipſorum caſtrorum fortelliciis proclamare: *Moriantur Gulfi, moriantur Gulfi.* Quibus verbis, nedum patientiam, ſed complacentiam oſtendebat. Ex quibus patientia & complacentia ejus in dictis caſtris ratione adminiſtrationis prædictæ ſpirituale & temporale dominium obtinentis, dum offendendi illos quodammodo permittebatur impunitas, qualis exitus ſequi potuerit & quàm crudelis eventus, nullus ſanæ mentis ignorat. Verbum inſuper ſuum effrenatè & diſſolutè laxabat contra pontificalis officii gravitatem. Nam cùm præfata civitas Papienſis, quæ tempore ſibi commiſſæ adminiſtrationis Papienſis Eccleſiæ [per] devotos Romanæ Eccleſiæ regebatur, rebellaſſet, quia quidam ex civibus, qui rebellionem moleſtam gerebant, ſpem de ſubſidio & adventu equitum armatorum Regis prædicti Siciliæ aliis ſuis ſequacibus tribuebant, idem Iſnardus inter Miſſarum ſolennia, quæ tunc in pontificalibus celebrabat, ſermonem faciens coram multitudine cleri & populi civitatis ejuſdem, in hujuſmodi verba prorupit quòd ſpem dantes præfatam in interitu dandi erant, quòdque ipſe omnes qui eos offenderent abſolvebat. Sic itaque viarum præfati Iſnardi diligenti viſitatione, id eſt, inquiſitione ſuper illis, & ejus examinatione perfecta, cogitationes ejus ſibi decrevimus reddere, id eſt, ejus exceſſuſque tam execrabiles, tam nephandos, per quos de perverſis cogitationibus ejus conſtat, condignæ caſtigationis mucrone ferire atque procedere intendentes, ipſum de fratrum noſtrorum conſilio ad audiendum diffinitivam ſuper præmiſſis ſententiam in audientia citari pluries fecimus, & poſtremò diem præſentem ſibi duximus peremptoriè præfigendum ut coram nobis in conſiſtorio compareret perſonaliter ſuper præmiſſis diffinitivam ſententiam auditurus. Quo minimè

Odor. Ray-nald. an. 1319. §. 8. comparente, nec aliquo pro eodem, ipsum con macem meritò reputantes, in nomine Domini c Apostolo tantam inobedientiam & irreverenti ulcisci excessusque sic detestabiles, sic enorme sicut etiam nostri debitum exposcit officii, discip na debita castigare volentes, ne ipsorum impunit ausum in aliis pariat & ausus excessum, in Isnardu prædictum, qui omni honore, dignitate, ac adm nistratione adeo reddidit se indignum, de fratrui nostrorum consilio perpetuæ depositionis senten tiam promulgamus, cumque tam à patriarchal quàm pontificali & omni sacerdotali & clerical privantes officio, condemnamus, & corpus ejus dantes Satanæ, ut ejus spiritus salvus fiat, in ipsum excommunicationis sententiam promulgamus. Nulli ergo &c. nostrarum promulgationum, privationis, & condemnationis infringere &c. Datum Avinioni III. Kal. Augusti anno tertio.

Accusatio contra Heliam Episcopum Aurelianensem.

An. 1145. ANNO ab incarnatione Domini MCXLV. sedente in apostolica sede Domino Papa Eugenio, anno pontificatus ejus primo, mense Octobri, XV. Kal. Novembris. Ego Radulphus Archidiaconus sanctæ crucis profiteor me deferre Heliam Episcopum Aurelianensem reum simoniæ apud sanctissimum Papam Eugenium, quòd dico eum XL. solidos accepisse pro dedicanda Ecclesia sancti Laurentii in civitate Aurelianis mense Martio in domo episcopali, numerante Arnaldo, Domino Papa Innocentio sedente in cathedra beati Petri, anno pontificatus ejus decimo. Ego Radulphus Archidiaconus subscribo me professum esse deferre prædictum Heliam Episcopum reum præfati criminis.

Joannis Episcopi Lemovicensis & collegarum ejus à sede apostolica delegatorum in causa electionis Episcopi Tolosani.

JOANNES Dei gratia Lemovicensis Episcopus & P. Majoris silvæ & R. de Corona Abbates Capitulo Narbonensi salutem in Domino. Credimus ad vestram audientiam pervenisse qualiter Ecclesia Tolosana proprio viduata pastore propter dissensiones & jurgia afflicta sit diù laboribus & expensis. Sanè cùm post multas contentiones dilectum Raymundum Archidiaconum Agennensem unanimiter & concorditer elegissent, & de persona ipsius multa apostolicæ sanctitati falsò & detractoriè fuissent proposita, placuit apostolicæ celsitudini inquisitionem eorum nostræ committere parvitati. Unde habita diligenti inquisitione, cùm nullus omnino compareret qui in electione ipsius aliquid objiceret vel persona unde ejus deberet promotio impediri, facta nobis fide plenissima de electione concordi, de idoneitate etiam personæ multarum ecclesiasticarum testimonia recepimus personarum & Ecclesiarum. Unde virorum prudentum consilio requisito ipsam electionem apostolica auctoritate confirmavimus, & juxta mandatum apostolicum Metropolitano suo, scilicet Domino Narbonensi, mittimus consecrandum. Unde universitatem vestram exhortantes præcipimus apostolici auctoritate mandati quatinus modis omnibus studium & operam impendatis quòd Dominus Narbonensis vel ad minus vicarius ejus secundùm morem Ecclesiæ vestræ, accito etiam numero collegarum, ei munus consecrationis impendat, ne memorata Ecclesia Tolosana aliquod ulteriùs periculum subeat vel gravamen, & hoc nullius appellatione vel con-

An. 1201.

traditione obstante. Hæc est enim expressa forma rescripti apostolici. In quoslibet etiam contradictores puniendi & compescendi plenam recepimus per censuram ecclesiasticam potestatem.

Vide cap. *Per inquisitionem*, & cap. *In causis*. De electione. Ex capite porrò *Per inquisitionem* apparet Raymundum verè fuisse Episcopum Tolosanum. Itaque existimandum est eum fuisse depositum cùm constitisset illum per subreptionem obtinuisse confirmationem electionis suæ.

Bulla Innocentii Papæ III. de consecratione Fulconis Episcopi Tolosani.

An. 1206. INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archiepiscopo & dilectis filiis Capitulo Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Cùm constet Tolosanam Ecclesiam ad jurisdictionem Narbonensis Ecclesiæ jure metropolitico pertinere, licèt dilecti filii Abbas Cisterciensis & magister Petrus de Castronovo ac frater Radulfus apostolicæ sedis Legati electionem de Tolosano Episcopo canonicè factam admiserint & eum à venerabili fratre nostro Arelatensi Archiepiscopo fecerint consecrari, nolumus tamen omnino quòd propter hoc possit in posterum Narbonensi Ecclesiæ præjudicium generari quin Ecclesia Tolosana eidem Ecclesiæ Narbonensi tanquam metropoli suæ debitum honorem impendat & reverentiam exhibeat consuetam. Nos igitur super hoc indemnitati Ecclesiæ vestræ in futurum cavere volentes præsentes litteras in tuitionis vestræ subsidium vobis duximus concedendas. Datum Romæ apud sanctum Petrum V. Idus Maii pontificatus nostri anno nono.

Litteræ Ægidii Archiepiscopi Narbonensis de consecratione Petri de Rupeforti Episcopi Carcassonensis.

ÆGIDIUS permissione divina sanctæ Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus venerabilibus fratribus nostris Dominis Dei gratia Biterrensi, Tolosano, Magalonensi, Agathensi, Nemausensi, Lodovensi, Elnensi, & Appamiensi Episcopis salutem & sinceram in Domino caritatem. Cùm venerabilis vir frater Petrus de Rupeforti Carcassonensis Ecclesiæ electus, qui nuper confirmationem suæ electionis canonicè obtinuisse dicitur auctoritate nostra à quibusdam ex vobis, quibus unà cum vicariis nostris super iis commiseramus specialiter vices nostras, nobis instanter supplicaverit ut sibi consecrationis munus impendere dignaremur, nosque tam pro Domini Regis Franciæ illustris & regni quàm Ecclesiæ nostræ negotiis habeamus ad Romanam curiam in præsenti necessariò proficisci, timeamusque quòd propter ingruentium negotiorum festinantiam non possimus ad præsens transitum facere per nostram provinciam Narbonensem, vestris in hac parte parcere volentes laboribus & expensis, vos requirimus quatenus illi vestrum qui dictæ consecrationi, quam dicto electo annuente Deo impendere proponimus, si nihil obstet de canonicis institutis, tertia vel quarta Dominica præsentis mensis Novembris in Bituricensi provincia vel Lugdunensi, Archiepiscopi & Episcopi in quorum provincia & diocesi dicta consecratio celebrabitur ad id accedente consensu, ac adhibito Episcoporum sufficienti numero, interesse nequiveritis, ipsi celebrandæ consecrationi vestrum præbeatis assensum per vestras litteras nobis è vestigio destinandas. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litte-

ris fecimus apponi. Datum Aureliani die dominica poſt feſtum omnium ſanctorum anno Domini milleſimo trecenteſimo.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino ſuo ſpecialiſſimo Domino Ægidio divina providente clementia ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo R. ejuſdem permiſſione ſibi devotus Epiſcopus Agathenſis ſalutem cum omni exhibitione reverentiæ & honoris. Auditis veſtris excuſationibus propter quas ad præſens intrare Narbonenſem provinciam commodè non poteſtis, licèt veſtram venerabilem præſentiam cum multis aliis ſitiamus, compatientes Carcaſſonenſi Eccleſiæ pariter ac electo, ut eidem electo conſecrationis munus poſſitis impendere infra dictam provinciam & alibi extra ipſam, ubi paternitati veſtræ placuerit, quantum poſſumus conſentimus. In cujus conſenſus teſtimonium ſigillum noſtrum præſenti litteræ duximus apponendum. Conſervet vos altiſſimus ſuo ſancto ſervitio per tempora longiora. Datum Agathæ X. Kal. Decembris anno Domini milleſimo triſcenteſimo.

Reverendo in Chriſto Patri Domino Ægidio Dei providentia Narbonenſi Archiepiſcopo ejuſdem miſeratione B. Biterrenſis, P. Toloſanus, G. Magalonenſis, R. Elvenſis, & B. Appamienſis Epiſcopi ejus ſuffraganei ſalutem & reverentiam tam debitam quàm devotam. Paternitatis veſtræ litteras recepimus ſuper conſecratione venerabili viro Domino P. Carcaſſonenſi electo per vos tertia vel quarta dominica præſentis menſis Novembris in Bituricenſi vel Lugdunenſi provincia, ſi nihil de canonicis inſtitutis obviet, impendenda. Verùm cùm nos præfatæ conſecrationi adeſſe perſonaliter nequeamus, ipſi conſecrationi canonicè faciendæ ſeu im-

pendendæ nostrum præbemus assensum. In cujus consensus testimonium paternitati vestræ præsentes mittimus litteras sigillorum nostrorum appensione munitas. Datum apud Mirapiscem diocesis Appamiensis anno Domini millesimo trecentesimo, VIII. Kal. Decembris.

Reverendissimo in Christo Patri Domino suo carissimo Domino Ægidio Dei gratia sanctæ Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopo B. ejusdem miseratione Nemausensis Episcopus salutem & promptam in omnibus ad ejus beneplacita voluntatem. Vestræ reverendæ paternitati deferre volentes, tum propter vestri reverentiam, tum propter negotiorum onera quæ incumbunt, assensum nostrum tenore præsentium exhibemus quòd venerabili viro Domino electo Ecclesiæ Carcassonensis possitis munus consecrationis, si vobis justum & rationabile fuerit visum, infra provinciam Narbonensem vel extra, ubi paternitati vestræ placuerit, elargiri. In cujus rei testimonium sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum Nemausi sexto Kalendas Decembris anno Domini millesimo triscentesimo.

Eximii honoris & reverentiæ Patri & Domino suo in Christo prædilectissimo Domino Ægidio Dei gratia sanctæ Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopo frater Iterius ejusdem permissione sibi devotus Episcopus Lodovensis exhibitionem reverentiæ & honoris omnimodi cum salute. Quoniam ad præsens Narbonensem provinciam non potestis intrare commodè, sicut per vestras reverendas litteras nobis innotuit, propter ardua quædam negotia humeris vestris imposita, licèt venerabilem vestram præsentiam præcordiali desideremus affectu, ex compassione tamen qua ferimur Ecclesiæ & electo Car-

cassonensi, ut ipsum electum consecrare possitis infra dictam provinciam vel extra, ubicunque paternitati vestræ expediens visum fuerit, libenti animo consentimus. In cujus consensus testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Valeat vestra reverenda paternitas, quam in prosperitate vitæ & gratiæ conservet omnipotens nunc & semper. Datum Lodovæ in festo sancti Clementis anno Domini MCCC.



VARIA CLUNIACENSIA.

Bernardus Episcopus Caturcensis Ecclesiam sancti Saturnini in villa Carenniaco.

TOTIUS humanæ salutis auctor & de peccatis suis dignè pœnitentibus clementissimus veniæ largitor contra inevitabilia humanorum excessuum vulnera opponere dignatus est salubria præceptorum suorum medicamina; de quibus est illud: *Date elemosinam, & omnia munda sunt vobis.* & item: *Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum.* & : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* Quod ego in Dei nomine Bernardus Episcopus Caturcensis & frater meus Rotbertus cum uxore sua Matfreda & filio suo Petro & filia animo perpendentes, ultimique judicii diem pertimescentes, pro remedio animarum nostrarum seu omnium parentum nostrorum atque omnium fidelium Christianorum vivorum vel defunctorum donamus Deo & sancto Petro ad locum Cluniacum, cui præest domnus Odilo Abba, quandam nostræ juris Ecclesiam in pago Caturcensi in villa Carenniaco sitam & in veneratione sancti Saturnini ab antiquis consecratam cum omnibus appendiciis suis, terris cultis & incultis, campis, vineis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, totum ad integrum sicut ad jamdictam Ecclesiam pertinere videtur, excepta sua illa parte de paxeria quæ ibi est, quam sibi retinuit frater meus Rotbertus. Et ne quis præsentium sive futurorum calumnietur dicat quòd non possumus firmam & solidam donationem de hac Ecclesia facere,

Circa An. 1060.

eò quòd ſit de jure & hereditate ſancti Stephani & Eccleſiæ Caturcenſi, cui per Dei gratiam præeſſe videmur, noverint cuncti tam præſentes quàm futuri quòd pro ea damus in loco commutationis aliam Eccleſiam de noſtra propria hereditate in eodem pago in villa Grammato ſitam tali tenore ut frater meus jamdictus Rotbertus pro deceſſoribus noſtris in beneficio teneat, ſicut jamdictam Eccleſiam faciebat. Fecimus autem hanc commutationem in Capitulo ſancti Stephani feria VII. in Synodo in præſentia Canonicorum, Abbatum ſcilicet, Archipreſbyterorum, & ceterorum clericorum, atque laicorum nobilium. Et ut hæc donatio noſtra firma permaneat, manibus noſtris propriis firmamus, & teſtibus præſentibus firmare rogamus. S. Bernardi Epiſcopi & fratris ſui Rotberti cum uxore ſua & filio Petro & filia. S. Stephani & Alberti Abbatum. S. Arberti Archidiaconi. S. Gauſberti vice Archidiaconi. S. Geraldi ſacri cuſtodis. S. Willelmi Archidiaconi. S. Grimardi. S. Andreæ. S. Conſtantii.

Rotbertus & nonnulli beneficia aliqua eidem Caturniacenſi Eccleſiæ largiti ſunt.

Dono etiam ego Rotbertus ſpecialiter ex mea parte unum boſcum quod vocatur Garrigoſum. Dono etiam licentiam omnibus qui beneficium ex me tenent ut ſi elemoſinam facere voluerint ad ſupranominatum locum pro anima ſua faciant. Dono etiam licentiam ut ſcavam ſuam ducant per aquas meas. Dono etiam conſuetudinem per omnes boſcos meos ut tantum apprehendant quantum eis neceſſe fuerit ad calefaciendum. Præterea noverint cuncti fideles quòd Euſtorgia filia Hugonis fecit donationem ſancto Petro de illa ſua parte quam rationabatur

batur in supradicta Ecclesia pro remedio animæ suæ, laudante & donante seniore suo Petro. Geraldus quoque de Bedorico accepit ab Episcopo pretium quingentorum solidorum pro medietate Ecclesiæ quam tenebat in beneficio & dedit sancto Petro. Sed & Rotgerius de Celsiaco accepit ab Episcopo pretium ducentorum solidorum pro sua parte de hac Ecclesia & dedit sancto Petro. Actum Cluniaci publicè regnante Heynrico Rege. Stephanus Levita scripsit.

Carta domni Geraldi Caturcensis Episcopi de quibus Ecclesiis.

Ego igitur Geraldus Deì gratia Caturcensis Episcopus dono Deo & sancto Petro de Cluniaco & ad locum qui dicitur Carennacus Ecclesias quas adquisierunt in diebus meis in episcopatu meo, Ecclesiam videlicet de sancta Speria, Capellam de sancto Sereno, Ecclesiam de Riniaco, Ecclesiam de Colnaco. S. Maiengodi Prioris. S. Geraldi monachi. S. Arnaldi Diaconi. Domnus Geraldus Episcopus signavit.

Pontius Comes & uxor consilio Bernardi Episcopi & Gauzberti Abbatis abbatiam Moysiacensem.

QUAMVIS apostolica pronuntient verba quòd non sit nisi à Deo potestas aliqua, tamen de reprobis sermo divinus per Prophetam indicat dicens: *Ipsi regnaverunt, sed non ex me. Principes extiterunt, & non cognovi.* Idcirco Poncius Tolosanæ urbis Comes, ne in numero malè regnantium à justo arbitre Deo districtè, quasi non ab eo agnitus, dijudicer, communi ac salubri consilio uxoris meæ Adalmodis Comitissæ ac Principum mihi subdito- *Circa An. 1060.*

rum, venerabilis ſcilicet Bernardi Katurcenſis Epiſcopi, necnon Gauzberti Abbatis nominati, Willelmi quoque ac Fulconis fratris ejus conſultu, decrevi ut abbatia ſancti Petri Moyſiacenſis cœnobii, quam ego hactenus & parentes mei ſeu prædeceſſores mei Comites Toloſani de manibus Regum Francorum viſi fuimus in facti jure habere & poſſidere, deinceps in Dei ſervitio rectiùs diligentiùſque cuſtodiatur. Quapropter volo ut cunctis meis ſucceſſoribus pateſcat quòd ego prænominatam abbatiam ſancti Petri Moyſiacenſis cœnobii omnipotenti Deo & ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo dimitto, necnon & ſeniori kariſſimo domno Hugoni Abbati Clunienſi, ſive cunctis ſucceſſoribus ſuis in loco Cluniacenſi futuris, ſecundùm regulam ſancti Benedicti ordinandam in perpetuum trado coram teſtibus. Si quis autem parentum vel ſucceſſorum meorum aut quicunque hominum poſt finem meum ſive poſt diſceſſum Gauzberti Principis illius qui ſecundus à me in abbatia illa nunc eſſe videtur & Abbas vocatur hanc meam ceſſionem diſrumpere quocunque modo adtemptaverit, quod fieri omni modo ſub obteſtatione judicii Dei prohibeo, omnipotentis Dei virtute examinandum & Papæ Romano necnon Francorum Regi, ad quorum tuitionem locus præfatus Moyſiacus pertinet, diſtringendum relinquo. Ego verò hanc inſcriptionem ceſſionis in manu jamdicti Abbatis domni Hugonis, adſtante omni conventu ejuſdem monaſterii, cui præeſt mea electione, & prænominati Bernardi Caturcenſis Epiſcopi, ad cujus dioceſim attinet locus iſte, conſecratione Durannus Abbas & monachus Cluniacenſis in die ſollemnitatis ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli manu, ore, corde confirmo atque corroboro. Bernardus Epiſcopus Caturcenſis firmavit. Adalmodis Comitiſſa firmavit. Gauzbertus Abba firma-

vit. Willelmus cognomento Miscens malum firmavit. Fulco frater ejus firmavit. Datum sub die III. Kal. Junii, III. feria, regnante Philippo Rege Francorum.

Gauzbertus Abbas ipsam abbatiam Moysiacensem & ab omni posteritate sua liberam proclamat.

SATIS omnibus, ut opinor, notum est qualiter ego Gaubertus Abba nominatus olim à Vilelmo Comite Tolosano emptione magni pretii, xxx. scilicet milia solidorum, abbatiam Moysiacensis cœnobii comparaverim. Nunc verò & deinceps omnes posteros meos ad quoscunque quorum in manibus hæc guerpitionis meæ adnotatio advenerit scire volo quòd ego postea seniori meo Pontio & filio ejus Wilelmo totam prædictam dederim abbatiam post finem meum hac de causa, pro amore videlicet Dei & pro salute animæ meæ, seu pro stabilitate ac restauratione ejusdem abbatiæ, ut non pòst deinceps post discessum meum ipse meus senior Pontius neque filius ejus Wilelmus nec ullus successorum meorum Comitum licentiam habeat aut vendere aut commodare præfatam abbatiam sancti Petri Moysiacensis cœnobii cuiquam clericorum vel laicorum nec etiam ulli meorum parentum ita ad possidendum ut hactenus ego & prædecessores mei malè & seculariter visi sumus possidere, sed perpetuò Wilelmus filius Pontii & filii ejus post eum & omnis posteritas genealogiæ ejus tenendo possideant & justè ac viriliter regant & Abbati regulari à fratribus ejusdem congregationis voluntate & consensu Abbatis & totius congregationis Cluniacensis monasterii regulariter electo regendam tradant. Sed & si de Wilelmo Pontii filio legales non apparuerint filii, fratribus suis Raimundo & Ugoni filiis Cap. 102.

Pontii similiter per conventionem suprascriptam ipsis & filiis eorum qui legales ex eis prodierint habituram trado. Quòd & si casu evenerit ut omnium istorum Comitum Palatinorum abolendo progenies evanescat, illi tamen qui forte post eos arcem ac regimen Tolosani comitatus acceperit, & qui secundùm Deum & secundùm seculi dignitatem prædictam abbatiam possidere voluerit, similiter habendam cedo, salva in omnibus fide Abbatum futurorum Cluniensium. Hoc autem ut omnibus tam præsentibus scilicet ac futuris pateat, volo quòd prædicti mei seniores ac Palatini Comites Pontius & ejus filius Wilelmus ante hanc meæ donationis guirpitionem mihi dextras & propriorum insuper corporum fidem dederunt nunquam se daturos cuiquam hominum viventium sancti Petri Moysiacensis monasterii abbatiam nisi Abbati regulari regulariter, ut dictum est, à fratribus ejusdem cœnobii jussu & voluntate Abbatis & congregationis electo. Et ut hæc meæ dimissionis annotatio semper firma stabilisque permaneat, in manibus prædictorum meorum seniorum Comitum Pontii & filii ejus Wilelmi coram nobilibus propriis meis manibus subnixa stipulatione firmavi. Hujus autem rei testium vocabula subter habentur inserta. Ego Gauzbertus Abba nominatus rem dictam reddidi stabilitate firma. Gauzbertus de Laurageñsi castro firmavit. Bernardus Petri de eodem castro firmavit. Bernardus Rainonis de Vuandalorum castro firmavit. Raimundus Emelii firmavit. Facta donatio hæc in manu Wilelmi Comitis Tolosani anno ab incarnatione
1063. Domini millesimo LXIII. regnante Rege Philippo. Data V. Idus Junii.

Notitia de monasterio sancti Montis.

GERALDUS Dei gratia Ostiensis Episcopus Cardinalis & apostolicæ sedis Legatus omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis perpetuam in Domino salutem. Cùm ex præcepto Domini Papæ Alexandri II. per Gasconiam iter agentes, in Hispanias tenderemus, in monasterio sancti Montis hospitati sumus. Est autem sanctus Mons monasterium pertinens ad Cluniacense cœnobium, constructum à venerabili Bernardo Comite & religiosa conjuge ejus Ermengarda & filio ejus Geraldo & altero ejus filio Arnaldo, qui paternæ jure hereditati successerunt. Præfati namque Comes & Comitissa cœlestis vitæ dulcedinem adamantes, transitorias contempserunt divitias, & in monasterio Cluniacensi, cui reverendissimus Hugo Abbas tunc præerat, sanctæ religionis habitum susceperunt, ædificantes prædictum sancti Montis monasterium in honorem sancti Johannis Baptistæ, pro redemptione peccatorum suorum vel remedio animarum parentum suorum, tam qui de seculo præsenti decesserant, quàm & eorum qui adhuc successuri erant. Primùm igitur prænominatus locus, utpote Cluniaco legitimè donatus & traditus, beati Petri novella possessio erat, & nos, licèt indigni, ejusdem principis Apostolorum legatione fungebamur. Rogati sumus ab ejusdem loci Priore Adhemaro & reliquis fratribus ut beati Petri tutelam & defensionem omnibus monasterii possessionibus imponeremus. Quorum precibus acquiescentes, omnia ad idem monasterium loca pertinentia, Ecclesias, prædia, villas, cum omnibus justè acquisitis vel acquirendis, auctoritate apostolica beati Petri tuitione munire statuimus, ut nulla deinceps persona vel ecclesiastica vel An. 1073.

ſecularis rebus prælibati loci violentiam aut torturam inferre præſumat aut iniquas conſuetudines imponere audeat. Præterea ſalvamentum quod infra limites conſtitutos ad ſecuritatem eorum & immunitatem qui inhabitant vel ad id confugerint, ſub banno beati Petri firmamus & corroboramus, ut quicunque temerè & audacter terminos illos, id eſt, cruces, infringere aut violare præſumpſerit aut invadere, beati Petri banni reum & auctoritate apoſtolica, niſi reſipuerit, excommunicatum ſe cognoſcat, inſuper ſi quid damni intulit, infra quindecim dies plenè reſtituat & componat, tum etiam ſatisfactiones & leges quas eccleſiaſticæ præcipiunt ſanctiones, id eſt, nongentos ſolidos perſolvat. Quicunque verò in prædicti monaſterii ciniterio ſepeliri ſe fecerint, & de peccatis ſuis puram confeſſionem Deo obtulerint, veramque pœnitentiam ſuſceperint & egerint, eos apoſtolica auctoritate abſolvimus & fraternarum orationum atque eleemoſynarum participes eſſe laudamus. Hanc autem cartam, ut firmior habeatur, ſubtus propria manu noſtra in hoc libro ſeu in carta ſignavimus; conſervatoribus ejus præmia ſempiterna, contemptoribus autem & infractoribus ſupplicia ſempiterna & damnatarum animarum tormenta.

Ego Geraldus Oſtienſis Epiſcopus & ſedis apoſtolicæ Legatus relegi & ſubſcripſi anno incarnationis dominicæ MLXXIII. Indictione XI.

Bernardus & uxor monaſterium ſancti Iohannis Baptiſtæ ad ſanctum Montem vocatum.

NOTUM ſit omnibus hominibus quòd ego Bernardus Comes & uxor mea Ermengardis & filii noſtri Arnaldus atque Geraldus donamus Domino Deo & ſanctis ejus Apoſtolis Petro &

Paulo ad locum Cluniacum, cui domnus Abba Hugo magis prodesse quàm præesse videtur, quoddam monasterium juris nostri ad sanctum Johannem Baptistam in sancto monte vocatum cum omnibus ibi pertinentibus nunc & quæcunque ibi in perpetuum pertinebunt, ut faciant rectores ejusdem loci quicquid facere voluerint amodo & usque in seculum seculi sine ulla contradictione. Si quis verò, quod absit, hanc nostram donationem contradicere vel irritam facere voluerit, quod infringere cupit non vindicet, sed sit super eum ira Dei omnipotentis & beati Johannis Baptistæ & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli; veniantque super eum omnes maledictiones veteris & novi testamenti nisi resipuerit & ad emendationem venerit. Ut autem hæc carta firma atque stabilis permaneat, manu propria firmavi, testibusque firmandam tradidi. Signum domni Bernardi Comitis, qui hanc donationem fecit. S. filiorum ejus Arnaldi atque Geraldi. S. Ermengardis Comitissæ.

Testamentum domni Adefonsi Regis Hispaniarum ad Cluniacum.

IN nomine Dei omnipotentis patris & filii & spiritus sancti. Adefonsus divina favente clementia Hispaniarum Rex. Convenit majestati regiæ prædecessorum Regum virtutes & bene acta imitari, per quod & apud Deum & apud homines inveniat gratiam, & in posteros amabilem nominis sui transmittat memoriam. Subiit itaque mihi Regi Adefonso in mentem quid egregium inter cetera egerat pater meus Rex Fredelandus pia recordatione semper commemorandus. Comperta namque cœnobii Cluniacensis tam celebri, tam probata, tam sancta religione, divino mox timore compunc- *An.* 1090.

tus & amore societatem fratrum Deo & sancto Petro ibidem militantium humiliter expetiit, devotiùs accepit, fidelissimè quoad vixit retinuit, non inaniter credens se participem fore in eorum spiritalibus, si de sua temporali abundantia indigentiæ servorum Dei fuisset munificus. Unde censum annualem, mille videlicet aureos, quos vulgò mancales appellant, conventui Cluniacensi ad vestiarium propriè dedit; quem censum eodem modo per successores suos præfato loco annuatim reddendum instituit & firmavit. Quia verò placuit omnipotentiæ creatoris in regno Hesperidum roborare solium meum, ego Dei gratia Rex Adefonsus, sicut heres paternæ dignitatis, ita quoque bonæ successor voluntatis, pactum fraternæ societatis cum meis Cluniacensibus inii, statui, firmavi, censum quoque largitatis paternæ duplicavi, duo milia mancales in censu annuali Cluniaco persolvens. Communicato etiam cum uxore mea Regina consilio, & primùm Toletano Archiepiscopo & ceteris Episcopis meis & primoribus regni mei fidelibus meis volentibus, consentientibus, laudantibus, astipulantibus, constituo de præfato censu duplicato Cluniacensibus meis fratribus karissimis regiæ auctoritatis præceptum, à me ipso quoad vixere firmissimè tenendum, omnibusque succedentibus per secula ventura in regno Hispaniæ Regibus perpetua lege servandum. Hanc autem constitutionem facio pro animæ meæ remedio, pro animabus patris mei & matris ac fratrum meorum, pro uxore ac liberis meis, ut & vivis prosit ad promerendam æternalem vitam & defunctis proficiat ad possidendam requiem sempiternam. Si quis verò successorum meorum Regum præcepti hujus, quod absit, temerator existens aut violator censum Cluniacensibus constitutum sive ex toto abnegare sive minuere temptaverit, sicut ego

fido in Domino Deo, à regno Dei se noverit alienum & judicio divino exheredandum, nisi velociter resipiscat & abnegatas vel diminutas census condigna satisfactione restituat pensiones. Ut autem inviolabile teneatur hoc meum præceptum, hanc Kartam fieri conscriptionis jussi, quam regia manu & auctoritate subtus firmavi & corroboravi, atque firmandam æquè Principibus ac fidelibus meis consequenter mandavi. Impetravi etiam à Cluniacensi Abbate patre meo domno Hugone tunc temporis mecum in civitate Burgis commanente ut omnibus superventuris Abbatibus suis successoribus constituat præceptum de commemoratione vel obsequio quòd pro nobis, videlicet pro patre meo, pro matre, pro fratribus meis, pro me, pro uxore mea Regina, & liberis ipse domnus Hugo Abbas apposuit & ordinavit tam pro vivis quàm pro defunctis semper agendum. Acta sunt Burgis in civitate. Data apud Burgis civitatem anno ab incarnatione Domini M X [illegible]. indictione X I I I. Paschæ diebus.

Hugo Lugdunensis Archiepiscopus Ecclesiam sancti Desiderii in Brixia.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis patris & filii & spiritus sancti. Noverint omnes sanctæ Dei Ecclesiæ filii præsentes scilicet & futuri quòd ego Hugo Dei gratia Lugdunensis Archiepiscopus dono Deo & sancto Petro & reverentissimo in Christo patri nostro domno Hugoni Cluniacensis Ecclesiæ Abbati & successoribus ejus fratribusque sub eorum ducatu militantibus Ecclesiam sancti Desiderii sitam in Brixia sub annuali censu trium solidorum, retentis paratis & synodè secundùm antiquum morem aliarum Ecclesiarum episcopatus nostri, & capellam de Reorterio, cum Ecclesia *An.* 1094.

sancti Pauli infra castri ipsius munitionem sita, cum appendiciis ejus, sub annuali censu quinque solidorum; cujus medietas solvetur in festivitate sancti Martini, medietas verò in purificatione sanctæ Mariæ. Hæc itaque salva subjectione sanctæ Lugdunensis Ecclesiæ do Ecclesiæ Cluniacensi per manum dilectissimi in Christo fratris nostri Seguini ipsius domni Abbatis Camerarii jure perpetuo possidenda pro remedio animæ meæ & ut fratres Ecclesiæ Cluniacensis Deum deprecentur pro excessibus meis & pro statu Ecclesiæ Lugdunensis necnon & pro salute omnium Canonicorum & consanguineorum nostrorum. Facta est autem donatio hæc Lugduni in præsentia Gerini Capellani nostri & Hugonis nepotis nostri & Godonis Archipresbyteri Canonicorum & Girardi Archipresbyteri. Ut autem hæc donatio firma permaneat, sigillo proprio subterfirmavi. Actum Lugduni anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo nonagesimo quarto, indictione II. concurrente V. Ego Hugo Divionensis Ecclesiæ monachus vice Cancellarii scripsi & subscripsi.

De adventu Urbani Papæ II. ad monasterium Cluniacense.

An. 1095. ANNO ab incarnatione Domini millesimo XCV. donnus ac venerabilis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Papa Urbanus terminos Italiæ excedens, Gallias causa utilitatis sanctæ universalis Ecclesiæ venit. Et cùm pro erigendis Christianæ legis negotiis quasdam Ecclesias primùm visitasset, tandem ad locum optabilem ac præ ceteris sibi valde dilectum, ad Cluniacense videlicet devenit cœnobium, ubi quondam relicto canonicalis ordinis officio habitum sacræ religionis susceperat. Ubi cùm,

ut tali conveniebat personæ, cum magno honore & gaudio receptus fuisset, privilegia quæ dudum eidem loco fecerat apostolica auctoritate roboravit & confirmavit. Insuper etiam terminos quosdam ac limites longiusculè porrectos in circuitu ejusdem monasterii præfixit, & apostolicæ auctoritatis censura interdixit ut nullus omnino mortalium cujuslibet dignitatis seu conditionis infra eosdem terminos homicidium, prædam, rapinam, incendium, hominum captionem aliquo modo perpetrare auderet: Infractores verò hujus interdicti excommunicationis vinculo astrinxit quousque digna satisfactione pœnituissent. Et ut pleniùs vim dilectionis quam erga eundem locum possidebat ostenderet, in Concilio centum & eo ampliùs Episcoporum quod in Arvernensi Ecclesia ipso præsidente gestum est locum cum suis habitatoribus magnis extulit laudibus, &, utpote domum Dei, à cunctis reverendum ac veluti pupillam oculi sui, non solùm Episcopis qui aderant, sed etiam omnibus qui eidem interesse poterant conventui, custodiendum ac venerandum publicè ore proprio allegavit. Præterea rogatus à domno Hugone ipsius monasterii venerabili Abbate altare majus novæ basilicæ, astantibus plurimis Episcopis, monachis, clericis quoque, ac plebe innumerabili, in honore resurrectionis Domini nostri Jesu Christi & beatæ semper virginis Mariæ sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli ac protomartyris Stephani devotissimè consecravit VIII. Kal. Novembris, indictione IIII. & præcepit ut in ipso die eadem basilica oportuno tempore dedicaretur. Pro his itaque omnibus, necnon etiam & pro anteriori dilectionis familiaritate, postmodum multiplicibus beneficiorum exhibitionibus erga nos luce clariùs propalata, decretum est à supradicto patre nostro ut ejus memoria quandiu vixerit ad ge-

neralem Missam specialiter agatur, post obitum verò, exceptis his quæ illi pro communi nostræ fraternitatis professione debentur, tricenario scilicet, officiis, Missis, psalmis, atque elemosinis, anniversaria dies depositionis ipsius quotannis celebriter sicut pro Abbate hujus cœnobii recolatur resonantibus signis cum officio pleno & Missa ac XII. pauperum refectione.

Hugonis Abbatis concessio beneficiorum ordinis facta Alfonso Regi Hispaniarum.

Circa an. 1060. OMNIBUS fratribus ac filiis nostris in Cluniacensi cœnobio Deo in fide recta servientibus tam præsentibus quàm futuris frater Hugo Abbas cælestis regni præmia & æternæ felicitatis gaudia. Convenit, dilectissimi, ut sicut nos patrum nostrorum præcedentium instituta, etsi non ad plenum, tamen prout possumus fideliter observamus, ita etiam & vos ea quæ pro communi utilitate fieri decernimus & devotè suscipiatis & salubriter conservetis; quatinus & vobis meritum obedientiæ, & illis pro quibus talia præcipiuntur præmium sempiternæ salutis adcrescat: Notum itaqne sit fraternitati vestræ præcepisse nos de domno Alfonso Hispaniarum Rege nostro fideli amico, qui tanta ac talia bona nobis fecit & adhuc indesinenter facit ut neminem Regum vel Principum sive priscis seu modernis temporibus ei comparare possimus, quo scilicet in omnibus bonis quæ Deo largiente in nostro loco vel in aliis nostro juri subditis acta fuerint specialem habeat participationem tam in vita quàm post mortem. Præterea dedimus ei in vita sua unum psalmum, id est, *Exaudiat te Dominus*, ad horam tertiam sine intermissione canendum, & ad majorem Missam unam collectam, id est, *Quæsumus om-*

nipotens Deus, simili modo quandiu vixerit. Decrevimus quoque ut in die cœnæ Domini triginta pauperes pro eo mittantur ad mandatum, & in die sancto Paschæ centum nihilominus pauperes à Camerario pro eo reficiantur. Et super hæc omnia statuimus ut præbendam cotidianam habeat in refectorio ad majorem mensam, quasi si nobiscum epulaturus sederet, quæ uni pauperum Christi semper tribuatur pro salute animæ ejus tam in vita quàm in morte. Huic quoque mensuræ bonæ confertæ simul & coagitatæ superaffluentiam addere cupientes, dedimus ei in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli nova, quam ipse de propriis facultatibus construxisse videtur, unum altare de præcipuis, quo scilicet divina mysteria ibidem celebrata saluti ejus valeant suffragari. Cùm verò hujus temporalis vitæ cursum debito fine compleverit, exceptis officiis, Missis, atque elemosinis quæ pro illo agenda sunt, uno anno in supradicto altari Missa specialiter pro illo canatur. Anniversaria verò dies ipsius ita per omnia agatur sicut pro domno Heynrico Imperatore augusto. Ad vesperas scilicet, ad officium, & ad Missam omnia signa tangantur, tractum in cappis canatur, eadem Missa ad ejus altare decantetur, duodecim pauperes reficiantur, septem diebus justitia detur, excepta cotidiana præbenda quæ in majori mensa semper ponitur, abundans refectio à custode Ecclesiæ fratribus præparetur. In his autem omnibus quæ de illo vel pro illo agi decrevimus, in his inquam omnibus & Reginam ejus conjugem devotissimam fieri volumus participem, & insuper duodecim pauperes ei in cœna Domini concessimus, & anniversarium ejus sicut Imperatricis Agnetis agi censuimus.

Donum Alonis Cancellarii Regis Alfonsi.

Circa an. 1060. NOTUM sit universis nostræ congregationis fratribus quòd domnus Alo confrater noster & beatæ memoriæ Regis Hildefonsi Cancellarius pro suorum remissione peccatorum comparavit in sancto Ypolito quasdam possessiones bonas, vineam scilicet Umberti Ungri, alteramque illi contiguam quæ fuit Walterii de sancto Ypolito, & duas contaminas quæ fuerunt Humberti de Borbo, & boscum de Maio. Et dedit pro his omnibus centum uncias auri. Quapropter domnus Poncius venerabilis Abbas hujus loci cùm voluntate & consilio totius conventus constituit quatinus anniversaria dies obitus ipsius Alonis annuatim apud nos fideliter jure perpetuo celebretur cum officio & Missa generali. Constitutum quoque est ut ipsa die plenaria refectio toto conventui in refectorio præbeatur de pane & vino solito melioribus & de bonis piscibus, si ullo modo potuerint inveniri. Quòd si fortè reperiri non potuerint, in loco piscium quod melius poterit inveniri fratribus exhibeatur. Hæc autem omnia diligenter provideat Decanus de sancto Ypolito, dè ipsa videlicet obedientia, & de possessionibus ejusdem. Et quandiu ipse vixerit fiat prædicta refectio in die exceptionis beati Marcelli Papæ Nonas Septembris. Post obitum verò ipsius transeat ad diem anniversarii.

Eracleus Episcopus & Bernardus Comes monasterium beati Felicis & sancti Licerii.

An.1064. EGO Eraclius Dei gratia Bigorrensis Ecclesiæ Episcopus & Bernardus Bigorrensis Comes desideramus & rogamus omnes Christi fideles tam fu-

turos quàm præsentes ut sint testes & fautores negotii quod in præsentiarum dicturi sumus. Ex hereditate parentum nostrorum devolutum est ad possessionem nostram monasterium in territorio Bigorrensi situm, quod est constructum in honore beati Felicis martyris & beati Licerii confessoris & Episcopi. In hoc ex multo tempore congregatio fuit monachorum. Sed pro peccatis nostris per incuriam nostram & aliarum personarum ad quarum curam & dispositionem idem monasterium pertinuit non ita valebat ibi regularis disciplina & ordo monasticus ut vel Deo placeret vel nobis ad salutem animarum nostrarum expediret. Visum est ergo nobis quærere consilium & auxilium domni Hugonis reverendi Abbatis & regentis illud reverendum collegium monachorum Cluniaco congregatorum. Per hujus loci Abbates cùm pleraque monasteria restaurata sint & meliorata, per karitatem, quæ, ut Apostolus ait, omnia sperat, affectavimus nos quoque simile beneficium eorum sanctitatis obtinere. Hujus rei gratia pro salute animarum nostrarum & parentum nostrorum facimus ipsius prædicti monasterii traditionem & omnium rerum ad hoc quolibet modo pertinentium Domino Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo ad locum cujus suprà meminimus Cluniacum, eo tenore ut Cluniacensis congregatio perpetuo jure illud habeat & possideat, & hujus congregationis Abba, videlicet Cluniacensis, secundo loco post se committat cui velit & quomodo velit curam monasterii, & hoc semper fiat sine omnium mortalium contradictione. Volumus quoque ut liberum sit & absolutum ab omni servitio & posteris nostris & cuilibet seculari vel ecclesiasticæ potestati. Et hoc sit manifestum & indubitatum quòd nostra est voluntas & nostra petitio ut hæc eadem nostra traditio per Romanum

Pontificem confirmetur, ut quicunque eam violare & infringere temptaverit, sciat se per ejus auctoritatem excommunicatum & à sancta Dei separatum Ecclesia. Hæc autem carta scripta est in ipso Bigorrensi castro & data XI. Kal. Decembris anno dominicæ incarnationis millesimo sexagesimo quarto, regni Philippi Regis Francorum quarto, indictione secunda. Signum domni Eraclii Bigorrensis Episcopi. Signum domni Bernardi Bigorrensis Comitis, qui hanc cartam dederunt. Signum domni Stephani Oloronensis Episcopi. Signum domni Durandi Tolosani Episcopi. Signum Gregorii Lacurrensis Episcopi. Signum Petri Aturrensis Episcopi. Signum domni Bernardi Dormaniacensis Comitis.

Almodis Comitissa & filius abbatiam sancti Ægidii & sibi pertinentia.

An.1066. DEUM patrem omnipotentem totius creaturæ creatorem ejusque unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, per quem omnia, & spiritum sanctum vivificantem ab utroque procedentem, unum Deum credere magnum est, operari autem quod præcipit non minimum, ipsum verò spernere periculosum. Quapropter eum fideliter credere, perfectè diligere, humiliter obedire est omnibus necesse. Præcipuè tamen illis convenit istud quos sacri lavit unda fluminis, redemit unda sanguinis, perunxit liquor chrismatis. Ad hoc enim facti sumus ut Deo fideliter servientes seminemus terrena ut metamus cœlestia, scriptura dicente: *Quæcunque seminaverit homo, hæc & metet.* Qualiter autem Deus inveniri possit ipse in evangelio ait: *Date elemosinam, & ecce munda sunt omnia vobis.* Quibus planè verbis ostenditur quia nihil eo miserius quem iniquæ adquisiones deprimunt, quem locupletem

locupletem fraudes & rapinæ faciunt. Et quoniam illæ nobis ambiendæ sunt divitiæ quæ nos ornare possunt & munire, à mundo disterminare, animas nostras ditare atque nobilitare, ideo in Dei nomine ego Almodis nutu Dei Comitissa, & filius meus Raimundus Comes Rutenensis & Nemosensis Narbonensiumque nobilissimus, pro Domni Pontii Comitis remedio, & pro remissione peccatorum nostrorum atque parentum vivorum ac defunctorum, atque salute fidelium nostrorum obtimatum, abbatiam sancti Ægidii & locum, omniaque sibi pertinentia Deo & domno Hugoni præsenti Abbati Cluniensi & ejus successoribus tradimus & donamus atque concedimus, ita tamen ut in prædicta abbatia in dominicatura quam ibi habemus & usus & usaticos retineamus, excepto quia neque Abbatem ne● monachos posthac distringemus neque dehonestabimus, sed potestas & districtio & ordinatio Abbatum & monachorum sancti Ægidii & eorum quæ soliti sunt tenere in domni Hugonis Abbatis & successorum ejus potestate consistat, quatinus ipse & successores ejus locum prædictum & omnia loca pertinentia pro posse suo & voluntate secundùm regulam sancti Benedicti regulariter ordinent & teneant in æternum. Ut verò nostri parentumque nostrorum memoria Cluniaco perenniter habeatur, hoc in dono abbatiæ prædictæ solummodo retinemus ut successores prædicti Abbatis à nobis vel à successoribus nostris donum prædictæ abbatiæ absque ullo lucro & pretio accipiant. Quòd si successores nostri successoribus domni Abbatis prædicti expeditè, ut diximus, dare noluerint, nihil Abbatibus obsistat, sed locum & omnia quæ prædiximus ipsis in Dei servitio possidentibus donum nostrum integrum inviolatumque perenniter maneat. Hoc autem omnibus notum sit locum prædic-

tum & abbatiam prædictam alodium esse sancti Petri, quæque dono domni Papæ Romani tenemus, quæque denuo prædicto Abbati Hugoni & ejus successoribus salva fidelitate Romanæ Ecclesiæ & domni Papæ tradimus perenniter habendam & regulariter ordinandam, ita tamen ut census X. solidorum debitus omnibus annis Romanæ Ecclesiæ persolvatur. Facta est autem hæc donatio anno MLXVI. dominicæ incarnationis, octavo X. Kal. Januarii juxta Nemausum civitatem secus Ecclesiam sancti Baudilii, regnante Philippo Rege Francorum, videntibus atque laudantibus Episcopis, scilicet domno Raimbaldo Arelatensi Archiepiscopo atque Romanæ Ecclesiæ vicario, & domno Durando Tolosano, & Hugone Uzeticensi, & Rostagno Avinionensi, Bertranno Magalonensi, Abbatibus Bernardo Massiliensi, Frotardo Tomeriensi, Bernardo Vabrensi, Petro clerico Romanæ Ecclesiæ Subdiacono, Nemosensibus clericis Salomone & Bertranno, Militibus Pontio Geraldi Gerundensi Vicecomite, Tridmundo Elisiarni, Willelmo & Emenone fratre ejus de Sabran, Petro Aquiniensi, Rostagno de Poskeriis & fratre ejus Rainone, Rainoardo de Medenis, Bertranno de Capraria & Petro fratre ejus, & Hugone de Kassanguis, & Segario Salomonis, ac Wilelmo Belliroti, Umberto Gauzberti, insuper volente & laudante nobili Adala Sustantionense Comitissa, & aliis quamplurimis bonis hominibus Deo cognitis. Si quis verò cujuslibet ordinis seu dignitatis contra hanc donationem venerit ad inrumpendum vel ad inquietandum aut contradicendum, omnipotentis Dei iram terribilem atque tremendam incurrat, atque cum Juda perfidissimo traditore & cum Dathan & Abiron in inferno inferiori crucietur, omnibus insuper pœnis quibus illi cruciantur qui rece-

dunt à Deo puniantur & illi & eorum consentanei qui huic donationi resistere voluerint, nisi resipuerint & ad emendationem venerint. Signum domnæ Almodis Comitissæ, & signum domni Raimundi Comitis filii ejus, qui hanc cartam donationis scribere jussimus & testes firmare rogavimus. S. Rostagni de Pœxeris. S. Adalberti Guitardi Barchinonensis. S. Berengerii de Barbarano. S. Elisiarii Dalmatii. S. Johannis Gerundensis Capiscolii. S. Bernardi Capellani sancti Ægidii. S. Rainardi Amati. S. Pontii de Nozeto. S. Fredelani Raimundi. Bernardus monachus Auxiensis scripsit jussus die annoque quo suprà. Datum per manus Henrici monachi ad vicem Cancellarii.

Anshelmus Archiepiscopus Ecclesiam sanctæ Mariæ de Calvenzano cum pertinentiis.

IN nomine filii Dei, qui est summa veritas. Anselmus sola Dei misericordia Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Convenit nostro Christiano moderamini pia religione ac benivola compassione alacri mente poscentium animis assensum impertire. Idcirco ad nostram auctoritatem pertinet cunctos nostræ Ecclesiæ filios paterno affectu diligere & optatæ pietatis opem non denegare. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud Deum omnium conditorem promeremur. Quapropter omnibus nostris fidelibus tam præsentibus quàm & futuris notum fieri volumus quòd nos in nostra Mediolanensi Ecclesia cum nostris Cardinalibus de nostrarum animarum salute disputantes, nostrorum fidelium, scilicet Arialdi & Lanfranci fratrum, ac Atonis eorum consanguinei de Meregnano imploratu, sanctæ Mariæ Ecclesiam de Calvenzano, quam ex nostra Ecclesia tenebant longo tempore, cum terra ac eo- *Circa An. 1100.*

rum ſcilicet Arialdi & Lanfranci proprii prædii decimis quas ad præſens conceſſerunt & omnibus bonis quæ nunc habet & in perpetuum adipiſci poterit, ſanctæ Cluniacenſi Eccleſiæ conceſſimus. Inſuper volumus & laudamus quòd ſi quis eorum heredum vel alius quilibet homo de Eccleſiis ſupra eorum prædium ædificatis vel ædificandis aut eorum decimis, eo inſpirante qui ubi vult ſpirat, prætaxatæ Eccleſiæ conferre voluerit, conferat cum Dei benedictione & hac noſtra conceſſione, eo ſcilicet ordine ut noſtra præfata Eccleſia de Calvenzano ammodo abſque penditio & conditione libera liberè Cluniacenſi cœnobio deſerviat & nullius alterius Eccleſiæ ditioni in aliquo per infinita ſecula ſubjaceat. Quòd ſi quis noſtrorum ſucceſſorum vel aliqua magna parvaque perſona huic noſtræ ſaluberrimæ conceſſioni contrarius extiterit, ſit anathema maranatha, non habeat partem cum illo qui pro nobis crucifixus eſt in Golgotha, donec reſipiſcens ad ſatisfactionem & congruam pœnitentiam venerit & ſanctæ Cluniacenſis Eccleſiæ Abbati & monachis qui pro tempore fuerint ſatisfecerit. Quod ut veriùs firmiùſque credatur & à noſtris poſteris firmum & inconvulſum in perpetuum habeatur, hanc præſentem paginam ad teſtimonium propria manu firmavimus & noſtro Heriprando Cancellario noſtro ſigillo, ut moris eſt, inſigniri juſſimus. †. Ego Anſelmus Dei gratia Archiepiſcopus ad confirmandum ſubſcripſi. Gothefredus Archipreſbyter ſubſcripſi. Ato Archidiaconus ſubſcripſi. Arnulfus Diaconus ſubſcripſi. Bonifacius Preſbyter ſubſcripſi. Tedaldus Diaconus ſubſcripſi. Albertus Preſbyter ſubſcripſi. Rozo Diaconus ſubſcripſi. Landulphus Preſbyter ſubſcripſi. Odelricus Preſbyter ſubſcripſi. Landulfus Diaconus ſubſcripſi. Gualbertus Diaconus ſubſcripſi. Aripran-

dus Cancellarius sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ subscripsi.

Donatio Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis de Ecclesia sancti Germani.

REVERENTISSIMO Patri Domino Hugoni Cluniensium Abbati & toti congregationi Cluniensi illi commissæ Hugo Lugdunensis Ecclesiæ servus salutem. Scimus nos rogatu domni P. Domini Papæ Camerarii Ecclesiam Artensem vobis & Ecclesiæ vestræ olim dedisse. Qua de causa filii nostri Canonici Lugdunensis Ecclesiæ turbati cœperunt instanter precari clementiam nostram ne præfatam Ecclesiam Artensem pateremur aliqua occasione alienari & separari ab Ecclesia sancti Stephani Lugdunensis, juris cujus ab antiquis temporibus fuerat. Quorum clamoribus ac precibus flexi promisimus jamdicto Domino P. pro Artensis Ecclesiæ commu- *An.* 1106. tatione nos daturos vobis Ecclesiam de sancto Germano, quæ sita est inter Ecclesiam de Capella & Ecclesiam de Marlico. Quam promissionem nunc perficientes concedimus vobis & Ecclesiæ Cluniensi supradictam Ecclesiam sancti Germani jure perpetuo possidendam, retinentes in ea synodales census & censum alium quem beatæ memoriæ domnus Gibuinus Archiepiscopus in illa imposuit, obedientiam quoque & reverentiam episcopalem sicut in ceteris Ecclesiis quas beato Petro concessimus. Signum Girini Decani. S. Teotardi Camerarii. S. Girini Capellani. S. Gauscerani Cantoris. S. Arnaldi magistri. S. Godonis Canonici & Archipresbyteri. Actum Lugduni anno incarnationis dominicæ MCVI. indictione XIII.

Varia acta pro loco de Amanzenas.

An. 1116. EGo Gerardus Engolismensis Episcopus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus præsentibus & futuris notum fieri volo quòd Bernardus Vicecomes de Cumborn & Abbas Usercensis cum quibusdam personis monasterii sui in curiam nostram venerunt pro controversia quam inter se habebant de quadam terra quam ipse Bernardus pro salute animæ suæ monachis Cluniacensibus dederat. Abbas autem Usercensis adversùs Bernardum & donum ab eo factum his utebatur rationibus, dicens quòd terra illa quam Bernardus ad ædificationem faciendam prædictis monachis dederat erat de alodio sancti Petri Usercensis, quod Oddo Comes de Marchia sancto Petro Usercensi dederat. Aliam insuper prætendebat rationem, dicens quòd Ecclesia Trainiacensis, in cujus parrochia illud ædificium fiebat, erat sancti Petri Usercensis jus, quam quidam Presbyter monasterio sancti Petri Usercensis donavit, & post aliquantum temporis Umbaudus Lemovicæ sedis Episcopus cum consilio Gausberti Archidiaconi & Bosonis Archipresbyteri eidem monasterio donavit. Ad donum verò Episcopi astruendum relationem ipsius doni cartam conscriptam protulerunt. Ad hæc prædictus Vicecomes Bernardus respondit, dicens quod terra illa nomine Amanzenas de alodio Comitis Marchiæ non erat, sed suum proprium alodium ab avis & proavis esse asserebat, quod in manu fratris nostri Eustorchii Lemovicensis Episcopi monachis Cluniacensibus ad ædificationem faciendam dederat. Quòd autem Umbaudus Lemovicensis Episcopus donum Ecclesiæ Trainiacensis eis fecisset se omninò ignorare dicebat. His itaque auditis utriusque partis rationibus, unà cum venera-

bilibus fratribus & coëpiscopis nostris Lemovicensi, Petragoricensi, Agennensi canonica auctoritate judicavimus quòd Bernardus prædictus Vicecomes Comiti Marchiæ, si ab eo impeteretur infra quadraginta dies ab eo die quo judicium factum est de alodio quod per donum Comitis Marchiæ Usercenses monachi optinere nitebantur, quantum exigeret ratio responderet. Et quia carta quam super dono Umbaldi Episcopi de Ecclesia Trainiacensi protulerant canonicam firmitatem non habebat, cum prædictis Episcopis judicavimus ut infra eosdem quadraginta dies duos legitimos testes producerent qui rationabiliter probarent se vidisse & audisse quòd præfatus Episcopus Trainiacensem Ecclesiam cum consilio prædicti Gausberti Archidiaconi & Bosonis Archipresbyteri monachis Usercensibus dedisset, interim verò monachi Cluniacenses terram illam quam Bernardus Vicecomes eis dederat quietè tenerent & ædificarent. Interfuerunt autem huic nostro judicio prædicti fratres Episcopi & assensum præbuerunt, Ildebertus, Geraldus, Lemovicenses Archidiaconi, Arnaldus Guillelmi, Guillelmus de Nanclars, Petragoricenses Archidiaconi, Gaufridus Agennensis Archidiaconus, Petrus Engolismensis Præcentor, Esdradus, Julianus, Raimundus Engolismenses Canonici, Helias de Gimello & Rennulfus de Garait Lemovicenses Archipresbyteri, & multi alii venerabiles clerici. Et ut hoc nostrum judicium firmius & certius habeatur & teneatur, propria manu nostra subscripsimus & sigillo nostro muniri fecimus. Ego Girardus Engolismensis Episcopus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus subscripsi. Actum est autem hoc judicium in Petragoricensi episcopatu, castello quod Ixidolium vocatur, anno incarnati verbi MCXVI. indictione VIII. regnante Lodovico Rege Francorum.

An. 1116. EGO Mauricius Abbas Solumniacensis universis sanctæ Ecclesiæ filiis præsentibus scilicet & futuris notum fieri volo quòd Bernardus Vicecomes de Conborn dedit Ventiodorensi monasterio & monachis Cluniacensibus in ipso monasterio Deo servientibus & successoribus eorum quandam silvam quæ Amanzenas appellatur ut eam quietè & inconcusse perpetuò possiderent & in ipsa silva Ecclesiam seu monasterium ædificarent. Hoc autem donum fecit ipse Bernardus consilio & assensu Domini nostri Eustorgii Lemovicensis Episcopi & clericorum suorum me præsente, qui suscepit donum prædictæ silvæ ad opus Ventiodorensis monasterii de manu Bernardi, & Philippus Prior ejusdem monasterii suscepit illud donum de manu Episcopi. Et quia prædicta silva in parrechiis Ecclesiarum sancti Hilarii de las Corbas & sancti Martini de Trainaco & Ecclesiæ de Camberet sita est, quæ sunt de jure monasterii nostri, quas etiam Bernardus Vicecomes de nobis habet & antecessores sui de nostris habuerunt, nos religionis intuitu & reverentia Cluniacensis Ecclesiæ inducti quicquid de jure nostro & Ecclesiarum monasterio nostro pertinentium intra fines prænominatæ silvæ continebatur, totum ex integro Ventiodorensi monasterio & fratribus ibidem Deo servientibus donavimus & ut in perpetuum pacificè & tranquillè possiderent & ibi Ecclesiam seu monasterium ædificarent concessimus. Præterea donavimus sæpedicto Ventiodorensi monasterio Ecclesiam sancti Martini de Trainiaco cum omnibus ad eam pertinentibus, videlicet decimis, primitiis, sepulturis, & oblationibus, & capellis, necnon etiam cum aliis possessionibus & beneficiis & possessionibus ad altare ejusdem Ecclesiæ pertinentibus, ut ea de fevalibus adquirant, & adqui-

sita auctoritate & concessione nostra & fratrum nostrorum sine intermissione possideant. Hæc itaque dona consilio venerabilium fratrum nostrorum Petri Prioris nostri & Præpositi nomine Petri de Cevena & Bernardi Præpositi sanctæ Crucis & Bernardi Præpositi sanctæ Faustæ de Brivazac & communi consilio aliorum monachorum nostrorum solemniter in Capitulo nostro fecimus, quæ suscepit de manu nostra Philippus Ventiodorensis monasterii Prior. Et ut hæc dona fideliter ei & suis successoribus illibata conserventur, ego Mauricius Abbas & omnes fratres nostri qui in ipso Capitulo aderant ipsi Philippo osculum pacis præbuimus. Interfuerunt autem huic donationi atque concessioni Stephanus de Rivo Chaucidos, Petrus de Nobiliaco, Geraldus Lemovicis, Gaufredus de Vijano, Guautelmus de Cevena, Bernardus de Brivazac, Ugo de Cella Sollempniacenses monachi. Cum Philippo Priore præsentes adfuerunt Ugo de Lavarzino, Johannes Capellanus de Petrabuferia, Aimericus de Sollempniaco Diaconus. Petrus Montolis famulus ipsius Philippi, Petrus Andreæ famulus Ugonis de Lavarzino, & tota congregatio Sollempniacensium fratrum. Ut autem hæc donatio atque concessio firma semper & illibata permaneat, præsentem cartam propria subscripsione subter firmavimus & nostro sigillo muniri fecimus. Facta est autem hæc carta Solumniaci anno incarnati verbi millesimo centesimo decimo sexto, indictione nona, tempore Domini nostri Papæ Paschalis, regnante Lodovico Rege Francorum, X V. Kal. Maii. Ego Mauricius Abbas Sollempniacensis propria manu subscripsi. Ego Petrus Præpositus Sollempniacensis propria manu subscripsi. Ego Gaucelmus Sollempniacensis Elemosinarius subscripsi. Ego Bernardus Sollempniacensis Cellerarius subscripsi.

An. 1116. GERARDUS Engolismensis Episcopus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus Pontio eximio & meritò venerabili Cluniacensi Abbati & fratribus sibi à Deo commissis eorumque successoribus in perpetuum. Ex relatione dilecti filii nostri Philippi Ventiodorensis cellæ Prioris & ex lectione cartarum pro certo cognovimus ipsum cum dilectis fratribus Mauricio Sollemniacensi Abbate & Capitulo Sollemniacensi sollemniter concordiam fecisse de Ecclesia sancti Martini de Trainiaco & omnibus ad eam pertinentibus & de silva quæ Amanzenas vocatur, vobisque & vestris successoribus jus quod Sollemniacense monasterium in prædicta Ecclesia atque in silva donatione principum & concessione Lemovicensium Episcoporum habebat seu antiquitùs habuerat donasse atque in perpetuum concessisse. Et quia nos apostolicæ sedis sollicitudinem gerimus & concordiam monasteriorum & religiosorum locorum diligere debemus, prædictam donationem atque concessionem laudamus atque apostolicæ sedis auctoritate confirmamus, ut deinceps & vos vestrique successores quietè & pacificè perpetuò habeatis atque possideatis. Et ut hæc nostra concessio seu confirmatio firmior & certior permaneat, propria manu nostra subscripsimus & sigillo nostro muniri fecimus. Ego Girardus Engolismensis Episcopus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus subscripsi. Datum Engolismæ anno incarnati verbi MCXVI. indictione VIIII. regnante Lodovico Rege Francorum.

An. 1116. UNIVERSIS præsentibus & futuris notum fieri volumus quòd ego Bernardus Vicecomes & Archenbaldus filius meus Deo & beato Petro Apostolorum principi & Cluniacensi Ecclesiæ

pro salute animarum nostrarum dedimus boscum qui Amanzenas nominatur. Hunc autem boscum ità dedimus ut Ventodorense monasterium ipsum semper quietè & inconcussè in perpetuum habeat atque possideat. Boscum siquidem à nobis Cluniacensi Ecclesiæ & Ventodorensi monasterio datum ex una parte terminat via quæ extenditur à Pauliaco usque ad Culturas, & ex altera parte via quæ descendit à Culturis usque ad Cooz. Quicquid verò intra prædictas vias continetur, quod ego & filius meus Archembaldus in dominio habebamus, in dominio Cluniacensis Ecclesia & Ventodorense monasterium integrè possideat. Pari quoque tenore concessimus ut quicquid in prædicto bosco quilibet fevales de nobis habebant à monachis Ventodorensibus haberent. Quod autem jam dederant vel daturi erant Cluniacensibus fratribus illud totum concessimus, & ut Ventodorenses monachi sine interruptione possiderent auctorizavimus. Quicquid itaque infra præscriptas vias habetur, de quocunque manso, de quacunque bordaria sit, Cluniacensibus fratribus & Ventodorensi monasterio à nobis donatum esse nullus fidelium dubitet. Hæc omnia fecimus consilio & assensu Domini nostri Eustorgii Episcopi Lemovicensis & clericorum suorum apud Tutelense cœnobium. Postea verò eadem dona fecimus apud Ventodorum in manu patris nostri Domni Poncii venerabilis Cluniacensis Abbatis. Donationi apud Tutelense cœnobium factæ interfuerunt Eustorgius Lemovicensis Episcopus, Ebalus Abbas Tutelensis, Mauricius Abbas Solemniacensis, Geraldus Abbas Bellilocensis, Aimericus de Jovignac Archidiaconus, Helias de Gimel Archipresbyter, Rannulfus de Garric, Philippus Prior, Ademarus monachus, & alii complures tam clerici quàm laici. Donationi verò apud Ventodorum

factæ in manu Domni Poncii Abbatis Cluniacensis interfuerunt Amblardus Abbas Lemovicensis, Philippus Prior, Ademarus monachus, Helias de Gimello, Ugo de Lavarzino, & multi alii. Factum est autem primum donum apud Tutelam anno incarnati verbi MCXVI. indictione VIIII. Secundum autem donum apud Ventodorum actum est anno incarnati verbi MCXVII. indictione VIIII. Domno Paschali Papa catholicam Ecclesiam gubernante, Lodovico Rege Francorum regente, Leodegario Archiepiscopo Bituricensi Ecclesiæ præsidente.

Notitia de controversia quæ erat inter Abbatem Usercensem & Priorem Ventedornensem propter locum de Manzenas.

An. 1116. NOTUM sit omnibus tam præsentibus quàm futuris quoniam inter Abbatem Usercensem & Philippum monachum Cluniacensem, qui eo tempore obedientiam tenebat juxta castellum Ventedorn, orta est controversia super quandam possessionem, ex utraque parte taliter habita. Cùm apud Tutelense cœnobium Episcopus Lemovicensis esset, & Bernardus Vicecomes terram quam dicebat sui juris esse, quæ modò novo nomine vocatur Manzenas, pro anima sua Philippo & loco Cluniacensi vellet dare, fortè monachus Usercensis Geraldus & Archidiaconus ejus terræ hoc audientes, qui ad conventum Episcopi convenerant, canonicè calumniati sunt in præsentia Eustorgii Episcopi & * G. Tutelensis Abbatis & Archipresbyteri Heliæ & multorum tam clericorum quàm laicorum. Dicebant enim Comitem de Marchia hanc terram monachis Usercensibus donasse in manu Geraldi Abbatis, itemque hanc terram infra terminos esse

Bernardus Vicecomes Comborcensis.

* *Leg.* Eboli. *Vide suprà pag.* 486.

parrochiæ de Trainiaco, quam Ecclesiam eisdem concesserat Humbaldus Episcopus sub manu ipsius Abbatis, testimonio monachorum, qui hoc postea multis in locis testati sunt in præsentia plurimorum temporibus & causis aut poscentibus. Præterea hanc donationem quam Odo fecerat fecit Comitissa Adalmodis & ejus filius Boso Odonis successor. Et dum postea super hoc eodemque negotio placitum ageretur, venire voluerunt ut testimonium perhiberent si Bernardus Vicecomes auctorem & securitatem eis præberet. Et in illo loco hujus placiti idem modò super donum Humbaldi Episcopi testimonium proferre præsto fuerunt. Dumque adhuc ceterisque partibus reclamantibus Episcopus diem causæ definiendæ dedisset, Philippus se Legato præsentans dixit quia rectum in hoc fuerat consuetum & ab Abbate Solemniacensi eam terram impetraverat, quam sibi idem Abbas alodum suum asserebat, quibusdam cartis fraudulenter compositis & mendaciter scriptis. Quæ falsitas prudentiam Eustorgii Episcopi latere non potuit, qui & scriptorem falsitatis & cartam mendosam & donaria super hoc facta & promissa diligenter inquisivit & cognovit. Legatus verò Philippi verbis adquiescens Episcopo Eustorgio sub sigillo scriptum adsignavit ut quietè terram illam quam Philippus injustè petebat dimitteret & concederet. Cùmque Episcopus utrisque partibus, ut diximus, reclamantibus judicium facere canonicum laboraret, Philippus verò fortè hoc tale scriptum Episcopo præsentavit. Quod Episcopus admirans & stupens legit conquerens super Philippo, qui & ante inceptum judicium scripta Domni Legati reddere distulerat & sine suo assensu furtim ad Legatum concurrerat. Sicque Episcopus ira commotus de loco judicii surrexit. Abbas tamen Aldebertus Usercæ & Archidiaconus A. eandem

Geraldus Episcopus Engolismensis.

quam priùs calumniam facere non destiterunt. Interea de his penè omnibus quæ suprà retulimus in manu Domni Legati fuit placitum apud Exidolium, in quo affuit Domnus Eustorgius Episcopus cum suis Canonicis & Abbas Usercæ cum monachis necnon Ademarus Vicecomes Lemovicæ civitatis cum suis Baronibus. Utrarumque causarum rationibus canonicè perspectis, scilicet de Ecclesia aliisque terris, & legitimo facto judicio, duobusque modis prolato, atque Philippo scriptis commisso ut intra sexaginta dierum numerum fuisset expletum. Omnia verò hæc monachi Usercenses parati fuerunt exequi, & testes vivos adhibuerunt, qui donum Ecclesiæ viderunt & audierunt & Marchiæ Comitem, qui sua dona vel avunculi testificatus est & adhuc testificatur, adduxerunt. Super hæc autem omnia quæ diximus adhuc Philippus & Ademarus monachi Ventederni sancti Petri Usercensis terram injustè possident & inibi Ecclesiam ædificant & in cimiterio ejusdem Ecclesiæ, quod ipsi malè signaverunt, mortuos homines mandant. Præterea Bernardus Vicecomes, monente Ademaro de Laubiis, indixit Domno G. Episcopo ad sanctum Marcellum de supradictis causis; in quo placito Abbas Usercæ in suis testibus affuit. Ademarus Laubiis verò fuit, sed dedignatus huic negotio nullum responsum reddidit.

De Abbatis Usercæ ac Philippi placito quod inter se habebant de Manzanas & de ceteris donis sit notum omnibus quòd ita fuit determinatum apud Exidolium in Domni Legati præsentia cæterorumque Baronum legitimis judicibus ut quantum alodi sancti Petri Usercensis intra parrechiam Trainiaci & Chambaret atque sancti Hilarii de las Corbas terminos Abbas haberet ac veris testibus potuerit

approbare, jure perpetuo possedisset & de injustitia quam pertulerat rectum accepisset. De Ecclesiis verò, si antè quàm Philippus in ea parrechia habitasset Usercenses Abbates de eisdem Ecclesiis dona ab Episcopis legitimè accepissent & investituram inde habuissent, nullo modo Philippus vel alius pro eo divinum officium inibi percelebrassent. Post aliquantum verò temporis affuit Domnus Poncius Abbas Cluniacensis apud Loberciacum; ibique humiliter conventus Geraldi Prioris Usercensis ac Ademari Vicecomitis voce super injustitia Philippi ac Ademari Laubiæ de personatis querimoniis, eosque inibi vocavit, & manus eorum in manu memorati Prioris posuit, eisque obedienter præcepit quatinus judicium quod Domnus Legatus de supradictis rebus Exidolio fecit Usercensium monachis exequantur.

Praceptum Regis Karoli Simplicis pro monasterio Solemniacensi.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Ego Karolus gratia Dei Rex considerans molem meorum peccaminum & Dominum dicentem, *Date elemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis*, & operemur *bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, dum tempus habemus.* Quamobrem condolens volo compati, quia ait Apostolus *si compatimur, & conregnabimus*, Ecclesiæ Solempniaci, quam beatus Elegius Noviomensis Episcopus jussu nostri prædecessoris, videlicet incliti Dagoberti Regis, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ & Apostolorum Petri & Pauli & martyrum Dionysii atque Pancratii & sanctorum confessorum...... atque Medardi omniumque sanctorum mirabiliter construxit atque adornavit. Hoc tale tantumque cœnobium dum *An. 924.*

Deo favente...... ferè ducentis & X. annis religione polleret, supervenere Normanni, igne combusserunt, & funditus destruxerunt. Quam destructionem graviter ferens, quoniam debeo gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus, mea copia istius jamdicti monasterii volo sit... ..... reædificare & construere cum officinis & omni supellectili jubeo, & de meis reditibus.......... monachorum inibi Deo famulantium condono, videlicet Ecclesiam sancti Martini de Aneta cum XL. mansis, Ecclesiam sancti Juliani de Cella cum XII. mansis, Ecclesiam sancti Hilarii de Corbas cum XV. mansis, Ecclesiam sancti Martini de Trainiaco cum VIIII. mansis, Ecclesiam sancti Galli cum X. mansis, Ecclesiam sancti Clementis cum XXX. mansis, Ecclesiam sancti Maxentii cum V. mansis, Ecclesiam sancti Germani cum XV. mansis, Ecclesiam sancti Vincentii de Bar cum VIII. mansis, Ecclesiam sancti Boniti cum V. mansis, Ecclesiam de Carstau cum tribus mansis, Ecclesiam sancti Saturnini de Perpeziaco cum XX. mansis, Ecclesiam de Colsorn cum VII. mansis, Ecclesiam de septem piris cum XXIIII. mansis, Ecclesiam sancti Pardulfi de Suisiaco cum XI. mansis, Ecclesiam sancti Saturnini de Glandom cum XII. mansis. De istis quasdam alii monasterio ante me dederant. Omnes verò has ego regia dignitate cum sibi adjacentiis concedo. Et ut firmiter in perpetuum maneat, impressione anuli mei consigno. Signum Karoli gloriosissimi Regis. Gamonocatius ad vicem Regis recognovit. Datum XV. Kal. Augusti anno XXXIII. regnante Karolo gloriosissimo Rege, & in successione Lotharii quarto anno. Actum apud Lemovicas civitate, adstante & consentiente Turpione Episcopo in Dei nomine feliciter. Amen.

Concessio

Concessio quam Pontius Abbas Cluniacensis fecit Bernardo Archiepiscopo Toletano.

NOTUM sit universæ congregationi hujus venerabilis cœnobii tam præsentium quàm futurorum præcepisse domnum Pontium hujus monasterii reverendum Abbatem de domno Bernardo Toletano Archiepiscopo ut post obitum ipsius tricenarius Missarum illi à fratribus studiosè persolvatur, resonantibus signis, cum officio pleno & Missa generali. Refectionem verò quam facit Decanus de Galliniaco in vigilia beati Mathæi post obitum ipsius faciat in die anniversarii ejus.

Alia concessio facta Eskilo Archiepiscopo Lundensi.

NOVERINT universi quòd totus conventus hujus Ecclesiæ concessit illustri viro domno Esquilo Lundensi Archiepiscopo, quæ est totius Daciæ metropolis, post obitum ejus tantundem per omnia beneficiorum quantum persolvitur uni ex fratribus Cluniacensibus tam in Cluniaco quàm in omnibus locis ejus. Fuit enim hujus loci magnus amator.

Statuta Pontii Abbatis Cluniacensis.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Noverint omnes fratres & filii sancti Cluniacensis cœnobii præsentes & futuri quia ego frater Pontius peccator Abbas indignè vocatus perpendens qualiter beatus Odilo sancto dictante spiritu omnium fidelium defunctorum generalem statuerit memoriam, qualiterque pius antecessor noster domnus Hugo Abbas fratrum suo tempore defunc-

torum per aliquot annos celebraverit anniversarium, primo anno nostræ ordinationis communi decrevi consilio & in Capitulo Cluniacensi coram omnibus per præsentem paginam confirmavi ut cunctorum fratrum atque sororum congregationis nostræ ab ipsius loci fundatione defunctorum deinceps in vigilia sanctorum omnium universalis memoria sollempniter recolatur. Quod idcirco maximè in vigilia sanctorum omnium constituimus, quia illa generalis cunctorum fidelium defunctorum commemoratio statim secutura est, rectumque nobis videtur ut priùs nostrorum specialis recordatio pio inter nos agatur affectu, sicque postmodum & pro nostris & pro omnibus fidelibus defunctis universalis intercessio subsequatur. Hac etiam de causa ut idem omnes sancti & electi Dei, quorum festivitas prævenitur & honoratur, isto fraternæ pietatis officio divinæ majestati eorundem fratrum animas sua sancta interventione commendare dignentur. Hanc igitur memoriam tali tenore præcepimus observari ut non solùm Cluniaci, verùm etiam in cunctis abbatiis nostris, prioratibus, atque cellis, nunc & quandiu Cluniacense cœnobium in sancta religione perstiterit, annuatim in eodem die sollempne officium cum Missa secundùm locorum fratrumque convenientiam devotè peragatur, fratresque omnes juxta ordinem suum, prout Deus unicuique gratiam dederit, Missas psalmosque fratribus suis defunctis hilariter persolvant, quatinus per ignorantiam vel negligentiam defunctis per annum fratribus redditum non fuerit, totum ad laudem Dei recompensetur. Quod ut devotiùs complere satagant, adjunximus huic misericordiæ parentes & consanguineos defunctos omnium fratrum nostrorum, orantes ut Deus omnipotens horum & ceterorum bonorum congregationis nostræ parti-

cipes eos faciat. Prima verò pro fratribus oratio dicatur, *Deus veniæ largitor*, secunda pro sororibus, *Quæsumus Domine*, tertia pro parentibus, *Inclina Domine.* Quando autem vigilia acciderit die dominica, fiat hæc defunctorum fratrum celebritas præcedenti sabbato sive feria sexta. Ad cujus etiam institutionis beneficium dignum fore duximus ut sicut divinæ majestati pro defunctorum requie pia repræsentabitur intercessio, ita etiam vivis tam ad corporum quàm animarum salutem fraterna impendatur misericordia. Statuimus igitur ut ego per me quoad vixero nostrique per secula successores die illo, vigilia scilicet omnium sanctorum, generalem conventui Cluniacensi in omnibus refectionem de nostro amministremus, dieque subsequenti, festivitate videlicet sanctorum omnium, pro unoquoque fratrum qui Cluniaci tunc præsentes fuerint, tres pauperes pane & carne reficiamus. Quòd si festivitas sexta acciderit feria, fiat ipsa pauperum refectio de pane & carne sabbato sequenti vel dominica. Quam itidem pauperum refectionem per omnia loca nostra fieri mandamus, ut scilicet Abbates vel Priores seu Decani diligenter provideant qualiter pro singulis fratribus quos secum in locis suis habuerint tribus pauperibus refectio secundùm temporis & loci oportunitatem exhibeatur. Cujus misericordiæ constitutio non illis gravis videatur, quam Christus Jesus, qui se ipsum pro nostra dedit salute, hoc à nobis quasi proprium exigit, ut si eum placabilem habere volumus, in pauperibus & egenis illum reficiamus. Locus etiam noster semper Deo miserante bonis sanctorum patrum institutionibus crevit in melius, Ipsi denique fratres & ad spirituale & ad temporale officium promptiores erunt atque devotiores, cùm recogitaverint tantam sibi misericordiam annuatim quasi

ex debito persolvendam. Unde & magna erit caritas, si Abbates vel Priores atque Decani sub hac generali memoria aliquam die illo fratribus suis specialem exhibuerint refectionem, quatinus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Agatur igitur diei hujus memoria, sicut diximus, in psalmis, Missis, orationibus, & elemosinis; ut Deo annuente, cunctisque intercedentibus sanctis, & vivi ad beatum finem pervenire & defuncti æternis gaudiis perfrui mereantur, mihique peccatori in hac injuncta obedientia virtus detur & gratia, nobisque omnibus in magni judicii die inter sanctos defunctos misericordia concedatur. Amen.

Indulgentia data Ecclesiis Cluniacensibus Italiæ à Petro Abbate Cluniacensi.

An. 1154. IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo quinquagesimo quarto, tertio die mensis Maii, indictione secunda. Quoniam qui alicui sedi præsidet, sibi & suis subditis diligenter prævidere oportet. Infirmantibus enim membris, non convalescit caput. Ideoque ego Petrus Dei gratia sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ, communicato consilio, cunctis Ecclesiis nostræ ditioni subditis per universam Italiam constitutis remittimus atque perdonando statuimus quatenus nec nobis nec alicui nostro successori neque alicui nostræ congregationis personæ ab hinc usque ad duodecim annos circam vel aliquid exactionis in prædictis Ecclesiis facere liceat præter nostram nostrorumque nunciorum procurationem & annualem censum, quem nobis debent colligere Prior Pontidensis & Prior Cremonensis. Quod etiam ideo disponimus, quia præfatæ Ecclesiæ trecentas libras denariorum Me-

diolanensium veterum, quatuordecim libras, & quinque solidos minùs persolverunt, quos in Longobardiæ partibus debebamus. Si quis autem nostræ congregationis contra hoc nostri statuti præceptum insurgere vel infringere præsumpserit, nullo modo prænominatæ Ecclesiæ eum recipiant, neque illi aliquid impendant. Quod ut veriùs credatur & diligenter ab omnibus observetur atque in Dei nomine proniorem obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus & sigilli nostri impressione insigniri atque à quibusdam de majoribus confratribus subscribi præcipimus. Actum in Ticinensi civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

Ego Petrus Cluniacensis Abbas subscripsi.
Ego Arnaldus Aureliacensis Abbas subscripsi.
Ego Petrus olim Prior Silviniacensis subscripsi.
Ego Eravizus Camerarius domni Abbatis subscripsi.
Ego Balchius Prior Gaiæ subscripsi.
Interfuerunt Symeon Sagunen, Rufinus filius Georgii Sartoris, Laprandus de Rubonibus, Guilielmus Januensis, Jacobus Castaneus, Frasso, testes.

Ego Mignonus Notarius sacri palatii interfui, & rogatus à prædicto domno Petro Abbate hoc statutum scripsi.

Epistola Prioris Argonensis ad Petrum Abbatem Cluniacensem.

SANCTISSIMO Patri domno P. venerabili Abbati G. Argonensis cœnobii Prior simul cum omnibus suis fratribus humillimam in Christo obedientiam. Quia divina opitulante clementia, Pater egregie, sanctarum cogitationum immissionibus

fovemini, ex affluenti sinu vestræ misericordiæ ac pietatis cotidie, non solùm spiritaliter, sed etiam corporaliter educari flagitamus. De domo itaque Quintianensis cœnobii vestræ jocunditati notificare quod verum est, succinctè tamen, non incongruum duximus. Obtemperando utique caritativæ doctrinæ in exordio fratrem nostrum Gisilbertum ibi direximus: qui, Deo favente, licèt cum multo sudore, quasi ex nihilo in tantum laboravit ut apud Cluniacum honestus famulatus potest haberi. Quique ibi Deo & vobis obediendo à quodam laico apud Domnum Rolandum in multis accusatus est, ex quibus aliquid veritatis nihil adhuc experti sumus, quem Domnus Rolandus apud cœnobio sancti Pauli præcepit morari. Sed ille frater sub occasione consiliandi de hac re cum Priore sancti Gabrielis absque licentia Cremonam ivit; à qua citò reversus, regulariter susceptus est. Ex vestro autem præcepto Pontidensis Prior in artam custodiam suscepit ad ferendam lanternam. Igitur, misericordissime Pater, ego & omnes fratres nostri, quia dimittendo seculum apud nos monasticum habitum suscepit, ad pedes vestros prostrati, supplicando vestram clementiam postulamus quatenus, eum absolvendo, ad nostrum redire faciatis claustrum. In quo Pontidensis Prior minimè gravatur. Valete.

Statuta Capituli generalis Yvonis secundi edita in Capitulo generali Cluniacensi celebrato anno Domini MCCLXX. sexto.

An. 1276. SACRI canones ad id visitationis officium inter cetera statuerunt ut religionis sanctitas, fraternitatis unitas, morum honestas, & locorum tam in spiritualibus quàm temporalibus honor & com-

moditas, prout ad Dei honorem & laudem expedit, conserventur, & quæ circa hoc correctionis & reformationis bono indigent justè corrigantur & debitè reformentur, ad quæ nos toto cordis & mentis desiderio intendentes, prout commisso à Deo nobis incumbit officio, quædam prædecessorum nostrorum statuta recitatione salubri recitamus, adjicientes aliqua quæ correctioni & reformationi prædictorum cognovimus opportuna. Ad hæc autem illius à quo bona cuncta procedunt, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, quo rectore & duce nostra regatur intentio & ducatur, indeficiens patrocinium invocantes, statuimus, immo ad ipsius omnipotentis gloriam & honorem à sanctis patribus recitamus statutum, quòd beati Benedicti regula & Capituli generalis statuta custodiantur ab omnibus sicut decet. Quæ statuta in singulis domibus conventualibus haberi præcipimus, & singulorum mensium Kalendis, & quando visitatores nostri inibi visitabunt, distinctè & intelligibiliter recitari, ne prætextu ignorantiæ ab eorum observatione se quisquam valeat excusare. Prædictum verò præceptum nostrum Prior loci, si præsens in Capitulo fuerit, aut qui Priore absente Capitulo præsidebit, faciat sub pœna excommunicationis executioni mandari. Eorum autem statutorum aliqua, quorum quædam, quia frequenter & alia vehementer propter eorum inobservantiam ordinem nostrum, personas ipsius & loca, vituperant, dehonestant, damnificant, & conturbant, duximus specialiter exprimenda, ut omnes ordinis nostri personæ eorum transgressionem curiosissimè fugere studeant & cavere.

Conspirationis damnata malignitas, quæ ad rebellandum auctores suos animat, ad nocendum elevat, ad sæviendum armat, & excitat ad perden-

dum, tantò est fortiùs & graviùs castiganda quantò ad malignandum ardentiùs est parata. Idcirco canones huic malitiæ obviantes conspiratores infames constituunt, ad honores non promovendos sanciunt, & promotos deponendos decernunt. Nos autem contra prædictos & contra omnes qui contra matrices Ecclesias præstant patrocinium, aut favendo conspiratoribus in hac parte brachium invocant seculare, pœnas canonis antedictas, articulo depositionis abjecto, pœnæ illius statuti quod ipso facto excommunicationis vinculo tales ligat adicimus. Illos quoque qui contra Abbates, Priores, Supriores, socios in ordine, seu circuitores, qui pro regulari observantia & excessuum correctione invigilant & laborant, conspirare præsumunt, pœnis prædictis statuimus subjacere ac corporalibus castigationibus gravissimè castigari, & ad prioratus vel administrationes nullo tempore assumantur, nec quisquam de eorum progenie usque ad quartum gradum recipiatur in monachum vel conversum nisi suis magnis meritis exigentibus & ex causa evidentissima per Abbatem Cluniacensem & de consilio & expresso assensu Diffinitorum Capituli generalis fuerit cum talibus misericorditer dispensatum.

Fictionis deceptionem, per quam nonnulli monachi debita falsa fingunt & vera celare præsumunt, & se probant vitio mendacii, per quod mortale committitur, irretitos, & reddunt de dilapidatione suspectos, ex qua frequenter damna & gravamina subsecuntur, prædecessores nostri statuerunt meritò puniendam, præcipientes ut tales tanquam fures & latrones ab omnibus habeantur. Scientes verò qui, dum commodè potuerint, non manifestaverint ei qui prodesse possit, non obesse, & cujus intererit, egredientium septa monasterii sine licentia & fugitivorum pœna multentur.

Quod ſtatutum præcipimus firmiter obſervari.

Nonnulli religioſi venenum gerentes ſub labiis, linguæ ſuæ veneno fratres inficiunt, dum eos apud ſeculares diffamare præſumunt. Quæ diffamationes non ſolùm fratrum honeſtatem ſauciant, ſed & religionis munditiam maculant, & erga ſanctitatem illius fidelium refrigeſcere faciunt caritatem. Huic morbo prædeceſſores noſtri remedium adhibere curantes providè ſtatuerunt ut diffamatores hujuſmodi crimen quod objecerint non probantes, criminis pœna qua alios affici deſiderant puniantur. Nos verò ad hoc remedium ampliandum huic ſtatuto adjungimus ſtatuendo ut tales, quos canones raptoribus pejores aſſerunt & pœnis judicant corporalibus affligendos, ſemel in menſe uſque ad annum continuum gravi diſciplinæ ſubdantur, plus & pluries nihilominus puniendi ſecundùm quod culpæ qualitas graviùs ſuaſerit faciendum.

Religioſos omnes à ludo condecet cohiberi, quia ludi temeritas divinum officium, cui religioſi permaximè tenentur inſiſtere, impediens non minimum religioni ponit offendiculum, & ipſius multum detrahit honeſtati. Propterea prædeceſſores noſtri prudenter curaverunt ſtatuere contra tales ut luſores monachi cum taxillis ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrant, & nihilominus graviſſimè per quinque dies ſint in cuſtodia vel lanterna quouſque fuerint abſoluti. Si autem locus non conventualis fuerit, ſecunda feria, quarta, & ſexta proximò ſequentibus in pane & aqua jejunent. Cujus ſtatuti ſententiam tanquam ſalubrem atque juſtam præcipimus obſervari.

Quia Judæorum doloſa malitia, quæ Chriſtianorum & maximè religioſorum ſimplicitatem ſemper opprimere & gravare deſiderat, intendens obſequium præſtare altiſſimo ſi in Chriſtianæ innocentiæ

sævire valeat nocumenta, ab omnibus Christi fidem profitentibus, maximè religiosis, multa debet caveri cautela ne cum illis negotiari habeant, propter quod sint ab eis illorum colloquia vel consortia frequentanda. Unde nos rationabile prædecessorum nostrorum statutum quòd nullus nostri ordinis sub pœna excommunicationis jam latæ & administrationis amissione mutuum à Judæo recipiat, innovamus, illud districtè præcipientes firmiter observari.

Avaritiæ cœcitas usum rationis obnubilans sic sensum quorundam Priorum obtenebrat ut non videant quid decens, quid expediens, quid honestum. Nam sunt eorum nonnulli penes se aut penes alios dormientem pecuniam vel jacentem habentes, domos quibus præsunt damnosis atque onerosis sustinent obligationibus subjacere, ob quas vel occasione pactionis usurariæ vel retributionis coactæ domos ipsas oportet de magna vel majori bonorum suorum parte tributorias creditoribus suis esse. Unde accidit quòd ibidem degentibus monachis vix necessaria etiam tenuissimè ministrantur, & possessiones domorum interdum non sine damno gravissimo distrahuntur. Et quoniam expedit ut talibus indemnitatibus occurratur, statuimus ut nisi tales infra annum domos quibus præsunt à suis obligationibus liberaverint in toto vel in parte, prout sibi possibile fuerit, excommunicationis vinculo sint ligati.

Sunt nonnulli monachi, non in magnitudine meriti, sed generis, confidentes, & alii spem suam in hominibus, non in Deo, ponentes, sibi domos & administrationes per Regum, Principum, Baronum, & aliorum magnatum secularium preces petunt vel procurant transmitti. Unde & fit quòd dum preces illorum repulsam, & meritò, patiuntur,

Reges, Principes, & Barones contra nos aut superiores alios commoventur. Quod dicti monachi sentientes faciliùs prorumpunt in audaciam rebellandi. Verùm cùm talia sint pœnæ adjectione non immeritò exhibenda, statutum prædecessorum nostrorum, quod illas administrationes seu prioratus taliter petitos & alios usque ad annum prohibet obtinere, usque ad quinquennium extendi statuimus & præcipimus observari.

Ad prohibendam in locis nostri ordinis mulierum conversationem de nocte maximè non securam statuimus districtè præcipientes ut suspectæ mulieres in locis non conventualibus quibus degunt monachi cujuscunque officii causa de nocte non jaceant nec morentur.

Monachorum transitus absque Cluniacensis Abbatis licentia ultra Alpes vel etiam ultra mare religioni nostræ multa frequenter incommoditatum genera tam spiritualiter quàm temporaliter paravit temporibus retroactis. Et quia præterita cavere instruunt de futuris, prædictis incommoditatibus est cum omni curiositate & diligentia occurrendum. Igitur ad illius statuti quod monachis per excommunicationis sententiam jam latam hujusmodi transitum interdicit observantiam pleniorem præcipiendo adicimus ut talibus nulla omnino sustentatio seu provisio nullumque subsidium ministretur, idemque transitus transeuntem ab administratione, si qua sibi commissa est, amoveat, & reddat mansione privatum.

Visitationis officium, quod in locis nostri ordinis annis singulis exercetur, ideò est introductum ut observantia regularis servetur, excessuum temeritas corrigatur, & morum deformitas reformetur. Sed quoniam munera, quæ veritatem subvertunt & justitiam impediunt, visitatores interdum debitum

non ſinunt exercere officium in non modicum animarum periculum & ingentem læſionem locorum, ſtatuimus ut viſitatores à locis vel perſonis quæ viſitaverint, aut in quibus ſe offert viſitatio facienda, nihil in auro vel argento ſeu pecunia ſive in aliis rebus, quæ meritò accipientis animum poſſint ſubvertere à ſemitis æquitatis, recipiant præter moderatas expenſas. Alioquin dantes & recipientes ipſo facto excommunicationis vinculo ſint ligati, recipienteſque totum quod receperint Abbati Cluniacenſi reſtituere teneantur.

Receptorum in monachos multitudo ſic Eccleſiam Cluniacenſem, prioratus & domos ordinis reddit graviter oneratos quòd indigent in hac parte proviſione celeri & ſuccurſu. Idcircò ſtatuimus ut Priores noſtri ordinis, de Caritate, de Lewis, & de ſancto Martino Prioribus duntaxat exceptis, quemcunque in monachum citra triennium abſque Abbatis Cluniacenſis licentia recipere non præſumant. Alioquin contra hoc ſtatutum recepti ab ordine expellantur, & receptores ad Cluniacenſis Abbatis arbitrium puniantur.

Depoſita de bonis ordinis noſtri facta à nonnullis Prioribus, monachis, aliiſve perſonis ipſius ordinis penes ſeculares alteriuſve religionis perſonas prædicto ordini noſtro inæſtimabilia intuliſſe certum eſt detrimenta. Propter quod hujuſmodi depoſita de cetero fieri diſtrictè & diſtrictiùs prohibemus, & facta infra ſex menſes à tempore hujus ſtatuti præcipimus in virtute obedientiæ penitùs retractari. Qui autem hujus prohibitionis & præcepti noſtri tranſgreſſores extiterint, ſententiam excommunicationis, quam ex nunc in eos & in ſcriptis ferimus, ipſo facto incurrant. Et ſi quis in fine ſuo ſuper hoc inventus fuerit culpabilis ſeu reus, ſtatuimus ut eccleſiaſtica careat ſepultura. Quòd ſi

post sepulturam ipsius in notitiam venerit, ejus corpus vel ossa exhumentur & proiciantur extra cimiterium vel quemcunque alium locum sacrum. Proprietarios quoque monachos & conversos pœnis in omnibus & per omnia supradictis statuimus subjacere. Et ne cui habendi proprium occasio tribuatur, fratribus omnibus & singulis necessaria competenter, secundùm quod locorum suppetunt facultates, præcipimus cum omni diligentia ministrari.

Jurisprudentia utiliter providere, attenta honestati hominum & saluti, ac malitiis eorum desiderans obviare, alienationes factas causa mutandi judicii, quas radix omnium malorum cupiditas in esse produxit, omnibus interdicit, eò quòd non lucri honesti commoditas, sed iniquæ prædæ voracitas, commercium hujusmodi comitetur. Quod interdictum nonnulli religiosi magnæ cupiditatis vitio irretiti accipientes ut vacuum seu vanum, in suam & suæ religionis ignominiam actiones & lites judiciales emere non verentur, ut sub umbra justi tituli, quem sibi emptiones hujusmodi non tribuunt, per injustæ vexationis vehementiam suæ cupiditatis exerceant & assequantur rapinam. Cùm igitur talis contractus, quem infamia sequitur, scandalum pariat, salutem animarum interimat, & totaliter religionem honestatis abiciat & repellat, ab eo personas ordinis nostri quascunque sub prioratus vel administrationis alterius cujuslibet amissione præcipimus abstinere.

Litterarum apostolicæ sedis abusus injuriosè quamplures in expensis damnificat ac injustis laboribus opprimit & fatigat. Propter quod sanctio canonica abusorum malitiam certa pœna cohibet & castigat: Unde ne assensum præbere abusoribus videamur, & sic pœnam in nos canonis sentiamus, in

virtute obedientiæ præcipimus quatenus nullus Prior, obedientiarius, monachus, aliave dicti ordinis nostri persona literas dictæ sedis, maximè si nostro & conventus nostri Cluniacensis nomine fuerint impetratæ, extendat ad res vel personas ad quas tenor literarum ipsarum eas extendi non patitur aut permittit.

Quoniam usura, in religiosis maximè, Deo & hominibus abominabile est vitium & peccatum, pignorationes rerum quæ hiis fiunt de quorum res ipsæ feudo non existunt, nec earum fructus computant in sortem, personas ordinis nostri quaslibet recipere, eò quòd in se usurariam contineant pravitatem, districtiùs inhibemus. Si quis autem contra præsumpserit, prioratum seu administrationem amittat, & ceteras pœnas contra usurarios editas patiatur.

Furti maculam criminis religiosos aliquos irretentis nonnulli prædecessorum nostrorum considerantes religionis puritatem atque munditiam maculare, sanctè & providè statuerunt quoscunque ordinis nostri confessos publicè vel convictos de hujusmodi crimine fore perpetuò carcerandos. Nos autem statutum ipsum justum & salubre innovantes, ad ejusdem criminis turpitudinem curiosiùs fugiendam adicimus tales pœnæ statuti illius absque ulla remissione, quam sibi dicti criminis immanitas denegat, subjacere.

Theologica scientia vitia fugere, imitari virtutes, & animarum desiderare salutem exhortans, est ab omnibus religiosis maximè summis desideriis appetenda. Idcirco nos, quibus nil carius nilque desiderabilius animarum salute, desiderantes in hac parte hiis quorum curam gerimus, prout ad nostrum spectat officium, providere, de consilio Diffinitorum nostri Capituli generalis statuimus ut

nulla omnino ordinis nostri persona de cetero degens scolaris Parisius, ubi theologiæ studium vigete & florere dinoscitur, in quavis scientia studeat, nisi tantùm in theologica facultate & logica, quæ ad illam scientiam viam parat.

Statuta Yvonis secundi in Anglia edita apud Bermondeseyam in Capitulo provinciali inibi celebrato anno Domini MCCLXX. septimo in festo P. ad vincula.

BONÆ memoriæ Yvonis prædecessoris nostri statutum, per quod Priorum nostri ordinis, eorum maximè de Anglia, vagationes & exteriores discursus, mora ultra sex menses in transmarinis partibus, & regressus in Angliam, nisi primùm colloquio cum Abbate Cluniacensi habito, prohibentur, eò quòd talia non necessitate, sed voluntate, immo temeritate potiùs attemptata in Dei & hominum offensam veniant, ordinis honestatem minuant, animarum salutem interimant, & bona ordinis temporalia inutiliter dissipent & consumant, præcipimus firmiter observari, adicientes ad ejusdem statuti declarationem & observantiam pleniorem ut nullus Priorum nostri ordinis de dicto regno nisi de Abbatis Cluniacensis aut alterius superioris mandato, seu pro suo ad generale Capitulum nostrum adventu, aliave de causa manifesta, quæ & legitima evidentissimè videatur, transfretare præsumat; sicque transfretans diligenter cavere studeat ne circa moræ spatium aut regressionis modum in prædicto diffinita statuto inveniatur transgressor. Si quis autem contra præmissum statutum & nostrum præceptum quicquam attemptaverit, ab omnibus habeatur inobediens & rebellis. *An.1277.*

Statutum prædecessoris prædicti sub attestatione divini judicii & pœna sententiæ excommunicationis latæ prohibens ne quis Prior, administrator, obedientiarius, vel monachus, aut conventus nostri ordinis pro quacunque sæculari ecclesiasticave persona alia fide jubeat, aut sigillum suum vel thesaurum Ecclesiæ obligare præsumat, districtè & districtiùs in virtute obedientiæ præcipimus inviolabiliter observari. Et quoniam fidejussiones & obligationes prædictæ ad desolationem locorum ordinis nimiam veniunt, ultra pœnas prædictas ad ejusdem observantiam statuti majorem adicimus statuendo quòd qui contra statutum ipsum quicquam attemptare præsumpserit, Prior prioratu sibi commisso, administrator administratione, obedientiarius obedientia seu quocunque officio tanquam inobedientes & rebelles ac dilapidatores notorii sine spe restitutionis perpetuò sint privati, alios prioratus, administrationes, seu obedientias nullatenus habituri. Monachus prædictis consentiens in provincia illa nullam de cetero habeat mansionem. Et conventus qui instrumentis seu literis super talibus confectis sigillum suum apponi consenserit, sigillo careat, nec deinceps sigillo proprio possit uti. Alienationes quoque de bonis ordinis immobilibus, redditibus, seu juribus quas sine necessitate monasteriorum urgente aut magna utilitate eorum evidentissima & sine superioris licentia aut assensu factas jura statuunt non valere, necnon concessiones de bailliviis, præposituris, majoriis, decaniis, & consimilibus officiis ad loca nostri ordinis spectantibus perpetuò fieri prohibemus. Qui autem contra fecerint, tam alienatores quàm concessores prædictos ac eis in hac parte assensum præbentes, pœnis prædictis statuimus subjacere.

Quoniam nonnulli obedientiarii & monachi nostri

nostri ordinis administrationum sibi commissarum amissionis & mansionum suarum mutationis timore in fidejussionibus, obligationibus, alienationibus, & concessionibus supradicto statuto pleniùs declaratis Priorum suorum interdum consentiunt voluntati, ne parendo eidem statuto Priorum suorum offensam super se inveniant provocatam & nequiter perrumpere in vindictam, aut non parendo statuti sentiant in se pœnam, sicque sibi paretur laqueus hinc & inde, in virtute obedientiæ prohibemus ne occasione cujusquam contradictionis aut dissensus in dictis obligationibus, alienationibus, & concessionibus quisquam Priorum obedientiarios super sibi commissis administrationibus aut monachos supersuis mansionibus infestet aliquatenus vel molestet, nec in aliis duriùs eos tractet. Alioquin pœnas contra inobedientes & rebelles editas sine remissione quacunque noverit se passurum.

Cùm Priores in non subjectis sibi locis nullam coercendi aut quomodolibet ordinandi habeant potestatem, certum est eos ad loca illa non posse quemquam suum commonachum mittere moraturum. Unde tales monachorum indebitas missiones omnino sine Cluniacensis Abbatis vel alterius superioris auctoritate fieri prohibemus quæ si forsitan fiant, eum qui mittetur præcipimus non admitti, & eum qui misit pro injusta commonachi sui vexatione statuimus fore graviter puniendum, quòdque Priores auctoritate propria gratiam sibi invicem facere non valeant in hac parte.

Quanto quis elegit jugum Domini indissolubile firmiùs sibi jungi, tanto in domo Domini meretur ampliùs honorari. Hinc est quòd statuimus fratres ordinem nostrum professos in administrationum commissionibus præferri ceteris non professis.

Fugitivorum & aliorum quorundam nostri or-

dinis audacia non tam temeraria quàm insanis personas & bona nostri ordinis & alia invadere & rapere non veretur, invasorum incurrens infamiam & raptorum. Quorum temeritati cùm non sit aliquatenus indulgendum, statuimus ut tales absque cujusquam sententiæ excommunicationis incursu ab omnibus capiantur & in carcere recludantur quousque Cluniacensi Abbati vel ejus certo mandato reddantur secundùm quantitatem & qualitatem delicti debitè puniendi.

Cùm canones defectum in natalibus patientes non sinant ad ordines vel ecclesiastica beneficia promoveri, & legitimæ sanctiones talibus successionis commodum interdicant, nos eos qui paterna de facili scelera imitantur & aliorum frequenter bonos mores corrumpunt prohibemus sine Abbatis Cluniacensis licentia de cetero in nostri ordinis monachos recipi vel conversos, ex nuncque recipiendi tales omnibus ordinis nostri Prioribus adimimus potestatem. Si qui verò contra hoc statutum reperti fuerint receptores, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, & recepti pro monachis aut conversis minimè habeantur, sibique habitu nostræ religionis amoto, à fratrum consortio & locis ordinis expellantur.

Cùm pœna actores suos tenere debeat, & publicæ utilitatis intersit ne crimina remaneant impunita, pœna justè criminosis inflicta non videtur sine juris injuria remittenda. Cùm igitur juris præcepta servari debeant illibata, statuimus ut persona nostri ordinis pro crimine de loco in locum morandi causa translata ad locum à quo translata est nullo tempore redeat moratura: quæ si alia fuerit pœna multata, nulla pœnæ illius remissio sibi fiat, maximè in alterius juris offensam dicentis facilitatem venia incentivum tribuere delinquendi. Hoc

autem non solùm de transferendis intelligi volumus vel multandis, sed de jam translatis etiam & multatis. Quod statutum in virtute obedientiæ præcipimus firmiter observari.

Quia venditiones, adcensationes, vel firma in fraudem de redditibus seu bonis nostri ordinis ad pluralitatem annorum sive ad non modicum tempus factæ locis ordinis gravissimum inferunt detrimentum, statuimus ut nullus Prior, administrator, vel obedientiarius quicunque nisi de anno in annum vendere, adcensare, seu ad firmam tradere audeat vel præsumat. Quòd si tanta loci evidens necessitas aut utilitas manifesta aliter suaserit faciendum, annis singulis non nisi pro rata anni die tota quantitate pretii contingente aliquid exigatur quomodolibet aut levatur. Et si sic ad loci vel administrationis necessitatem tollendam vel commodum procurandum non sufficiat, venditionis, adcensationis, & firmæ hujusmodi pretium majore parte conventus, si locus conventualis fuerit, vel omnibus fratribus, si non fuerit conventualis, scientibus, ita quòd super hoc possint perhibere testimonium veritati, in ipsius necessitatis vel utilitatis exigentiam totaliter convertatur. In eum verò qui contra fecerit ex nunc in scriptis excommunicationis sententiam promulgamus.

Epistola Simonis Presbyteri Cardinalis tituli sanctæ Albinæ ad conventum Cluniacensem.

VENERABILIBUS & carissimis Dominis sociis & amicis & fratribus nostris domno Stephano Priori claustrali sacroque conventui Cluniacensi frater S. tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis salutem & vobis usque ad mortem in æternum obedire. De manu Domini sumo prospera, nunc adversa suscipimus; & expedit in illis *An.* 1295.

nos cautelam, & in istis patientiam observare. De casu adverso qui tamen contigit mens vestra non excitat. Nam die Mercurii præcedente festum beati Michaelis venerabilis & pius Pater & Dominus noster Abbas Cluniacensis in urbe Romana diem clausit extremum. Quo rumore ad nos Anagniæ perlato, sine mora aliqua Dominum nostrum Papam adivimus, qui cum multa compassione defunctum absolvit, & supplicavimus quòd vobis suo sacro conventui permitteret, sicut hactenus fuit, liberam eligendi facultatem. Et cùm essent sex Cardinales præsentes, allegata fuit consuetudo curiæ de prælaturis & officiis, præbendis & dignitatibus cedentium & decedentium in curia. Qua consuetudine non obstante voluit & vult & expressit vos habere liberam electionis factionem, nobis injungens expresè hoc vobis ex parte ipsius nuntiare & ex parte ipsius vos hortari in Domino de bona deliberare persona, quasi comminando ordini si familiaritate vel patria secus, quod absit contingeret attemptari. Datum Anagniæ III. Kal. Octobris.

Nota quomodo Cluniacenses occupaverunt locum sancti Martialis.

An. 1063. NOTUM esse volumus cunctis hominibus quoniam beati Martialis Lemovicensis monasterium ab eodem sanctissimo patre ea libertate quam & ipse à Domino Jesu Christo acceperat in initio dispositum, & in eadem ab ipsius successoribus confirmatum, usque ad tempus sexti Abbatis Cluniacensis sancti Hugonis absque omni jugo omniumque mortalium subditione liberum semper & absolutum permansit. Quam libertatem Ludovicus etiam Francorum Rex, &, quod præcipuum

est, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Leo Papa beati Petri Apostolorum principis suique vice confirmans, sui etiam auctoritate privilegii integram inconvulsamque sub anathemate permanere præcepit. Qualiter autem hoc monasterium tam liberali præditum auctoritate à Cluniacensibus occupatum sit, qualiterve qui Deo sanctoque Martiali famulabantur exinde ejecerint, in subsequentibus elucebit. Præsidente quippe Lemovicensibus Ademaro Vicecomite, erat in Lemovicensi castro quidam Miles nomine Petrus Escauserius. Hic cùm Abbati Cluniacensi Hugoni nomine familiaris existeret, Ademaro Lemovicensi Vicecomiti ut monasterium beati Martialis Cluniacensibus traderet sæpissime persuadebat. At Vicecomes propter Abbatem Mainardum, qui eidem monasterio præerat, hoc difficillimum esse cognoscens petitioni illius minimè acquiescebat. Interea dum Petrus prædictus hæc sæpius sæpiusque Vicecomiti persuaderet, contigit supradictum Abbatem Mainardum præsentis vitæ adimplere terminum. Quod ipse Petrus ut cognovit, Vicecomitem audaciùs aggrediens hoc quod ipse rogaverat in promptu esse testatur. Quod etiam facere ne moraretur præstantissimum sibi equum nomine Milíscuts ab Abbate Cluniacensi, addito magno auri pondere, dari spopondit. Sicque Vicecomes excœcatus tam equi quàm auri cupiditate quod petebatur facturum sese promisit. Defuncto, ut dictum est, Abbate Mainardo, prædictus Escauserius, pacto cum Vicecomite venditionis conventu, nuntios Cluniacum transmisit; indeque Abbatem Hugonem cum pluribus monachis Lemovicam perducans eos in Ecclesiam sancti Michaelis, quæ juxta curiam Vicecomitis sita est, furtim recepit. Postea autem, hoc est tertio Nonas Augusti, qua die beati Stephani celebratur inven-

tio, parans Vicecomes cœptum patrare opus, beati Martialis claustrum adiit, omnesque monachos advocari præcipit. Congregatis igitur omnibus, cum eis capitulum est ingressus, & quasi fideliter de eorum communi salute pertractans, ut sibi Abbatem eligerent præcipit. Illi verò ex majoribus suis, hoc est Gaufredum de Niolio, Guidonem cognomente Pautam, simulque Geraldum grammaticum, viros genere, litteris, & sanctitate præclaros in medium deducentes unum ex ipsis cum ejusdem Vicecomitis consilio sibi præficere voluerunt. Illis verò de hoc tractantibus, Vicecomes nihil penitùs respondebat, sed declinem vultum gerens, eos loquentes auscultans, hoc quod facturus erat in corde volvebat. Illo verò ita reticente, unus ex supradictis, Gaufridus scilicet de Niolio, cognito jam Cluniacensium adventu, tale fertur dedisse responsum. Non ignoramus, ait, Cluniacenses consensu vestro ut nos de monasterio nostro ejiciant advenisse. Utrum tamen fiat pro quo venerint nescimus. Tunc Vicecomes furore accensus eundem qui hoc dixerat per pannos arripiens vi aggressus est eum à claustro simul & à monasterio expellere. Videntes autem cæteri eum quem præcipuum inter se habebant ita duci, ac verentes Vicecomitem & milites qui cum eo erant, timore perculsi quò quisque potuit aufugerunt, remanentibus tamen infantibus ac juvenibus, quot & postea Abbas ipse, timens ne aliquis ibi remaneret qui ei suisque quandoque noceret, per monasteria sua quasi captivos transmisit. Expulsis itaque à monasterio suo, ut dictum est, monachis, Abbatem Cluniacensem ab Ecclesia sancti Michaelis, ubi morabatur, Vicecomes advocari præcipit. Quo veniente, parvi ex suis monachis, qui jam cum Vicecomite advenerant, exierunt contra eum in

suis froccis foras per cimiterium quasi cum processione eum recipientes. Sicque vi laica violentaque præsumptione naturales monachos expellentes, contra jus, contra fas, contra bonum, contra sanctos canones, contra Apostolicorum decreta, contraque omnem rectitudinem ecclesiasticam vi sua utentes, jus postponentes, aliis ex adverso reclamantibus ei sic sic monasterium tradentes, ipsum Abbatem in sede beati Martialis imposuerunt. Ita se res habet. Sed ne oblivioni tradidisse videar, postquam Cluniacenses monasterium hoc acceperunt, prædictæ libertatis sigilla in eo reperientes comminuerunt. Actum est hoc anno gratiæ MLXIII.

Ex chronico Gaufredi Prioris Vosiensis.

Anno Domini MLXIII. Nonis Augusti invaserunt locum sancti Martialis Cluniacensis per fraudem Ademari filii Guidonis Vicecomitis & Petri Escaussarii, qui pro hoc dedit eidem Vicecomitis equum optimum qui appellabatur Milescuts.

Ademarus Vicecomes Lemovicensis & Humberga ejus uxor donant abbatiam sancti Martialis Hugoni Abbati Cluniacensi.

NOVERINT omnes sanctæ matris Ecclesiæ filii ac fideles, tam præsentis quàm futuri temporis quòd ego Ademarus Vicecomes Lemovicensis domno Hugoni Abbati Cluniacensis monasterii omnibusque successoribus ejus Abbatibus qui idem monasterium Cluniacense regulariter gubernabunt dono & trado abbatiam sancti Martialis Lemovicensis cum consensu & auctoritate domni Iterii ejusdem civitatis Episcopi Canonicorumque ejus necnon & conjugis meæ Umbergæ filiorum- *An.* 1062.

que meorum & obtimatum ob indulgentiam peccatorum nostrorum & parentum nostrorum, & maximè eorum quæ de eadem abbatia contraximus, consentientes monachos ibidem degentes non secundùm regulam sancti Benedicti vivere, & animarum regimen symoniacè ementibus Abbatibus vendentes. Quam hæresim cùm ab initio nascentis Ecclesiæ beatus Petrus Apostolorum princeps in ipso suo capite extinxerit, nuper tamen sanctus Leo Papa & omnes deinceps ejus successores perpetuo anathemate damnaverunt Pœnitens igitur præteritorum excessuum meorum, & confidens ejusdem Abbatis successorumque ejus industria eandem abbatiam sancti Martialis ad regularem tramitem posse reduci, & detestabilem hæresim symoniacam Deo adjuvante funditus expelli, dono & trado prædictam abbatiam prædicto Hugoni Abbati omnibusque successoribus ejus Abbatibus regulariter viventibus deinceps perpetuò possidendam, & Abbates quos eidem loco tam ipse quàm successores ejus præfecerint, si, quod absit, pro mala conversatione removendi fuerint, ipse & successores ejus submoveant eos, & meliores substituant absque contradictione ullius hominis, nihil in eadem abbatia neque ego neque successores mei retinendo, exceptis his consuetudinibus, cc. solidis ad vindemiam colligendam in festivitate sancti Aredii reddendis & sagmario in hostem præstando cum famulo: qui sagmarius hoste transacta monasterio reddatur, & uno recepto Comitis Pictavensis per jussionem Vicecomitis, & justitia panis & vini, cùm in hanc villam venerit. Eo tenore ut hanc donationem & traditionem omnes successores mei confirment & hanc cartam laudent & auctorizent, & hæc traditio nostra, ut stabilis & inconcussa permaneat, apostolica auctoritate fir-

metur. Quòd si ego aut successorum meorum aliquis hanc traditionem infringere aut contradicere voluerit, iram Dei omnipotentis & anathema perpetuum incurrat, & præfatus Hugo Abbas & successores ejus apud ejusdem civitatis Episcopum & omnes Christianos & præcipuè apud apostolicam sedem habeat potestatem reclamandi.

Facta est autem hæc traditio in urbe eadem Lemovicensi anno incarnationis dominicæ MLXII. indictione XV. regnante Philippo Francorum Rege anno II. Cujus traditionis confirmatores & consignatores & testes hii sunt. In primis Iterius Episcopus signavit. Ademarus Vicecomes signavit cum quatuor filiis suis, & uxor ejus Umberga.

Charta sancti Martialis Lemovicensis de electione Abbatis.

NOTUM sit omnibus Christi fidelibus tam præsentibus quàm futuris quia dum bonæ memoriæ domnus Ademarus Abbas Lemovicensis obisset, orta est dissensio de electione Abbatis. Sed veniens domnus ac venerabilis Pontius Cluniacensis Abbas, sedato tumultu monachorum ac burgensium, qui auctoritate Ademari nobilissimi Vicecomitis maximè fuerat exortus, prædictum Vicecomitem ex hoc convenit. Qui ejus redargutionem, ut erat vir sapiens, benignè suscipiens, in Capitulo coram omnibus ipsam electionem omnino guerpivit vel dimisit unà cum filio suo Guidone. Quod & Abbates qui præsentes aderant & ejusdem cœnobii fratres fecerunt, & se in voluntate & dispositione domni Pontii Abbatis ex toto commiserunt. Supradictus etiam Vicecomes Ademarus confirmavit in manu domni Pontii Abbatis donum quod pater ejus Ademarus de monasterio *An.* 1114.

fecerat, ut neque ipse neque filii ejus neque aliquis ex propinquis vel successoribus ipsius futuris temporibus ullo modo ipsam electionem requirerent vel inde se intromitterent, sed sicut auctoritate apostolica decretum est, & maximè Urbani Papæ, in potestate & arbitrio atque ordinatione Abbatum Cluniacensium tam electio Abbatis quàm dispositio ejusdem cœnobii sancti Martialis per cuncta sibi succedentia tempora permanerent. Quo facto, Abbatem eis prudentissimum virum domnum Bernardum olim Camerarium tunc autem Cluniacensem Priorem, constituit; in cujus electione & ordinatione omnes pariter una voce acclamaverunt. Acta sunt hæc apud Lemovicas publicè anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo CXIIII. indictione VII. epacta XII. Non. Octobris. Testes autem fuerunt hi, Rainaldus Abbas Vosiensis, Stephanus Abbas sancti Augustini, Ademarus Abbas sancti Sori, Eldebertus Decanus sedis Lemovicensis cum omni Capitulo. Laici autem fuerunt Amelius de Camboras, Geraldus & Gulferius frater ejus de Turribus, Bernardus de Vivinals, & Aimericus, Bernardus frater ejus, Theodardus vicarius. Regnante Ludovico Rege Francorum, præsidente in sede Lemovicensi Eustorgio Pontifice.

Narratio de Hugone de Bruccia Abbate sancti Martialis Lemovicensis.

An. 1216. VIGESIMUS sextus Abbas fuit Hugo de Bruccia. Præfuit annis quatuordecim & sex mensibus. In cœna Domini in morbum incidit; à quo cùm sanare non posset per annum, vergebat istud cœnobium in detrimentum, cùm nec ipse illud gubernare sufficeret, nec à fratribus mo-

nitus regimini resignare vellet illud. Contigit illis diebus, quando Johannes Rex Anglorum castrum de Axia accepit, quòd quidam monachus nomine Alermus prædicti Regis pœnitentiarius ad nos veniens societatem nostram in capitulo obtinuit. Statim ad abbatiam adipiscendam anhelare se recepit. Secundo anno, mense Augusto visitavit hunc locum quidam Legatus natione Anglicus Robertus de Corso populos admonens cruces facere ad terram Jerusalem liberandam. Unde Dominus Hugo Abbas ei placere gestiens crucem suscepit, & Episcopus Lemovicensis similiter. Deinde Legatus perpendens Abbatem esse insufficientem, cùm alium apostolica auctoritate ad placitum suum in ejus loco vellet inthronizare, cœpit rogare conventum in capitulo ut tam Abbas quàm monachi hujus loci ordinationem in eum ponerent. Quod Abbas, quasi de ipso bene confidens, acquievit. Sed conventus ei nullo modo in hoc acquiescere noluit. Qui cùm à nobis recessisset, & sexaginta libras de Tornis ab Abbate nostro pro munere suscepisset, & eum confirmasset in Abbatem, post duos menses iterum mandavit tam Abbati quàm majoribus istius loci ut in festo sancti Dionysii à Peiteus ei occurrerent: Quod cùm fecissent, ex insperato Abbatem deposuit, & monachis appellantibus Alermum supradictum Abbatem eis nominavit, quem postea Episcopo Engolismensi benedicere fecit, nullo de monachis nostris consentiente. Cùmque hoc ad aures nostras pervenisset, omnes simul in unum congregati affirmavimus nos hunc Alermum pro Abbate nullo modo suscipere nisi per Dominum Papam coacti. Tunc mandantes Præpositos & Priores nostros, diem electionis assignantes Dominica infra octavas sancti Martini, more antiquo electio facta est de Petro

Lagrisa tunc Præposito de Roxa, qui tunc erat Diaconus, quem statim Johannes Episcopus Lemovicensis confirmavit, sed benedictionem ei dare distulit. Cùmque generalis synodus Romæ in anno sequenti immineret, Alermus illuc perrexit. Sed Petrus electus noster infirmitate detentus pro se nuntios misit; qui Domino Papæ nihil obtulerunt, sed sex mille solidos inutiliter expenderunt. Cùmque post epiphaniam Dominus Papa Innocentius III. causam nostram audisset, extemplo electionem nostram cassavit, & nos privilegio eligendi privavit, insuper Johannem Episcopum vehementer increpavit quòd talem electionem confirmasset. Post duos menses dedit commissionem Episcopo Petragoricensi, Decano Engolismensi, & Archidiacono Xantonensi ut ad hanc Ecclesiam personaliter accedentes præfatum Alermum, si possent probare fore idoneum, Abbatem præficerent, & nos ad exhibendam ei reverentiam auctoritate apostolica compellerent. Qui accepta commissione diem nobis assignaverunt in festo sancti Laurentii. Sed infra hos dies audita est repentina mors Domini Papæ. Tunc convenerunt multi sapientes & jurisperiti à nobis rogati. Geraldus Abbas Cluniacensis misit pro se Priorem Nivernensem & duos alios. In primis dictum est ad tres judices eos fore privatos potestate judiciaria. Sed ad dandum consilium qualiter Ecclesia idoneum pastorem haberet socii sunt admissi. Lecta epistola Domini Papæ, apparebat nullum alium Abbatem esse nisi Alermum, si idoneus à judicibus comprobaretur. Quod revera contigisset, nisi mors summi Pontificis intervenisset. Cùmque tentatum omnimodis fuisset si aliquis ex nostris eum & nullus fuit inventus. Quid plura? Omnes simul tam monachi quàm laici in capitulo convenerunt, &

Alermum rogaverunt ut daret pacem Ecclesiæ periclitanti, & acciperet de bonis Ecclesiæ quicquid vellet. Qui cùm precibus acquievisset nostris, juravit unus pro omnibus aliis Annonius nomine quòd arbitrio trium judicum provideretur. Quo facto, tres electi cum tribus judicibus in sepulchrum sunt ingressi. Post duas horas eligerunt Capicerium in Abbatem. Et hæc facta sunt anno MCCXVI.

Notitia de Modulantia.

QUALITER beatus Martialis acquisivit terram illam quæ appellatur Modulantia in comitatu Ruthenico patet sic.

Erat quidam illo tempore homo nobilis genere * Yschafredus timens Deum. Hic venit Lemovicas orationis causa, & ibi per unam quadragesimam commoratus est cum uxore sua Rixenda & cum aliis satellitibus suis vel aliis compluribus persistentibus die ac nocte in orationibus ante sepulcrum beati Martialis. Cùm autem appropinquaret tempus revertendi ad propria, cogitans de misericordia Dei & tremendo dei judicii, & videns tantam sanctitatem loci & monachos timentes Deum ibidem habitantes & perseverantes in Dei servitio, petivit ab Abbate Gaufredo, qui tunc erat, sive cuncta congregatione ut se participem facerent beneficiorum suorum. Cui Abbas rectè obediens, dedit ei societatem in præsentia fratrum. Ipse autem Yschafredus fecit convenientiam talem Deo & sancto Martiali in præsentia fratrum ejusdem loci ut si filius ejus Deusdet sine infante legitimo moreretur, terra sua quam habebat in alode infra duos fluvios Biauro & Avarione ad locum sancti Salvatoris & sancti Martialis

* *Vide Gaufred. Vos. cap. 7. pag. 181.*

remaneat Lemovicas, extra illam terram quam dedit filiabus suis in hereditatem; ex quibus una fuit monacha; alteram, ea moriente, ditatam hereditate reliquit cum matre Prior enim filia, quæ monacha fuit, Ricardis vocabatur, minor verò Alpasia nuncupabatur; de qua dixit ipse quòd si sine infante legitimo moreretur, sua pars de alode in ipsa convenientia remaneret. Postquam igitur reversus est ad propria Yschafredus, venerunt duo viri ex parte Ruthenica similiter ad devotionem Lemovicas in monasterio sancti Martialis in diebus domni Odolrici Abbatis: quorum unus laicus, Raynaldus Bellus homo vocabatur, alter verò sacerdos, qui Simplicius appellabatur. Cùm ergo se cognovit Yschafredus appropinquare ad mortem & cœpit ægrotare, fecit scribere supradictam convenientiam, quam ipse & uxor ejus & filius ejus manibus propriis firmaverunt, teste Roberto Presbytero & Deusdet prænomen Principale, in quorum providentia reliquit suam eleemosynam. Ipse verò migravit à sæculo jubente Domino nostro, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

De supradicta terra reliquit Yschafredus tunc unum mansum in dominio sancti Martialis, qui mansus est illa Vicaria. Mortuus est Yschafredus, & sepelierunt eum in Ecclesia de Mutore, quæ est in ipsius alode. Postea uxor ejus & filius ejus venerunt Lemovicas, feceruntque ipsam donationem; firmaverunt cartam, & narraverunt omnia sicut suprà dictum est, & reverterunt ad propria. Tunc misit domnus Odolricus Abbas Simplicium, unum è duobus de quibus suprà diximus, in Ruthenico mansum illum revocare & signum crucis levare. In die verò sextæ feriæ levaverunt crucem, Simplicius videlicet monachus

Vide Gan-

& Deusdet & Rixendis. Et octavo die ab ipsa sexta feria Deusdet ille filius Yschafredi interfectus est, sepelierunt eum ad ipsam Ecclesiam de Mutore. Tunc illa convenientia quam fecerat Yschafredus Deo & sancto Martiali de supradicta terra consequuta est, eò quòd filius Yschafredi sine filiis obiit. Cùm autem audissent nepotes Yschafredi quòd mortuus esset filius ejus, contrapellaverunt honorem illum dicentes: Avunculus erat. Post mortem uxoris ejus sua hereditas nostra erit. Non enim potuit quicquam dare nec alienare : quia noster avus talem constitutum fecit ut si unus de filiis suis sine infante moreretur, non posset hereditatem suam alienare à germanis fratribus. Et hæc sunt nomina eorum qui contrapellabant terram quam Yschafredus dimiserat Deo & sancto Martiali, Bernardus scilicet filius Hugonis, & Hugo de Peyrola, Aymo filius Vereri & fratres sui, Stephanus videlicet & Deusdet de Cassanias Begonenses. Postea Guido de Castellomarino petivit sibi dari Alpasiam filiam Yschafredi, & dedit dona pro ea Bernardo, & promisit ut de terra Yschafredi amplius non requireret nisi quantum Yschafredus filiæ dimiserat, & postea fallens contrapellavit mediam Modulantiam, eò quòd fecisset Rixendis jus sponsalitium. Remisit autem Domnus Abbas Simplicium monachum requirere hanc causam. Qui perrexit, & invenit quas Aymo avus eorum fieri jusserat de terra illa. Et condixit placitum Simplicius in castrum qui dicitur Malamorte, & fecit legere eas audientibus parentibus & nepotibus & aliis multis. Ibi cognoverunt quia Bernardus filius Hugonis nullam querelam justam haberet in hac terra. Idcirco eam postea non requisivit. Sed filii Vereri requisierunt sicut & priùs & Guido similiter. Alio die venerunt filii Vereri &

Fred. Vos. pag. 287.

Simplicius in castro de Monteolivo in præsentia Hugonis Comitis & Arnaldi Episcopi & Abbatis sancti Amantii & aliorum multorum nobilium. Et convenerunt aliud placitum ; in quo fuit Abbas Odolricus ; & venit in terram quæ dicitur Modulantia cum Comite Hugone & Arnaldo Episcopo & aliis multis , & levaverunt crucem in loco ubi Ecclesiam volebat Odolricus Abbas ædificare. Sed hoc contradixit postea Guido. Tunc Arnaldus Episcopus excommunicavit eum & castella ubi remanebat. Et ille exiens de Rutenia , habitavit in Albiense in castro Montirato , in quo accensus ignis domos plurimas succendit. Multi quippe dixerunt propter peccata Guidonis hoc evenisse. Dedit Abbas Odolricus sexaginta solidos supradicto Bernardo ut non fuisset ei contrarius , sed ut firmaret cartam. quod & fecit. Et fratres suos firmare convenit , & firmaverunt. Filii verò Vereri venerunt Lemovicas , reliquerunt ea omnia quæ requirebant , & firmaverunt cartam. Insuper dederunt de eorum terra Deo & sancto Martiali , Aymo quidem unam vineam & illa prata , Stephanus illum mansum de Poleminuto , Deusdet unum mansum de super Castaneas. Et acceperunt propter hoc trecentos solidos de Abbate & congregatione sancti Martialis. Et petierunt à Domno Abbate & monachis absolutionem , si de hoc peccatum haberent , & ut daret illis aliquam rem in signum victoriæ ex parte Dei & sancti Martialis , quia contigerat eis eo tempore prælium cum inimicis , & dum fuerant multi , à paucis fuerant superati. Quo audito , Abbas & congregatio fecerunt eis absolutionem. Et dedit Abbas Aymoni unum falconem pulchrum , ut ei esset in signum victoriæ ex parte Dei & sancti Martialis , si ille fidem quam promittebat teneret. Et fecerunt convenientiam ,

si

si infantes non haberent, ut amplius de eorum terra dimitterent sancto Martiali, Aymo unum mansum de poio illo quem Gallus tenet, Stephanus unum capud mansi in illa prata cum vineis, Deusdet illum mansum de Murato ubi Bernardus manebat cum vineis, & sepultura eorum sit ad illam Ecclesiam quam ædificaturi erant Abbas & sui. Domnus autem Amelius dignissimus pastor Ecclesiæ Albiensis jussit ad se venire Simplicium monachum, & fecit inter eos placitum quòd ambo simul perrexerunt Ruthenam, ubi Episcopus Arnaldus jacebat malè habens. Placuit Arnaldo Episcopo, & solvit Guidonem ab excommunicatione, & cum consilio suo perrexit Lemovicas cum uxore sua, & reliquerunt omnem querelam quam habebant in terra supradicta, & insuper dederunt Deo & sancto Martiali unum mansum qui dicitur Combocantomacia. Dedit ei Abbas centum solidos, & insuper Guido non requirebat. Et promisit ei quòd si filium haberet ex ipsa filia Yschafredi, monachum illum faceret. Ipsi convenerunt sepulturam suam ad Ecclesiam supradictam, si redirent ad propria. De supradictis guirpitionibus sciatis certissimè quòd nec guardiam nec commendam retinuerunt, sed totum & integrum sicut Yschafredus tenuerat reliquerunt, & cartam Yschafredi firmaverunt. Abba verò promisit ut de communia sancti Martialis non eiciat nec per gardiam nec per donum, sed suo dominio aut in Lemovicas aut in illa Ecclesia quæ propter hoc ædificanda erat maneat.

Interea hac eadem hereditate bonæ memoriæ antè præfati Yschafredi omni ex parte in dominio beatissimi Martialis jure perpetuo redacta, placuit Abbati Odolrico cunctæque ejus congregationi, unà cum consilio gloriosi præsulis Ruthenensis ci-

vitatis Arnaldi & Comitis Hugonis, Amelii Albiensis Episcopi, Ademari, atque Berengarii, Oddonis, Bernardi, & aliorum, construere Ecclesiam in ipsa jamdicta possessione in loco qui dicitur Rivo petroso sive Tres vias propter ibidem trium viarum conjunctionem, in nomine sanctæ & individuæ trinitatis, & in memoriam sancti Apostoli Martialis. Tunc obiit dictus Episcopus Arnaldus servus Dei, quem multùm diligebat Deus.

Acta de matrimonio Amedei IV. Comitis Sabaudiæ cum Cæcilia filia Baralli del Bauz.

An. 1244. IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Amen. Notum sit omnibus quòd nobiles viri, videlicet Dominus Ademarus Dominus Breixiaci, Dominus Umbertus de Saisello, & Dominus Aymo de Compeis, nuntii destinati ab illustri viro Domino Amedeo Comite Sabaudiæ & in Italia Marchione ad tractandum de matrimonio contrahendo inter eundem Dominum Amedeum Comitem Sabaudiæ supradictum & Dominam Cæciliam neptem illustris viri Domini Raymundi Comitis Tolosani, filiam nobilis viri Domini Barralli del Bauz, litteras ejusdem Domini Comitis Sabaudiæ patentes deferentes in præsentia præfati Domini Comitis Tolosani & venerabilis Domini R. Episcopi Tolosani ostenderunt, quarum tenor talis erat. *Notum sit omnibus quòd nos Amedeus Comes Sabaudiæ & in Italia Marchio juramento præstito promittimus ratum & firmum habere in perpetuum quicquid factum fuerit seu ordinatum aliquo modo per dilectos nostros & fideles, videlicet Ademarum dominum Breixiaci & Dominum Ubertum de Saisello viros venerabiles & discretos, super matrimonio celebrando in-*

ter nos ex una parte & neptem nobilis viri & discreti Domini Comitis Tolosani, filiam Domini Barraudi del Bauz, ex altera, & quicquid fecerint seu promiserint super ipso matrimonio facere, totum sub eodem juramento ratum promittimus nos habere, tenere firmiter & observare, & nunquam contravenire. Actum est hoc apud Chamberiacum MCCXLIIII. indictione secunda, die Martis ante festum omnium sanctorum. Et sciendum quod nos damus eis plenariam potestatem faciendi, & quicquid fecerint vel non fecerint totum firmum promittimus nos habere. Illustri viro & amico carissimo Raymundo Dei gratia Comiti Tolosano & Marchioni Provinciæ Amedeus Comes Sabaudiæ eadem gratia & Marchio in Italia salutem & paratam ad sua beneplacita voluntatem. Dominationi vestræ tenore præsentium declaramus quòd ea quæ dilectus & fidelis noster Dominus Aymo de Compeisio super matrimonio filiæ Domini Barraudi del Bauz ex parte nostra vobis dixerit, ac si nos ore tenus diceremus, firmiter credatis, promittentes bona fide quicquid vobis dixerit super dicto matrimonio secuturo inviolabiliter observari & omnia firmitate attendentes. Datum apud Eccõn Dominica post festum beati Bartholomæi. Quibus litteris inspectis & diligenter intellectis, & habito maturo & diligenti tractatu super prædicto matrimonio faciendo, prædicti nuncii Domini Comitis Sabaudiæ ex parte ipsius Comitis Sabaudiæ solempniter promiserunt se effecturos quòd Dominus Comes Sabaudiæ dictam nobilem Cæciliam accipiet in uxorem cum à dicto Domino Comite Tolosano per se vel certum nuntium seu litteras fuerit requisitus, & præfatus Comes Tolosanus sollempniter promisit se effecturum quòd dicta nobilis Cæcilia accipiet in maritum præfatum Dominum Sabaudiæ cùm ab eodem Domino Comite Sabaudiæ per se vel litteras

& præfatos nuncios prædicti Comitis Sabaudiæ pro eodem quòd in reddenda & lucranda dote & dotis augmento prædictis consuetudo terræ Comitis Sabaudiæ in omnibus observetur. Hæc autem omnia universa & singula dicti nuncii, scilicet Ademarus dominus Brixiaci, Dominus Ubertus de Saisello, Dominus Aymo de Compeis, pro dicto Domino Comite Sabaudiæ à se promissa se completuros & facturos quòd per Dominum Comitem Sabaudiæ compleantur tactis sacrosanctis evangeliis corporaliter juraverunt. Et dictus Dominus Comes Tolosanus hæc omnia universa & singula à se promissa se facturum & completurum juravit tactis corporaliter evangeliis sacrosanctis, ita tamen si prædictum matrimonium legitimè & canonicè poterit consummari. Ad majorem autem firmitatem omnium prædictorum prædicti nuncii Domini Comitis Sabaudiæ sigillo ejusdem Domini Comitis Sabaudiæ, quod secum deferebant ad hoc specialiter ut omnia quæ de prædicto matrimonio sunt acta per eos eodem sigillo communirent, præsentes litteras sigillarunt & propriis sigillis appositis munierunt. Et Dominus Comes Tolosanus & Dominus Barraudus del Bauz, qui prædictum matrimonium juravit se completurum, præsentem paginam sigillorum suorum munimine roborarunt. Acta sunt hæc apud Tolosam in castro Narbonensi, ubi fuerunt testes vocati & rogati venerabilis Pater R. Episcopus Tolosanus, A. Vicecomes Narbonensis, R. Præpositus Tolosæ, Ciquardus Alumandi, G. Cochids Villæ longæ, Poncius de Villanova, Dominus Hugo de Maxiaco, Hugo Maleti, Dominus W. de Bollo, Dominus Petrus de Claromonte, & plures alii ad hoc specialiter vocati.

Et ego Jacobus scriptor Domini Comitis Sabau-

diæ hiis omnibus præsens interfui, & has præsentes litteras per alphabetum divisas anno Domini millesimo CC. XLIIII. X. Kalendas Decembris, indictione secunda, de mandato partium scripsi & tradidi feliciter.

Scellé de six seaux en lacqs de soye rouge, dont il ne reste que celuy du Seigneur de Brissieux, & celuy du Comte de Toulouse.

An. 1249. REVERENDO in Christo Patri ac Domino... Dei providentia Episcopo Tolosano, atque viris nobilibus amicis suis karissimis Domino Rey. Gaucelmi Domino Lunelli ac Domino Sicardo Alamandy, Amedeus Comes Sabaudiæ & in Italia Marchio salutem & promptam ad eorum bene p. cita & mandata voluntatem. Cùm nos, sicut vestra benignitas atque nobilitas, ut credimus, non ignorat, per religiosum virum dilectum nostrum Priorem de Altacumba & per scriptorem nostrum vobis in anno nuper præterito direxerimus scripta nostra ut nobis per eosdem nuntios tria millia centum septingentas quinquaginta libras quas nobis debebat illustris vir Dominus Comes Tolosanus bonæ memoriæ, & quas nobis tactis Evangeliis pro dote neptis suæ & uxoris nostræ promiserat bona fide efficaciter soluturas, transmittere curaretis, & vos pro dicto Comite Tolosano nobis exstiteritis fidejussores & principales per sacramentum à vobis corporaliter præstitum, & sitis etiam executores ipsius Comitis testamenti. Verùm nobis per dictos nuncios nobis litteratoriè intimastis quòd vos vestrum bonum ac certum nuncium cum responsione plenaria & decente infra festum beati Michaelis nuper præteritum ad nostram præsentiam mitteretis, quod nondum curavistis facere, de quo non modicum

admiramur. Quapropter nos coacti super hoc iterato vobis duximus rescribendum quatinus sicut nobis in dicta summa pecuniæ per sacramentum & parte dicti Comitis tenemini, & ipsius Domini Comitis anima obligatur nobis similiter & tenetur, tractare efficaciter debeatis ut dicta summa pecuniæ nobis in proximo in integrum persolvatur, & ne ipsius pæcuniæ solutio ampliùs de cetero differatur. Cùm solutionis terminus, sicut scitis, jamdiu est sit elapsus, non debetis enimvero, ut nobis videtur elucidè, pati ullatenus quòd tam illustris viri anima sicut Domini Comitis Tolosani pro tantilla summa pecuniæ de perjurio obligetur, nec vos valeatis similiter de perjurio reprehendi: Hoc etiam taliter facientes quòd vobis cedat ad honorem non modicum & nobis ad commodum & profectum, & ut vobis teneamur ad gratiarum multimodas actiones. Et quicquid inde facere volueritis nobis per latorem præsentem rescribatis. Datum VII. Idus Martii, Indictione nona.

Mamerti Claudiani epistola ad Sapaudum rhetorem.

Doctissimo viro Sapaudo rhetori Claudianus. Disciplinarum omnium atque artium magistra Græcia idcirco maximè nobilibus studiis provecta est atque orbem penè totum multiplicibus complexa doctrinis, quoniam nemo illic omnium fuit qui quicquam bonæ frugis ferret cui non par merito honos fiet. Hinc nonnulli mortales naturam penè supergressi mortalium, extentis usquequaque excellentium ingeniorum viribus, infatigabilibus curis rerum abdita rimantes, repositas originalium primordiorum causas & temporaliter fluctuantium substantiarum præfixos terminos indage & arte complexi, non modò

Ei scribit Sidonius l. 5 epist. 10.

intra mundanum sed super cæleste etiam introiere secretum. Quod mihi in præsentiarum usus est dicere, quoniam bonarum artium jam inde à proavorum nostrorum seculis facta jactura, & animi cultum despuens, quo solo præstat pecudi gens humana, deliriis & divitiis serviens, ignaviæ & inscitiæ famula, passim porrò dedit cum doctrina virtutem. Nam quòd non modò ad innovandum quippiam, sed ne ad dediscendum quidem absque te uno disciplinæ nobilis ullus aspirat, negligentiæ id humanæ ascribimus an naturæ? Si malum istoc naturæ vitio vertimus, numquidnam à genere humano differre dici potest genus humanum, aut ingenia eadem non sunt quæ fuere priùs, aut Cicero sui seculi summus orator nata secum bona accepto habuit, & non mage parvi pendens domestica & civica, ad usque Græciam capessendæ opulentioris scientiæ gratia peregrinatus est, aut forsan Platon apex culmenque philosophiæ privo naturæ bono contentus, post Socratis dogmata angustiorem credens Græciam doctrinarum quàm esse virtutum, non usque ad Ægyptum & ad usque Bragmanos Indorum & ad usque Pythagoricarum doctrinarum per heredes indefessus rerum scrutator accessit? Taceo ceteros, quia nec tempus nec opus hujusce rei capax est. Unum illud procul ambiguo dixerim, nostro seculo non ingenia deesse, sed studia. Quorum egomet studiorum quasi quandam mortem flebili velut epitaphio tumularem, nisi tute eadem venerabili professione, laudabili solertia, acri ingenio, profluente eloquio resuscitavisses. Quod equidem bonum eo admirabilius est mihi quo desperatius fuit. Video enim os Romanum, non modò negligentiæ, sed pudori esse Romanis, grammaticam uti quandam barbaram barbarismi & solercismi pugno

& calce propelli, dialecticem tanquam Amazonem stricto decertaturam gladio formidari, rhetoricam ac si grandem dominam in angusto non recipi, musicem verò & geometricam atque arithmeticam, tres quasi furias, despui, pòst hinc philosophiam atque uti quoddam ominosum bestiale numerari. Sed hæc in laudem tuam suggestui sunt; quia si multi quorum tu es studiorum forent, futurus eras scilicet, etsi non omnium potior, unus ex multis. Hinc verò, procul injuria, ceterorum penes Galliam nostram professionis tuæ par unus & solus es. Neque dictum istuc aut assentationi aut adulationi detur. Nequaquam profectò vel egomet adulari possum, vel tu indiges falsò laudari. Sed erui atque avelli infixa animo meo nequit declamationum tuarum suavitas mixta virtute, Attici more mellis, cui suapte natura indita sunt medela, fortitudo, dulcedo, quod in hyblæ jugis, volucris atque opifex apicula cœlitus deciduum haustu capiens fabrefactis manso florigeris infundit, filiorumque fabricatrix virginitatis suæ fœturam alit atque imbuit ubere favorum, ita tu scilicet è summis auctoribus velut è magnis montibus doctiora quæque velut thymia flagrantia & fœcundiora veluti quædam florida præcerpens, quos ingenii melle repleas, eloquentiæ conficis favos, è quibus item discipulorum tibimet velut filiorum numerositas dilecta formatur; quæ Græcarum quoque disciplinarum nectare imbuta, ac si melle Attico pasta, ut occœperit pennis strepere, eloquentiæ favos & ipsa conficiet. Modò tu fac memineris docendi munus tibi à proavis & citra hereditarium fore, eoque copiosiùs te adniti oportere scientiæ quo multiplex in te à majoribus profecta tuis doctrina confluxit. Admonitus quoque sis oportet Viennensis urbis nobilitatis anti-

quæ, cujus tu civis & doctor non otio duplex debitum solves, à quo bifariam quæritur vel patribus respondere vel patriæ. Illud jam in fine sermonis perquam familiariter quæso, ut spretis novitiarum ratiuncularum puerilibus nugis, nullum lectitandis his tempus insumas, quasdam resonantium sermunculorum taureas rotant, & oratoriam fortitudinem plaudentibus concinnentiis evirant. Nævius & Plautus tibi ad elegantiam, Cato ad gravitatem, Varro ad peritiam, Gracchus ad acrimoniam, Chrysippus ad disciplinam, Fronto ad pompam, Cicero ad eloquentiam capessendam usui sint. Quisquis enim recentiorum aliquid dignum memoria scriptitavit, non & ipse novitios legit. Illi ergo reventilandi memoriæque mandandi sunt de quibus isti potuere proficere quos miramur. Istoc ego tamen amicitiæ testimonium aliquo forsitan plusculum familiariter intuli. Sed benivolentiæ tuæ venia impertiet amoris audaciam.

LEONARDUS Aretinus Kyriaco suo Anconitano salutem dicit. Quid mihi dabis, Kyriace, si de urbe Anconitana tibi multa & præclara vetustatis monumenta ostendam quæ tu nunquam vidisti; licèt Acarnaniam totam cum Ætolia & Bœotia lustraris, ac Peloponesum Spartamque & Argos inspexeris & quicquid antiquitatis est illustrius, & Athenarum propylea nobis descripseris? Ego tamen, dum tu peregrinando aliena conquiris, ipse manendo domi tua id est patriæ tuæ monimenta tibi invisa incognitaque prospexi. O magnam vim animi nostri ac penitùs divinam! Siquidem dum stamus domi, ipse peregrinatur, nec distantia modò locis adit, verùm etiam quæ jam mille annis gesta sunt tamquam præsentia tuetur. Sed ne te per longa demorer, aperiam quid rei sit.

Scripsi noviter libros quatuor de bello Italico quod Bellisarius & Narses Justiniani duces adversùm Gothos gessere. In eo bello multa ac præclara de patria tua Anconitana reperi, ac reperta literis perscripsi. Nam & obsidio ejus urbis terra marique à Gothis agitata, in qua septuaginta quinque naves longæ pugnaverunt, & situs oppidi qui tunc erat, ac cetera permulta memoria digna referuntur, in quibus scribendis tu etiam aliquid mihi caloris atque impetus addidisti quæ tibi ac civibus tuis perplacitura existimabam, & sunt maximo ornamento vestræ civitati. Est autem hæc non translatio, sed opus à me compositum, quemadmodum Livius à Valerio Antiate vel à Polybio Megalopolitano sumpsit & arbitratu suo disposuit. Hanc verò historiam meam si tu inspicere velis, non aliter tibi ostendam quàm si omnia epigrammata omniaque vetustatis monumenta quæ in toto orbe terrarum collegisti ad me feres. Vale.

Epistola tres Nicolai de Clamengiis.

COGUNT me, ô Principes incliti & viri militares, vosque catholicæ religionis ceteri professores, immanissima vobis omnibus totique cœtui Christiano impendentia maturè pericula vos alloqui vestrasque, nisi pia Christi subveniat miseratio, inauditas calamitates scitu valde necessarias vobis enuntiare. Quamvis etenim humilis sortis homuncio sim, nec persona vobis nec fama nec nomine forsitan cognitus, Abacuc tamen sanctus propheta nobis apertè insinuat quòd in tantæ necessitatis articulo quantus instare dicitur, non modò pusilli cum majoribus minimè reticere debent, sed lapis etiam ipse de pariete validiùs clamare. Ecce Machometicæ superstitionis profanos

sectatores cum innumerabili exercitu undique in Christianos audimus fines patrios irrumpere. Hinc namque Syri & Ægyptii ceterique orientales Machometici classe innumerabili per mare mediterraneum ad Christianæ religionis exterminium properare dicuntur, & præcipuè ad Italiam urbemque Romam, quæ Christianæ professionis caput atque firmamentum est, perceleriter accessuri fama nunciante feruntur. Ceterùm quantum ad Africam, quæ ad meridiem vergit, facilè per regnum Granatæ possunt quantalibet agmina Sarracenorum in Hispanias introduci ad Hispaniæ totius atque Galliæ imò Christianæ religionis universalem vastitatem atque profligationem. Denique quantum ad Ungariam, Sclavòniam, ceterasque partes septentrionales attinet, juge illic assiduumque cum Machometicis illorum locorum bellum esse dicitur, qui non modò urbes multas & oppida, verùm provincias & regna jamdudum occupasse feruntur, & nova assiduè & incessanter occupant. Quæ cùm ita sint, quòd nos infelices crucis Christi professores agimus, quid inertes otiosique ultra dormitamus? Quid præterea bellis civilibus atque intestinis undique in cassum vires nostras consumimus, robur enervamus, Christianæ religionis cultores destruimus, & inimicis crucis Christi in crucis ipsius exterminium viam pandimus, qui nostris feralibus excitati discordiis congruam opportunitatem nostræ ruinæ desolatoriæ se undique nactos esse gloriantur? Expergiscimi tandem aliquando, orthodoxi Principes, apertisque mentis oculis, quanta catholicæ professioni, in qua nati & educati & in Christo regenerati estis, à canibus Ægyptiacis calamitas impendeat perspicite, qui nullam aliam occasionem adversùm vos atque confidentiam fines undique catho-

licos invadendi susceperunt nisi propter scismata & dissensiones & bella feralia quæ undique inter nos fervere cognoscunt. Quos igitur ad nostrum excidium bella nostra concitaverunt, solidæ pacis compositio à bello nobis inferendo deterreat, qui procul dubio quos discordes meritò contemnunt, bene pacatos & concordes contremiscent. Necesse quippe est illam vocem salvatoris evangelicam inconcussa certitudine ratam esse: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur.* Undique inter nos bella fervent, odia sæviunt, ferales vigent discordiæ, quæ potissima semper consueverunt regna dilapidare: quoniam, ut Romanus quidam præclarè scripsit, *concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* Ecce validiori cum exercitu anno quolibet gens illa prophana fines Christianos ingreditur in excidium universale, nomen atque fidem Christi, nisi aliter occurramus, citò redactura. Quid in tanto constituti periculo ultra dormitamus & ingruentia omni ex parte discrimina non vigilanter attendimus? Serò, mihi credite, ad remedium evigilabimus, si temporis opportunitatem nunc abundè nobis oblatam otiosè & inutiliter abire permittamus. Bella inter vos à seminatore zizaniorum tantis ex partibus excitata per opportuna pacis fœdera aut longiores inducias interim sopite & intermittite, ut una mente, uno animo, una concordi voluntate sacræ religionis adversariis obsistatis; quos si adversùm vos invalescere vestris intestinis contentionibus permiseritis, aut ad suæ superstitionis impium errorem, fide Christi repudiata, vos compellent, aut dira & crudeli morte jugulabunt. Bona vestra coram vobis auferri videbitis, discerpi, ac dilapidari, liberos vestros ad supplicium rapi, uxores violari, virgines stuprari, vos ipsos in servitutem in-

tolerabilem abduci, templa præterea incendi, ſacerdotes necari, ſacramenta omnia profanari. Et quis ita eſſe poterit à judicio rationis atque ab humanitate alienus qui non potiùs mori eligat quàm aut talia pati aut etiam cernere, quæ nobis, niſi fallor, cunctiſque ferè catholicis aut perferenda ſunt aut oculis perceleriter intuenda, niſi tam validis hoſtibus, tam copioſis, ac numeroſis invicem pacificati concorditer obſiſtamus: qui ſicut noſtris inducti diviſionibus fiduciam nos oppugnandi ſuſceperunt, ita noſtra unanimi concordia deterriti nos ultra bello laceſſere formidaverint. Quocirca per clementiſſimam Chriſti pietatem vobiſcum ſedulò verſate, incliti Principes, quanta vobis atque veſtris religionibus totique orthodoxæ fidei ab his truculentis beſtiis ruinæ ac deſolationis impendeant diſcrimina, & ad potenter occurrendum nefandiſſimis illorum conatibus, quibus nomen Chriſti funditus de terra tollere moliuntur, una mente, uno animo, una concordi caritate vos aptata ac præparate. Sicut enim ſalvator noſter redemptorque clementiſſimus pro noſtra ſalute animam poſuit, ita in tantæ neceſſitatis articulo pro conſervatione ſuæ ſacræ fidei in tam ingenti periculo conſtitutæ non debemus univerſi reformidare animas ponere. Semel quippe nobis omnibus, qui mortales conditi ſumus, debitum mortis exſolvere neceſſe eſt. Ubi autem laudabilius id agere poſſumus quàm adversùs impios hoſtes ſacroſanctæ religionis Chriſtianæ, in qua ſola ſalus & vita cæleſtiſque conſortii ſpes inconcuſſa conſiſtunt? Sæpe pro temporali aliquo honore, fructu, vel commodo inter Reges atque Principes catholicos bella immania geruntur. Quare ergo contra hoſtes Dei legis atque fidei pro æternæ ſalutis hereditate non libenter ſuſcipientur, viri-

liter gerentur, strenuè conficientur? Ista sunt bella Dei, exercitus Christi, acies fidei, ubi pro Christo vero Deo & salvatore nostro, pro suæ legis integritate, fideique intemerata conservatione contra diabolicum dimicatur exercitum. Aptent itaque ac rite præparent quique clarissimi Principes, strenui Milites, & ut uno absolvam verbo, quique catholici fideles, pro illoque vitam exponere non dubitent, qui pro illorum salute suam exposuit, nec sub tali trepident ductore contra perfidos ejus hostes confligere. Corda tergant, mentes emundent, conscientias discutiant, onera suorum peccatorum per pœnitentiam deponant; quò talis ducis consortio non indigni habeantur, qui in suo contubernio nonnisi mundi cordes habere gloriatur. Talibus adest, tales adjuvat, talibus triumphum largiri consuevit. Denique militarem observent disciplinam singuli qui in sacro Christi exercitu sunt militaturi, quique illum adjutorem, tutorem, atque propugnatorem habere desiderant. Alioquin qua temeritate de illius opitulatione sperare poterunt qui id agunt de quo dictum est: *Comportare juvat prædas & vivere rapto*. Ista quippe sunt quæ nostros conteri sæpe faciunt exercitus, sæpe vinci, sæpe fugere, sæpe ab hostibus opprimi, quæque in hostium conspectu nos pavidos faciunt ac formidolosos. Cùm sit enim semper pavida nequitia, facilè in se confunditur scelerata conscientia; tuncque suorum solet plerunque scelerum reminisci quando justa de illis ultio sumitur. Hæc ad vos, Principes incliti, ceterique strenui ac militares viri, qui adversùs hostes istos immanissimos Christi religionis propugnatores esse debetis, zelo Christianæ fidei, quo pro modulo meæ tenuitatis aliquantulo fervesco, scribenda censui, quò vestris sinceris men-

tibus ad id ipsum quod suadeo & sua ut arbitror, sponte & cælesti nihilominus instinctu satis voluntariis, calcar etiam aliquantulæ exhortationis adicerem, de meoque talento in tanta necessitate debitum exolverem. Valete, incliti Principes; vestrique gradus & vocationis, officii insuper ac jurisjurandi in tantæ necessitatis articulo mementote.

Ad Symonem de Bergeriis.

NIHIL jam mihi superesse videtur in epistolari salutatione collegii dilectissimi nisi Symonem etiam dilectum, ne se se oblitum causet, superioribus attexere, qui tam nominis quàm cognominis quod videtur præsagio pastoralis vigilantiæ titulum sortitus. Utinam nomini res aliquando respondeat, Symonique alteri rursus suum ovile regendum Dominus committere dignetur. Quamquam enim jam pusilli gregis & de sorte secunda ille pastor & rector est, attamen potens est Dominus, qui ad pastoralis apicis summa gubernacula Symonem de navi vocavit & principem super plebem suam illum constituit, hunc etiam Symonem nostrum, imò Symonem suum, de inferiori, ut ita dicam, bergeria ad superiorem celsioremque provehere; ut tunc ex humili statu in sublimiorem provectus, & quasi de exigua, ut ita dicam, caula sive bergeria ad fœcundiorem vocatus, fœtuque opulentiore, jure optimo de Bergeriis cognominari mereatur, & qui jam Symon est, id est, obediens, Barjona tandem à Bergeriis; quod filium columbæ sonat, nuncupetur, qui verba Domini non surda aure exaudiens, cum columbæ simplicitate serpentis novit astutiam convertere, ne versuta improborum calliditate quandoque supplantari possit. Estote, inquit, prudentes sicut

ficut ferpentes & fimplices ficut columbæ. Solet ferpentis aftutia pro falute capitis totum corpus perfequentibus obicere. Et nos, ne in nobis caput noftrum, Chriftus fcilicet, aut fides ejus intereat, cuncta debemus oppreffortbus atque tyrannis exponere. Alioquin quæ capite dempto poteft in nobis vita relinqui? Denique fide extincta, quæ in homine poteft infelici ac miferabili fpes falutis atque propitiationis fupereffe, cùm fine fide impoffibile fit placere Deo? Tu exigua hæc raptim exarata, Symon mi dilectiffime, æquo animo, ut omnia foles, accipies; quæ idcirco cum collegis aliis ad te percurrere libuit ut tui apud me memoriam aut locorum mutatione aut perfonæ abfentia nequaquam interiffe tibi poffet conftare. Vale felix, ut tota mente te valere femper opto. Datum Pruccini.

Ad eundem.

TUO exhilaratus fum vehementer fcripto; quo ad meas nænias fœcundioris inopia materiæ inaniter effufas, ne in oblivionem apud me veniffe videaris, graviter, ornatè, & eleganter refpondendum cenfuifti. Itaque gratias habeo joculatoriis illis fcriptis quòd tantam in confpectu tuo gratiam meruerunt ut grandem, fœcundam, & perpulcram mererentur refponfionem, magis utique ex bonitate interpretis quàm ex vi aut efficacia alicujus fui valoris. Quis autem litterarum tuarum perlator fuerit ignoro. Neque enim perlator ipfe eas mihi reddidit, illarum forfitan negligenti erubefcens cuftodia, ut pote quæ in fuperficie adeo aqua, uti interpretor, cœlefti erant madefactæ ut in plerifque locis papyro fragili unda penetrata atque confumpta littera penitùs deficeret. Pauca tamen fuerant quæ ufquequaque

lectorem fugerent. Placuit autem valde in illis tui animi temperatissima modestia, qua de temetipso sobriè sapere nec in magnis ambulare & mirabilibus super te consuesti, & laudes proprias magis aspernari quàm gloriantur amplecti didicisti. Denique res illa etiam placuit, quòd magnopere poposcisti in calce litterarum tuarum ut si qua deinceps ad te scribere in animum inducerem, satyricè potiùs quàm lyricè vel jlocalariter scribere consuescerem. Qua in re, si vitam Christus annuerit, tuæ petitioni morem gerere constitui. Vale, & domum dilectam in capite & membris saluta. Datum Pruccini XX. Augusti. Per te commendari posco fratri majori tibi noto Johanni Dayguy, carissimoque præceptori vicino suo.

FORMULÆ VETERES.

.... nascuntur per hanc occasionem non perdant. Ob hoc igitur ego ille & conjux mea illa commanens orbe Atvernis, in pago illo, in villa illa. Dum non est incognitum qualiter cartolas nostras per hostilitatem Francorum in ipsa villa illa manso nostro, ubi visi summus manere, ibidem perdimus, & petimus vel cognitum faciemus ut qui per ipsas stromentas & tempora habere noscuntur possessio nostra per hanc occasionem nostrorum pater inter epistolas illas de mansos in ipsa villa illa de qua ipso attraximus in integrum, ut & vindedit ista omnia superiùs conscripta vel quod memorare minimè possimus judicibus brevis nostras spondiis incolcacionibus vel alias stromentas tam nostris quàm & qui nobis commendatas fuerunt hoc inter ipsas villas suprascriptas vel de ipsas turbas ibidem perdimus & petimus ut hanc contestaciuncula seu plancturia

per hanc cartolas in nostro nomine collegere vel adfirmare deberemus. Quo ita & fecimus ista principium Honorio & Theodisio Consilibus eorum ad hostio sancto illo castro Claremunte per triduum habendi vel custodivimus seu in mercato publico in quo ordo curiæ duxerunt aut regalis vel manuensis vester aut personarum ipsius castri ut cum hanc contestatiuncula seu plancturia juxta legum consuetudinem in præsentia vestra relata fuerit, nostris subscriptionibus signaculis subroborare faciatis, ut quocumque perdiciones nostras de supra scripta per vestra adfirmatione justa auctoritas remedia consequatur, ut nostra firmitas legum auctoritas revocent in propinquietas.

Gesta.

Unde ego te vir laudabilis illu. defensore meo necnon & vos honoratique cartas publicas agitis adsiduè oportet me curiæ in hoc contestatiuncula seu planctuia per triduum partibus foris pupblicis apensa vestris subscriptionibus vel signatulis subter faciatis adfirmare, ut quomodo mihi necessarium fuerit causella mea aut in præsentia dominorum vel judicibus adversariorum meorum revocent in proquietas, per hocque contra hanc contestatiuncula seu planctuira deponere percuravimus, ut quando volueritis & malueritis vel mihi necessarium fuerit, ut mos est, gestis municipalibus eam faciatis ablegare cum petitiones nostras, maximas vobis ex hoc gratias agere valeamus.

Mandato.

Mox injunxit antiqua, principium jura decreta sanxerunt ut quicquid causas per inpigritia censsus aut femina sexus vel corporamentisque fragilitatis res suas suorumque suarum gubernare minimè possit, cura electorum permittuntur. Ego illa

femina, dilectissimus filius meus illius & illius, rogo & injungo vel suplico gratias vestras, ut de omnis causas meas vel negotiis meis vel quicquid de alode parentorum meorum aut de attracto aut unde meæ consotium suppetit aut adversùs me altercatio orta fuerit quicquo de heredibus meis dicit aut numerari potest vos damus & procuratoribus de omnes causas meas vel facultates meas tam terras seu & mancipia vel alias res meas quicquit dinumerare longum est tam in præsentia dominorum aut in quibuscunque Provinciis sive eante Comitibus vel judiciaria potestate. Adsupta mea vice elegi & proponat aut quicquid in hac parte ex causa veritatis aut definieritis egeris gesseris veraci confirmatũ adque finita in contra esse pubplicar. Sanè si quis, ego ipse, aut ullus.

Hic habet gesta.

Vide to. 1. Capitular. Id. 426. 465, 470. 649.

Arvernis aput vir laudabile illo defensore vel curia pubplica ipsius civitatis illa femina ait quæso vobis optime defensor vel cura publica ipsius civitatis ut tu mihi quod dicis pubplicis prosequere præcipiatis ab eoque gestarum alegacio cupio roborare memoratus defensore dixit. Pateant tibi quod dicis per pubplicas quæ obtas quia illa femina per hanc mandatum mihi injunxit ut propter sollemnitatem lex scripturas adfirmatum ut à duobus arseri deberim & hæc mandatum quæ in filius suus illus & illu ut sumpta sua vice cosscribere vel adfirmare rogaverunt de omnes causas suas sunt quod rectius superior abeatur scriptum gestis municipalibus adligare adque firmare deberet. Jam dictus defensor & ordo curiæ dixerunt: ediec mandatum adferas debere nobis ostendit ad relegendum. Tunc unus ex Notariis ipso mandato in publico recitavit. Præfatus defensor dixit:

Hæc gesta quomodo est scripta nostros manibus roborata, quicquit exinde dicere vel numerare res illa aut nihil aliut ago hæc gesta quomodo est scripta vestris roborata mihi sine mora tradatur. Ille defensor cum suis curialibus vel subscriptionibus manibus ipsa gesta tradiderunt vel consignaverunt.

Libertas.

In Dei nomine. Ego ille metuens casum fragilitatis, & dum fragilitas humanum genus pertimescit, ultimum vitæ temporibus ventura oportet ut non inveniat unumquemque imparatum ne sine aliquis operis bonum respectum nisi homo dum suum jure & potestatem præpararet sibi viam salutis per quem ad æternam beatitudinem valeat pervenire. Propterea vindictam habuit liberare ancilla mea nomen illa unà cum fantes suos illus & illus, quem de alode visi sumus habere, de omni jugo servitutis meis pro peccatis meis minuandis ipsus præcipimus esse bene ingenuus & absolutus in pubplico, nam non in secreto, Arvernis civitatis domum matris Ecclesiæ sancto illo, ubi Christi nomen ille Episcopus Pontifex tunc tempore præesse dignoscitur, ante cornu altaris, in præsentia, presbyteris, diaconibus, clericis, vel in præsentia plurimarum personarum qui ipsa manopa subter firmaverunt, de jugum servitutis meis pro peccatis meis minuandis, sicut jam diximus, quicquid persona aut religiosi deorum mancipia data libertate conferre voluerit, secundùm legem Romanam hoc facere potest, id est, Latina dolitia & cives Romana, meliore statum habet testamentum condere testimonium perhibere, emere, vindere, donare, commutare habeat potestatem sicut & alii cives Romani, ut nullum

nulle vel heredum ac proheredum nihil debeant servitio nec letimonium nec onus patronati nec nulla obedientia ipsius non requiratur, nisi eant & maneant ubicumque voluerint, portæ apertæ, cives Romanæ se esse cognoscant. Defensionem verò tam Ecclesia vel omnē dium timentium ubicumque experire voluerint, licentiæ tribuimus ad faciendum in omnibus quicquid voluerint. Et si de ipsus aliquit generatum fuerit, ingenui permaneant. Sanè si quis.

Item absolutio.

Liberum esse credimus quod Christus per spiritum sanctum & baptismum lavacrum generavit bene convenit ut dimittentibus debita dimittantur peccata. Ego enim in Dei nomen ill. & conjux mea illa pro remedio animæ nostræ vel pro æternam retributionem absolvimus à die præsente servo nostro illo unà cum infantes suos illus & illus, que de alode parentorum meorum vel per cessionem extra consortium heredum eorum mihi obvenit, à die præsente remedium inveniat vos relaxamus, ut ab hac die sibi vivant, sibi agant, sibi laboret, sibi nutromenta proficiat, suumque jure commissas eum & intromissus in ordine civium Romanorum, ingenuis se esse cognoscant, ut post ac die neque ad ullus heredibus meis servitius nec letimonius ne onus patronati nec ulla obedientia eis non requiratur, nisi iant & maneant ubicumque voluerint porte aperte, cives Romana se esse agnoscant. Defensionem verò tam Eccl. sia vel ominem Deum timentium ubicumque expelire volueritis libera & firmissima in omnibus habeatis potestatem ad hoc faciendum quicquit volueritis. Sanè si quis.

Redempturium.

Domino ill. A pluris eſt cognitum qualiter ante hos dies inveſtiganti parte adverſus neglegentia pro culpa mea in cuſtodia traditus ſum, & nullam habeo ſubſtantia unde me redimere debeam niſi tantùm formam & ſtatum meum, quem libero & ingenuo videor habere, & in ſervitio me pro hac cauſa debeam inclinare, & vos pietas domini imperavit ut pro ac cauſa me redemiſti, ego vobis carta patrocinale de ſtatum meum, quem ingenuo habeo, in vos conſcribere vel adfirmare rogavi, ut poſthac diebus vitæ meæ ex jure in ſervicio veſtro debeam conſiſtere. Unde me ſpondo vel ſubter firmavit ut contra præſente cartola patrociniale neque ego neque de herebus meis ne quiſlibet ulla oppoſita perſona præ ac die ambulare non debeamus; quod quid fecerit, componat vobis ſociante fiſco auri uncia una, & quod petit nihil valeat vindicare, & ubicumque me invenire potueritis, ſicut & reliquos ſervos veſtros, ita & me in veſtro ſervitio faciatis revocare abſque ullo contradicente ſtibulant ſtibulatur in omnibus ſum.

Ceſſionem.

Quociens inter quaſcumque injenuis perſonis lex beneficium edocet ut quantumcumque perſona de rebus propriis ſuis in alterius transferre voluerit, libera abeat poteſtatem ad hoc faciendum quicquit voluerit. Ob hoc igitur in Dei nomen & conjuves mea illa dilectiſſimo amico noſtro illo pro benevolentia vel ſervitia tua quæ circa nos impendis ſed in comea facere non deſinis, propterea cedimus tibi ceſſumque in perpetuum eſſe volo, hoc eſt, de noſtro jure in tua tradimus dominatione tradimus transferimus atque transfun-

dimus, hoc eſt, manſo noſtro in pago Avernico, in jace illo, in villa illa, quæ de alode vel de atracto ibidem viſſi ſumus habere, cum caſis, tictis, ædificiis, adjacentiis, campis, pratis, vineis, ſilvis, aquis aquarumve decurſibus, omnia & ex omnibus quantumcumque ad ipſus manſus aſpicit aut aſpicere videtur, tam inquiſitum......

Litteris commendatitiis.

NOTUM ſit omnibus in Chriſto Jeſu religioſa vita degentibus ego quòd ill. Abbati ſancti·......ſime congregationis Abba fratris noſtri de illi petitionibus ſatisfaciens qui ....vitæ conſortio apud nos conjunctus eſſe videbatur, quoniam mores vel habita .... ferre non valentes ad ſalubriora loca & ſibi convenientia ei additum ad eundum...... ceſſimus, eo duntaxat modo ut ille nobiſcum abſens corpore, tamen ſpiritu præſens...... ſanctis orationibus conjunctus eſſe debeat, & fratrum noſtrorum aſſidua ora..... Dominum pro eo cotidie interpellet. Nos enim & cuncti fratres noſtri valde e...... maluimus. Sed viri cũ ejus minimè ferre valentis, conſul.. ......, paterno affectu commoti, ad ea quæ ſui ſunt corporis convenientia loca, ut diximus, adeundi conceſſimus. Idcirco noſtræ humilitatis apices ei conſcripſimus atque ſubter firmavimus, ut quia apud nos aliquod temporis ſpatium converſare videbatur, ſecurus & adjutus in Domino & defenſus ab omni jurgio per eaſdem litteras ubique in Dominô ſecuram vitam degere valeat, ſupplicantes omnes ad quos eum Dominus direxerit pro noſtræ parvitatis memoria ipſum clementer ſuſcipere dignetis.

In Dei nomine. Domno & fratri & in Christo filio cariſſimo ill. viro venerabili & Abbatū... ....indignus Epiſcopus in Domino ſempiternam ſalutem. Plures mihi, cariſſime, tranſierunt dies ex quo ve....... in conſpectu tuæ caritatis meas litterulas ſive eulogiolas mittere. Sed te a....... ſancti ill. veniſſe nonniſi modò cognovi. Veniſſe ergo te & bene valere &........ & pro incolomitate & proſperitate tua in quantum valeo Domini miſericordiam deprecor, quippe qui non ſolùm ego, ſed penè omnis Europa &, ut ita dixerim, generaliter omnis Eccleſia ab oriente uſque ad hoc occidentem tali conſ........ teneatur, utpote Domini miſericordiam imploret, quippe qui fidem tuam obſervando & innocentiam cuſtodiendo omnibus profuiſti. Sicut enim non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ relevabitur in nobis, ita nec condigna benevolentiæ officia........ quilibet noſtrum exhibere poteſt, quum videlicet multociens eis ſit emolumentum tui beneficii quod erga Dominum noſtrum & nos omnes feciſti quàm ſi qua ſint obſequia quæ tibi à nobis impendantur. Deus enim qui per Mardochæum famulum ſuum Iſraheliticæ plebis interitui medicinam & nobis per te contulit, ipſe & te & nos ita hujus vitæ curricula concedat peragere ut illam perveniamus vitam cui nullus eſt finis. De cetera expoſco & ultra quàm valeo quæſo ut me congregationis ſancti ill. quæ vobis à Deo ad regendum conceſſa eſt orationibus

ſicuti & nos congregationum à Deo nobis ad regendum conceſſarum orationibus commendaturi ſumus, ut mutuis nos orationibus quaſi quibuſdam ſpiritalibus brachiis

&, ut ita dixerim, ſpiritalibus armis adjuvantes, & antiqui hoſtis inſidias ſive machinamenta doloſa evadere, & ad Regem noſtrum Chriſtum inculpabiles venire ipſo auxiliante valeamus. Merear te ſoſpis ſoſpitem, felix felicem, incolomis incolomem cernere, mi cariſſime, & de incolomitate tua ſemper audire. Pax tibi à Deo.

Sumito quæ miſi lætus munuſcula parva,
Dulcis amice mihi, dulcis & apte nimis.
Quæ ſint parva licet, magna hæc dilectio mittit,
Quæ non compenſat res ſed amoris opus.
Sit tibi vita ſalus, ſint & felicia cuncta,
Et tibi de cœlis Rex Deus addat opem,
Et ſic te clemens ducat per proſpera mundi
Ut pes in offenſo tramite celſa petat.
Et qui in hac vita dignum con [ces] ſit honorem,
Hic tibi poſt obitum det ſuper aſtra locum.

* *Virtutum.* *......... tū meritis magnopere venerando & à nobis cum omni ſtudio ardentique fervore in vinculo caritatis amabiliter amplectendo divina inſpiratione protegente Abbati ill. inutilis ac viliſſimus famulorum Dei famulus perennem per hanc epiſtolam in Domino Jeſu optat ſalutem. Comperiat igitur devotiſſima caritas veſtra quia auxiliante Domino & Apoſtolorum principe Petro intercedente per diverſos terrarum fines immenſaque nos ac ſubditi noſtræ......... *Reliqua deſunt.*

....

In quo ſupplicamus excellentiæ ſanctitatis veſtræ, &c. *ut in Actis ſanctorum ordinis S. Benedicti ſæculo* IV. *parte* 1. *pag.* 748. *ubi malè iſta aſſuta ſunt epiſtolæ Joannis IV. Papæ.*

Excellentissimo atque piissimo il. Rege il. gratia Dei Episcopus de illo oppido unà cum cœnobio sub quo egregius confessor il. patronus vester in corpore requiescit. Obnixi supplicamus culmen regiminis vestri ut hos in Christo fratres nostros illos monachos de præfati congregationi sancti ovilinos ipsi probabile videntur unà cum collegis eorum vestris secum litterolis exiguitatis nostræ obtutibus præsentaverint benigni recipi Christianitas vestra jubeat & vestro adjutorio fulti iter arduum quam pro reverentia beati Petri principis Apostolorum arripuerunt usque ad limina ipsius quieti perficiant, unde vobis ipse sanctus apud Deum intercessor adsistat, & in futurum mercedem vobis augeat. Et humili prece vobis deposcimus ut quod hore propria postulaverint serenitas vestra benignè recipiat & ad effectum perducere bonitas vestra jubeat; ut si Christo propitio ad nos reversi fuerint, pro vobis & statu regni vestri indesinenter orare delectentur .... r te corpore & spiritu ille Samarita, id est, salvator & custus, de quo in Psalmo: *Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israhel.* Uthel, quod interpretatur vigel. Adtequ......... ut possis dicere: *Ego dormivi, & cor meum vigilat.* Valere in Domino vos optamus....... sublimissime Regis atque optantissime. Salutat vos affatim omnes...... o sancti illius nobiscum. Ille quamvis peccator Archiepiscopus fidens de bonitate Christi & serenitatis vestræ libens subscripsi.

Summa veneratione diligendo & nobis in amore Christi amabiliter præferendo & in gre-

mio Ecclesiæ ſano ac devoto gratuituque animo commendando atque ex totis viribus cum ſummo caritatis vinculo amplectendo domno ſpiritalique patre il. ſancta religione ſedulo cuncti quidem fratres beatorum martyrum ill. & ſuis cum ſanctis ſociis proprii ſervuli & amatores...... toreſque veſtri præ omnibus ſalutemus vobis in Domino Jeſu Chriſto ſalutatione amabili. De cetero, piiſſime pater, multas vobis agimus laudes & gratias de veſtra melliflua ſcedula pulcherrimaque munera quæ modò veſtra ſanctitas noſtra infima parvitate dignata fuit munerare. Propterea veſtra comperiat almitas quia nos in uno poſiti, relectas veſtras litteras, continuò ut eas audivimus, gratulati licèt de benedictione, ſed multùm turbati de veſtra tribulatione. Quid ergo de vobis agimus, quid facimus, quid loquimur? Dolemus, gemitum habemus, anxii ſumus, conſilium quærimus; ſtatimque in commune conſenſu decrevimus, ſicut nos divina docet lectio ubi ait: *Orate cuncti pro invicem, ut omnes ſalvemini.* Nos autem repentè, ſicut mos eſt, loricam induti fidei, ſumptis ſalutis galeam cum humilitatis ſpiritu, arma orationum ſumſimus, ut certi Chriſti milites, in agonia puriter muniti, undique firmiter ſimul omnes venimus ordinata acie, belligerare cœpimus, Jeſu Chriſto Domino noſtro pro vobis preces fundimus in Miſſis ſpecialibus, in pſalmodiæ in canticis ſpiritalibus, in ſacris orationibus in quantum noſtra valens eſt parvitas pio affectui viriliter certavimus & optamus facere, ut vos Dei pietas per multa quidem luſtra annorumque curricula in pace ſanctæ Dei Eccleſiæ incolomem cuſtodiat & poſt vitam æternam iſtius in gloriam conlocet. Peracta omnia namque hæc, ad divina veniamus eloquia, de qua haurire poſſemus conſolatione optima. Au-

diamus primùm Prophetam sanctissimum virum, prudentissimum, psalmigraphum, humilem cytharizantem per cytharam præcepta melliflua sic nobis alloquitur: *Mihi autem*, ait, *adhærere Deo bonum est*. In omnibus spem meam ubique ponite in Domino. Et rursum: Jacta tuum cogitatum semper in Domino, & ipse te enutriet dulciter. Idem ipse inquit: Bonum est, suave est mihi, Domine, quòd humiliasti me. De quo sequitur: Bonum mihi lex oris tui super multa milia argenti & auri. Scriptum legimus quia præsens paupertas futuris divitiis conpensanda sit. In cantico dicitur Annæ: *Dominus pauperem facit & valde ditat*; humiliat pro peccatis, sed statim sublevat per misericordiam. Unde iterum psalmista cohortat nos per omnia dicens: Dominus me regit, & mihi nihil deerit, & conlocavit me in loco pascuæ super refectionis aquas me .... Hæc auscultans egregius prædicator Apostolus tuba mirabilis nostri sin .... ibus mittit se in medio pulchra conectit eloquia, de qua pro loquens dic. .... ú optimũ & omne donum perfectum descendit à patre luminum. Dicit iterum: Omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu persequutionem patiuntur. Adhuc subditur: Cùm enim homo exterior affligitur, tunc ille qui intus est perfectè renovatur: quia dum infirmamur corpore, potentes sumus spiritu. Salvator Christus Dominus de semetipso ait: Spiritus quidem prumptus est, caro autem infirma. Et bonæ memoriæ dicit Gregorius: Tunc homo perfectus est cùm plenus fuerit caritate, & unde animus sæpius cogitat, inclemens frequenter meditat. Oramus atque optamus vobis per omnia ut Deus pacis & caritatis sanctificet vos in omnibus, & integer spiritus vester, & reliqua. Quod ipse præstet.

1. Reg. 2.

....!....................................
imminutum. Idipſum autem quod optimum habemus, quod facultas ſuppetit, vobiſcum libentiſſimè impertiemus. Hæc idcirco per ſingula ſtuduimus ſcribere quia epiſtola ſuperiùs dicta per ſcriptum vobis innoteſcere juſſit de ſingulis. Ea verò quæ ſubſequens expoſcit ſermo noſtræ competunt neceſſitudini. Liquet namque quòd ſagax efficacia veſtram aſtutiam præcellit omnium hanc legationem agentium, ut ſuperiùs dictum declarat affatum. Et ideo quia præ cunctis excellentiùs ſubtiliuſque eandem legationem à vobis ordinari ſcimus, de veſtra inviolabile caritate freti conſilium expetimus quomodo ipſam agere debeamus; ut ſicut eam penes vos habetis depoſitam, qualiter Epiſcopos vel Canonicos aut Monachos, vel quibus capitulis ab eis debeamus requirere, per ordinem cuncta celeriùs ad nos recurrens oſtendat epiſtola. Illam quoque paginam quæ coram Domino Imperatore & nobis omnibus lecta eſt cùm univerſis generaliter data fuit licentia eundi palatio pariter cum pra petita epiſtola nobis mittite; & non ſolùm ea quæ nominatim expreſſimus, ſed præbete cuncta quæ huic negotio ſcitis eſſe congrua. Ita namque in omnibus erga nos agat veſtra immarceſcibilis caritas ſicuti per vos noſtra confidat ſimplicitas. Hoc etenim almitati veſtræ notum fieri volumus quia Domino noſtro glorioſo Auguſto jubente die XVIIII. menſis præſentis, quæ eveniet XIII. Kal. Julias, ab omnibus ſuffraganeis noſtris Deo opitulante epiſcopale officium, licèt indignus, ſuſcepturus .....:.. ego me huic oneri minùs aptum & adhuc epiſcopalibus officiis novit oportet eſſe imbuum, termino

ſtatuto differre volui. Sed quia juſſione imperiale urguente non valeo, idcirco veſtram ſanctitatem rogo & intentiſſima prece efflagito ut licèt omni tempore, maximè uſque prædictam diem pro nobis cum omnibus veſtris Domini miſericordiam exorare dignemini, ut impetratu veſtro à gravidine meorum delictorum merear leviari, & adnitentibus orationibus dignetur mihi Dominus Jeſus Chriſtus intellectum ſenſumque præbere qualiter ad dignitatem tanti honoris, quamvis immeritus, valeam competenter accedere.

Teſtamentum Fulcaudi de Rupe Cavardi Archiepiſcopi Bituricenſis.

IN nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Amen. Noverint univerſi quòd nos Fulcaudus de Ruppe Cavardi Dei gratia Bituricenſis Archiepiſcopus habens à ſanctiſſimo in Chriſto Patre ac Domino Domino Clemente divina providentia Papa Sexto gratiam & licentiam ſpecialem ad infra ſcripta, prout liquidè conſtat per litteras ipſius Domini Papæ ejus bulla plumbea bullatas & munitas, quarum tenor ſequitur in hunc modum. Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Fulcaudo Archiepiſcopo Bituricenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quia præſentis vitæ conditio ſtatum habet inſtabilem, & ea quæ viſibilem habent eſſentiam tendunt viſibiliter ad non eſſe, tu hæc ſalubri meditatione præmeditans, diem tuæ peregrinationis extremum diſpoſitione teſtamentaria deſiderans prævenire. Nos itaque tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecunque non per Eccleſiam ſeu Ecleſias tibi commiſſas aliàs tamen licitè acquiſitis, quæ ad te pertinere omnimodè dignoſcuntur, liberè teſtari va- *An.* 1343.

ſeas ac de bonis mobilibus eccleſiaſticis tuæ diſpoſitioni ſeu adminiſtrationi commiſſis, quæ tamen non fuerint âltaris ſeu altarium Eccleſiarum tibi commiſſarum miniſterio ſeu alicui ſpeciale earundem divino cultui ſeu uſui deputata, necnon de quibuſcunque bonis mobilibus à te per Eccleſiam ſeu Eccleſias licitè acquiſitis pro decentibus & honeſtis expenſis tui funeris & pro remuneratione illorum qui tibi viventi ſervierint, ſive ſint conſanguinei ſive alii juxta ſervitii meritum, moderatè tamen, diſponere & erogare & aliàs in pios & licitos uſus convertere poſſis; priùs tamen de omnibus prædictis bonis ære alieno & hiis quæ pro reparandis domibus ſeu ædificiis conſiſtentibus in locis Eccleſiarum vel beneficiorum tuorum culpa vel negligentia tua ſeu tuorum procuratorum deſtructis ſeu deterioratis, necnon reſtaurandis aliis juribus earumdem Eccleſiarum ſeu beneficiorum deperditis ex culpa ſeu negligentia ſupradictis fuerint oportuna deductis, plenam & liberam fraternitati tuæ auctoritate præſentium concedimus facultatem. Volumus autem ut in eorundem Eccleſiaſticorum diſpoſitione bonorum juxta quantitatem reſidui erga Eccleſias à quibus eadem percepiſti te liberalem exhibeas prout conſcientia tibi dictaverit & animæ tuæ ſaluti videris expedire. Datum Avinioni III. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno primo. Sani mente & corpore deſiderantes uti gratia nobis facta in noſtra bona ſanitate horam mortis quæ nobis incerta eſt prævenire volentes, attendenteſque ac in conſiderationem deducentes quòd ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, in præſentia Notarii publici ac teſtium infra ſcriptorum diſpoſitionem & ordinationem noſtram extremam juxta conceſſam nobis gratiam ſupra-ſcriptam facimus prout ſequitur ac etiam ordinamus.

In primis animam meam Deo & beatæ Mariæ virgini, beatis Stephano protomartyri & Eligio ac omnibus sanctis commendantes volumus quòd forefacta nostra emendentur & debita nostra solvantur ad levem probationem. Item eligimus sepulturam nostram in Ecclesia nostra Bituricensi; & legamus cuilibet Canonico qui præsens fuerit die sepulturæ nostræ viginti solidos Turonenses. Item cuilibet vicario dictæ Ecclesiæ qui præsens etiam fuerit die sepulturæ nostræ quinque solidos Turonenses. Item cuilibet Bachalario ipsius Ecclesiæ qui præsens etiam fuerit die sepulturæ nostræ duos solidos Parisienses. Item cuilibet puero de Choro duodecim denarios Parisienses. Item volumus & ordinamus quòd omnia collegia, Curati, & religiosi civitatis Bituricensis processionaliter intersint die sepulturæ nostræ, & fiat eis satisfactio secundùm ordinationem executorum nostrorum. Item volumus & ordinamus quòd executores nostri in præsenti testamento inferiùs nominati qui præsentes fuerint die sepulturæ nostræ possint & eis liceat capere de bonis nostris pro necessitate sepulturæ nostræ & de dicta sepultura ordinare ut executores vel ut amici prout eis meliùs placuerit & videbitur expedire donec inventarium de bonis nostris per ipsos factum fuerit & onus dictæ executionis nostræ in se susceperint vel aliqui eorundem. Item volumus & ordinamus quòd servitoribus nostris satisfiat quibus non est satisfactum juxta ordinationem executorum nostrorum. Item legamus pro anniversario nostro anno quolibet faciendo in Ecclesia nostra Bituricensi terras, prata, vineas, redditus, domos, & alia quæ nos acquisivimus in terra nostra de Cornussa à Philippo de Croso Domicello, & quas diu est propter istam causam tradidimus Capitulo nostro Bituricensi, &

de quibus dictum Capitulum habet possessionem. Item volumus quòd anniversarium nostrum celebretur in Ecclesia de Ruppe Cavardi anno quolibet pro salute animæ nostræ, & quòd assignentur redditus in patrimonio nostro per heredem nostrum juxta ordinationem executorum nostrorum. Item heredem nostrum facimus & instituimus universalem dilectum nepotem nostrum Johannem Vicecomitem de Ruppe Cavardi Militem, volentes & ordinantes quòd si dictus heres noster ordinationem nostram impugnare vel infringere vellet quoquo modo per se vel per alium tacitè vel expressè, dictus heres omni successione nostra ipso facto esset privatus, & de bonis illis quæ ad ipsum heredem pertinere deberent, si nostræ obtemperasset ordinationi, per executores nostros ordinetur, ipso herede nostro etiam non vocato; & ex nunc eo casu dictis executoribus nostris damus & concedimus plenam & liberam potestatem de dictis bonis prout eis placuerit ordinandi ac etiam disponendi. Executores autem nostros facimus & constituimus Reverendos Patres in Christo ac Dominos Dominos Lemovicensem, Parisiensem, & Carnotensem Episcopos, magistros Petrum de Croso Decanum Parisiensem, Johannem Galvani Subdecanum Aurelianensem, religiosum virum fratrem Aymericum Abbatem monasterii sancti Genulphi, & dictum nepotem nostrum Johannem Vicecomitem de Ruppe Cavardi Militem, ac venerabiles & discretos viros magistrum Oliverium de sancto Georgio Decanum de castro Bituricensi, Dominum Aymericum Hugonis Officialem nostrum Canonicum Pictaviensem, Dominum Johannem Baniti Archidiaconum Borbonensem in Ecclesia Bituricensi, Dominos Aymericum de Grangia, Aymericum de Manso, Petrum de Vivonia

Curatum de Duno Regis, Aymericum Mauleyer Priorem fratrum Heremitarum ordinis sancti Augustini conventus Bituricensis, & fratrem Petrum Britonis ordinis sancti Augustini, ita quòd si omnes vacare non possint vel non velint, duo ipsorum onus executionis nostræ incipere, mediare valeant & finire, non obstante quod alii inceperint aut aliquid fecerint in eodem. Item volumus quòd dicti executores nostri vel duo ipsorum ut præmittitur auctoritate sua propria bona nostra mobilia & immobilia vel se moventia & de quibus ipsos ex nunc investimus & saisinam tradimus per præsens testamentum ac susceptionem oneris ipsius vendere possint & distrahere ubicumque sint sine licentia vel assensu dicti heredis nostri seu alicujus judicis pro onere executionis nostræ integraliter adimplendo. Istud autem volumus esse ultimum testamentum nostrum seu extremam voluntatem. Et si non valet ut testamentum, valeat ut codicilli vel ut meliùs valere poterit de consuetudine vel de jure. In quorum omnium testimonium & munimen præsentes litteras nostrum testamentum seu voluntatem extremam continentes per Nicolaum Mauleyer clericum Notarium publicum infrascriptum scribi & publicari mandavimus & fecimus magnique sigilli signeti secretariorum nostrorum unà cum signo & subscriptione ipsius Notarii appensione muniri. Acta fuerunt hæc in camera nostra domus nostræ de Gerliaco anno Domini M. CCC. quadragesimo tertio, indictione undecima, die sabbati post nativitatem beati Johannis Baptistæ, pontificatus sanctissimi Patris ac Domini nostri Domini Clementis divina providentia Papæ sexti anno secundo, præsentibus religiosis ac venerabilibus & discretis viris Abbate sancti Genulphi, magistro Oliverio de sancto Georgio Decano

de Castro Bituricensi, & Dominis Johanne Baniti Archidiacono Borbonensi in Ecclesia Bituricensi, Aymerico de Manso, Petro de Vivonia, Aymerico Mauleyer, fratre Petro Britonis, Petro de Nigella, Guillelmo de Giemo, Durando Bautardi, fratre Petro de Bleon monacho monasterii sancti Arnulphi....... Colino Banchardi & Johanne de Arcissis clericis testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et ego Nicolaus Mauleyer clericus Lucionensis diocesis sacrosancti Romani imperii auctoritate publicus ac curiæ Bituricensis juratus Notarius testamentum originale, à quo præsens transcriptum fuit sumptum, vidi, tenui, legi, & palpavi, transcriptumque præsens propria manu scripsi & in hanc publicam formam redegi, & signum meum consuetum unà cum sigillo curiæ Bituricensis eidem rogatus apposui anno Domini M. CCC. quadragesimo tertio die sabbati post assumptionem beatæ Mariæ virginis, indictione undecima, pontificatus sanctissimi Patris ac Domini nostri Domini Clementis Papæ sexti anno secundo.

Ex veteri scheda Lemovicensi Ms.

ANNO MCCXCII. Aymericus de Rupechoardi Vicecomes de Rupechoardi Domicellus concessit & tradidit Domino Fulcaudo de Rupechoardi avunculo suo Archidiacono Bituricensi ob causam & portionem bonorum hereditariorum tam paternorum quàm maternorum triginta libras annui redditus quas dictus Vicecomes habebat in bursa Domini R. apud Pictavos, quam portionem accipit Johannes de Cublichon procurator dicti Archidiaconi, præsentibus Dominis Guidone de Cromen Milite, Guillelmo de Rupechoardi domino de Mortuomari.

Littera Ernaldi Episcopi Cenomanensis de capella Sablolii.

ERNALDUS Cenomanensis Episcopus & Guandalbertus Fulconi Decano salutem. Abbas Majoris monasterii & monachi ejus conquesti sunt de me apud Lucdunensem Primatem & cæteros primores Pictavensis Concilii quòd eorum oratoriam capellam apud Sablolium ædificare prohibemus. At illi rationem ostendentes quòd id fieri non deberet, rogaverunt ut eis ædificandi licentiam tribuerem. Quorum auctoritati non obedire inreligiosum ducens quod petebant benignè concessi. Mandamus itaque tibi & ex nostra auctoritate jubemus ut cum Domno Hilberto sancti Martini monacho, per quem episcopalem aquam & altare & crucem ferream misimus, Sablolium usque pergas & in loco quem ostenderit aquam spargas & crucem figas. Vale. *Circa an. 1100.*

Observatio in præfationes editas suprà pag. 349.

BENEDICTUM Episcopum Massiliensem, cujus sunt hæ præfationes, Guesneus & auctores Galliæ Christianæ diviserunt in duos, nullis bonis testimoniis. Ego verò, qui compertum habeo illum non esse dividendum, hanc partem historiæ ecclesiasticæ paucis verbis explicabo. Certum est Benedictum fuisse Episcopum Massiliensem anno MCCXXXIX. quo Hierosolyma profectus est cùm Theobaldo Rege Navarræ, & eo tempore inchoasse commentarium suum de summa trinitate & fide catholica, quem postea dicavit Alexandro Papæ IV. & deinde misit ad Guillelmum Patriar-

cham Hierosolymitanum & ad Thomam Episcopum Bethleemitanum. Certum præterea est illum fuisse adhuc in humanis anno MCCLXIII. IX. Kal. Novembris, qua die in plena synodo fecit constitutum de decimis solvendis. Quo loco admonebo habere me bullam Innocentii Papæ IV. datam Perusii die XIII. Martii MCCLIII. quæ Benedictum Episcopum Massiliensem jubet injungere fratribus Prædicatoribus & Minoribus provinciæ Arelatensis, qui publicè prædicabant illos non peccare mortaliter qui decimas non reddebant Ecclesiis, ut in prædicationibus & confessionibus hortarentur fideles ad solvendas decimas Prælatis & Ecclesiis quibus debebantur. Quod Episcopus adimplevit. Ex his ergo liquet illum non esse mortuum anno MCCLIV. ut scriptores suprà nominati tradiderunt. In uno chartulario monasterii Cluniacensis inveni illum fuisse apud Lugdunum cum Raymundo Episcopo Nemausensi eo tempore quo Papa Innocentius IV. illic celebrabat Concilium generale. Vocatur autem frater in ea charta monasterii Cluniacensis: *Ego frater Benedictus Dei permissione dictus Episcopus Massiliensis.* Quo etiam modo scribit in epistola dedicatoria commentarii de summa trinitate. Jam tum ergo se addixerat instituto ordinis sancti Francisci, cui illum se addixisse reperi in veteri collectione miraculorum patratorum in diocesi Magalonensi. Iterum rediit in terram sanctam, ubi eum fuisse anno MCCLXI. constat ex epistola ejus ex Accone scripta in festo sancti Matthæi ad Episcopum Bethleemitanum. Hinc verò secum attulit in Galliam frustrum sanctæ crucis Domini nostri Jesu Christi, uti legitur suprà pag. 356. in excerpto ex eodem libro miraculorum. Scripsit ad Alexandrum Papam IV. commentarium de summa trinitate & fide catholica,

hujus vetus exemplar extat in bibliotheca Colbertina. Alterum haberi Patavii in bibliotheca sancti Joannis in Viridario testatur Jacobus Philippus Thomasinus. Scripsit præterea ad Innocentium Papam epistolam de rebus gestis in terra sancta, quam ex codice nostro 895. invenies, lector, editam in tomo septimo spicilegii Dacheriani. Quo loco monendus es vitio veteris librarii positam esse in meo codice literam H velut initium nominis istius Episcopi, qui certò vocabatur Benedictus. Multa & honorifica illius mentio reperitur in narratione de constructione castri Saphet, quam ideo istic subjunxi pag. 357.

FINIS LIBRI SEXTI.



INDEX.

G

M

INDEX.

ERRATA.

Page 139. *lin.* 8. *leg.* Constringat.
Pag. 295. *cap. V I I. lin.* 16. *leg.* Comes Gerardus.
Pag. 358. *in margine*, *lin.* 4. *leg.* Raynaldum.
Pag. 396. *in calce*, *lin.* 2. *leg.* Pinna.
Pag. 397. *in calce*, *lin.* 2. *leg.* coepiscopo.
Pag. 483. *lin.* 7. *leg.* Poskeris.
Pag. 486. *lin.* 4 *leg.* Comborn.
Pag. 487. *lin.* 34. *leg.* Exidolium.
Pag. 488. *lin.* 1. *leg.* Solemniacensis.
Pag. 489. *lin.* 28. *leg.* Solemniaci.
Pag. 494. *lin.* 18. *leg.* Ventedorni.
Pag. 519. *lin.* 16. *leg.* Cluniacenses.

